Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/victoriaugostode0000vari

UNIVERSITAS CATHOLICA
IN OPPIDO LOVANIENSI.

FACULTAS THEOLOGICA.

1868—69.

—

N° CCCXLVIII.

DE

MIRACULO.

DE

MIRACULO

DEQUE EJUS IN CHRISTIANA DEMONSTRATIONE USU AC VALORE

DISSERTATIO THEOLOGICA,

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI JOSEPHI LAFORET,

PRÆLATI PROTONOTARII APOSTOLICI AD INSTAR PART., ECCL. CATHED. NAMURC. CAN. HON., S. THEOL. DOCT., ORD. CHRISTI DEC., ACAD. RELIG. CATH. ROM. SODALIS,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS IN S. THEOLOGIA

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,

PUBLICE PROPUGNABIT

ALOYSIUS VAN WEDDINGEN, LOVANIENSIS, PRESBYTER ARCHIDIOECESIS MECHLINIENSIS, S. THEOL. LICENTIATUS.

ALMA COLLEGE 211.42 LIBRARY W413 Alma, California

Diebus VIII, X et XII mensis Julii, ab hora X ad I, an. MDCCCLXIX.

LOVANII

EXCUDEBANT VANLINTHOUT FRATRES,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

27360

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

VICTORI · AUGUSTO · DESCHAMPS

ARCHIEPISCOPO · MECHLINIENSI

VERBO · SCRIPTIS · EXEMPLO

DE · ECCLESIA · DEI

AC · SCIENTIA · SACRA

PLURIMUM · MERITO

GREGIS · CONCREDITI · DELICIIS

IN · ARGUMENTUM · PIETATIS · ET · OBSEQUII

ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO · PRUDENTISSIMO

NICOLAO · JOSEPHO · LAFORET

UNIVERSITATIS · LOVANIENSIS · RECTORI · MAGNIFICO

PROTONOTARIO · APOSTOLICO · AD · INSTAR · PARTICIPANTIUM

AUSPICI · STUDIORUM · SUORUM

HOC · QUALECUMQUE · GRATISSIMI · ANIMI · PIGNUS

D · D · D

Auctor.

Dissertationem inauguralem ad promerendum sacri Doctoratus gradum paraturus, doctrina de Miraculo deque ejus in Demonstratione christiana probativo valore mihi argumentum fuit scribendi. Quam materiam ut seligerem moverunt me tum adhortationes virorum quibus nihil non debebam observantiæ, tum etiam recentissimæ incredulorum in Fidem christianam insectationes. Arbitrabar etiam non sine aliqua utilitate fore, si disquisitiones theologicæ de Miraculi munere in ratione criterii, itemque illius possibilitatis et cognoscibilitatis probationes in hac dissertatione systematica expositione conjungerentur, quo melius conspiceretur earum vis atque mutua necessitudo. In eo autem consilio exsequendo ita versatus sum, ut in quæstionum generalium indagatione potissimum incumberem, omissis in præsenti quæ ad historicam argumenti partem spectabant. Itaque, post Prolegomena quædam de propria quæstionis propositæ sede, de ordinis supernaturalis conceptu et genuinis Fidei Revelatæ criteriis, descripsimus, ad Scholæ mentem, Miraculi essentiam et ordinis miraculosi tam stricte quam late sumpti amplitudinem : dein diximus de Miraculi causis, de

ipsius finibus deque probativa ejus vi et habitudine cum Religione revelata et œconomia elevationis universa. Positiva ista doctrinæ capita excepit pars opellæ nostræ polemica in qua egimus de Miraculosæ et Supernaturalis interventionis possibilitate deque critica illius recognitione, habita inprimis ratione objectionum quas recentes Fidei adversarii nobis in re nostra præcipue opponunt.

Illud autem heic lectorem benevolum monere cupiebam, scilicet, nonnunquam opus mihi fuisse, pro rei exigentia, textui inserere unum alterumve documentum, vernaculo sermone conscriptum, quod, ne latine verterem, obstare videbatur aut ipsa materiæ indoles, aut etiam auctoris nomen vel fama. Proin, si quid præter morem in hoc admiserim, hoc mihi, confido, condonabunt qui non iniqui in me judices esse volent ac rerum tractandarum rationem habebunt.

Cæterum quam imperfecta hæc nostra lubratiuncula sit ego plane persentio : humanissimumque lectorem oro ut ei nonnullam benevolentiam impertiatur. Quare occurentes nævos ignoscat mihi eosque imperitiæ ac juventuti non desidiæ tribuat.

PROLEGOMENA.

Cum disputatio omnis hoc postulet, ut propria quæstionis propositæ sedes et ratio indicentur atque mente teneatur illud omne quod præsupponi debet ad materiæ de qua agitur recognitionem; visum fuit nonnulla Doctrinæ capita, ad Prolegomenorum modum, tractationi nostræ præmittere. Dicemus itaque in primis de proprio argumenti nostri loco in Theologica institutione deque ejus cum cæteris illius disciplinæ partibus connexione. Dein, cum Miraculum ultro sese nobis sistat tanquam supernaturalis Dei interventionis effectum, paucis adumbranda erunt ipsa *Supernaturalis Ordinis* notio ejusque cum *Ordine Naturæ* analogia et oppositio. Tandem, quoniam disputamus de valore Miraculi in quantum criterium est Divinæ Revelationis et Fidei supernaturalis credibilitatis, de ipsa Fidei revelatæ cognoscibilitate et criteriis aliqua erunt generalissime attingenda. Triplici autem hac consideratione Prolegomena ista absolvemus.

I.

STATUITUR PROPRIA ARGUMENTI NOSTRI SEDES EJUSQUE CUM CÆTERIS THEOLOGICÆ INSTITUTIONIS CAPITIBUS CONNEXIO INDICATUR.

1. Argumentum *de Miraculo* inter eas continetur Quæstiones quæ in *Theologia Generali* communiter moventer. De eo enim agunt Theologi ubi de motivis credibilitatis Fidei disputant, sive de argumentis quibus Revelationis divinæ existentiə atque assensus illi exhibendi legitimitas demonstrantur. Quapropter non inopportune, opinor, de ipsius Theologiæ Generalis munere atque objecto pauca heic summatim statuentur.

Videlicet, postquam in *Philosoph ca ad Theologiam Introductione* constiterit tum de *subjectivis* principiis quibus valet homo veritates ordinis moralis ac Religionem universim spectatam cognoscere, de humanæ rationis vi ac facultatibus, de certitudinis natura ac varia specie, de demonstrationis methodo deque arte critica et ejus regulis : postquam actum etiam fuerit de *objectivo* Religionis tam naturalis quam supernaturalis (hypothetice saltem spectatæ) fundamento sive de reali primæ causæ infinitæ, personalis et a mundo distinctæ existentia, atque essentiali humanæ naturæ cum ea habitudine et dependentia, ulterius inquirit Theologus in capitalia ista dogmata quibus Religio non jam naturalis sed supernaturalis existentia in primis superstruitur. Evincenda igitur Religionis revelatæ possibilitas ac demonstrandum non modo hominibus revelari divinitus posse veritates naturales sed etiam Mysteria sive veritates quæ per se finitæ mentis captum absolute excedunt. Ostendendum prætera talem constitui posse rationalis creaturæ ad summum Deum ordinationem quæ ipsam supra insitas vires nativamque exigentiam elevet et participato divinæ naturæ consortio augeat.

Quoniam vero Deus Optimus Maximus, si quam hominibus Religionem seu veritatum officiorumque complexum per semetipsum proponere decreverit, hisce signis eam ornaverit oportet, quæ invictum et omnibus patens præbeant divinæ istius communicationis testimonium, mox enascetur quæstio *de supernaturalis Revelationis Criteriis* seu *Fidei divinæ credibilitatis argumentis*, quæ quanti sit ponderis nemo non perspicit. Porro, unanimi populorum doctorumque consensu, præcipua revelatæ doctrinæ Criteria censentur *Miracula* et *Prophetiæ* seu facta tam cosmica quam psycologica et moralia quæ vim omnem superent creaturarum et immediatæ ipsius Dei actioni sint referenda, ut adeo jure habeantur tanquam *divinæ veritatis vel virtutis manifestativum* (1). Proin de Miraculi possibilitate, cognoscibilitate et probativo valore, pro rei gravitate, erit Theologo disserendum.

Age de miraculo, *ut est divinæ Revelationis Criterium ejusque credibilitatis argumentum*, præsens nostra disputatio erit. Suapte igitur natura pertinet ad Theologiæ generalis partem *critico-theoreticam*. Nam, nonnisi recognita tum hominis cum Deo habitudine ejusque ab eo dependentia, tum etiam Religionis non naturalis modo, verum supernaturalis quoque et revelatæ possibilitate ac necessitate, atque constituto demum veræ revelationis Criterio, quod *Miraculum* sit, cujus ambitu Prophetiæ ipsæ comprehenduntur, transire erit ad partem Generalis Theologiæ *applicativam* et *practicam*. In illa vero demonstrabitur *de facto* miracula et prophetias indubia et historice certa eam Religionem commendare, quæ, inde ab ipso mundi exordio primitiva revelatione comprehensa, dein, veluti per varias ætates sub veteri fœdere progressa atque evoluta, perfectum suum terminum in Christi Jesu magis-

(1) D. Th. Op. *de Potentia*, q. VI, de Miraculis, a. 5.

terio ac doctrina consequuta est. Ex quo inferetur Religionem christianam certo esse divinam, et porro obligari homines ad credendas religionis illius veritates fidemque ei præstandam, licet ejus Dogmata sint inevidentia et proprio *Mysteriorum* nomine veniant. Atque hisce disputationibus absoluta demum erit Theologiæ Generalis pars illa, quæ vulgo *Demonstrationis christianæ* nomine dicitur.

Præmissa autem illa quæstionum fundamentalium Theologiæ Generalis investigatione, atque evicta Religionis christianæ divinitate, ex miraculis ac Prophetiis quibus ejus veritas inde a suo initio ad nostros usque dies palam demonstrata fuit; inquirendum jam erit in *Medium* quo ipsa christianæ et supernaturalis istius Religionis doctrina addisci possit illiusque dogmatum notitia comparari. Agendum igitur de vivo ac infallibili credendi Regula, ab ipso Christo instituta : de Ecclesiæ existentia, auctoritate ac notis, atque probandum in sola Ecclesia *romano-catholica* signa reperiri quibus ipse Christus societatem supernaturalem a se fundatam insignitam voluit, unitatem doctrinæ, cultus ac regiminis, catholicitatem tam juris quam facti, apostolicitatem, sanctitatem *veris et conspicuis miraculis* declaratam, quibus heroïcæ Christi fidelium virtutes eminent et veritas Religionis quam profitentur publice commonstretur. Quare, ut ex posteriori hoc capite liquet, quæ in Christiana Demonstratione abstracta et generali ratione de Miraculis asserta fuere, ulteriori et practica sua applicatione in Demonstratione Catholica rursus donanda erunt. His vero doctrinæ capitibus quibus Ecclesiæ Romanæ divinitas seu Christianitas cæterarumque sectarum falsitas evincuntur exsurget pars Theologiæ Generalis altera quam *Demonstrationem Catholicam* dicunt quæque nonnisi altera ipsius *Demonstrationis Christianæ* evolutio et applicatio est. — Verum, posteaquam ita scientifice Theologo constiterit quonam *Medio* sive

organo in notitiam valeat venire Dogmatum quæ a Christo revelata fuere, ad illa sigillatim examinanda se convertet, atque in ea demum investigatione finem *Theologiæ Generalis* simulque initium *Theologiæ Specialis* sive *Dogmaticæ* proprie dictæ reperiet.

His porro generalissime, ut scopus noster ferebat, prænotatis de Theologiæ fundamentalis objecto ac munere, propria hujusce nostræ Disputationis indoles ejusque in theologica disciplina locus et cum reliquis quæstionibus connexio satis, opinor, indicata erunt. — Quoniam vero Miraculum sese menti exhibet tanquam eventum qui *constitutum naturæ cursum* atque *cosmicas leges* excedit et *supernaturalis primæ causæ interventionis* ideam secum habet; necessarium etiam fuerit de *Naturæ* notione itemque *Naturalis* atque *Supernaturalis ordinis* conceptu atque amplitudine prævie dixisse.

II.

COMPENDIARIA ADUMBRATIO ORDINIS NATURALIS AC SUPERNATURALIS, NOTIONUMQUE AC TERMINORUM HUC SPECTANTIUM EXPOSITIO.

1. *Ordo* pulchre ab Augustino appellatus *parium disparium*ve *sua cuique loca tribuens dispositio* (1) generatim a Philosophis definitur *apta plurium dispositio in certum finem*. Conceptu igitur Ordinis tria comprehenduntur : 1. Res ipsæ quæ ordinatæ dicuntur; 2. earum concors atque concinna dispositio; 3. finis ad quem isthæc rerum ordinatio dirigitur. Ex tribus autem hisce elementis primum veluti materiale Ordinis principium est. Cum enim res quæ *ordinantur* multiplices et maxime variæ esse possint, imo tot sint quot reperiantur entia creata; hinc constitutivum illud

(1) *De Civit. Dei*, L. 19, c. 13.

se habet per modum generis communis et determinabilis : id autem quod in ente commune est ac determinabile, appellant scholastici *materiale* rei, opposite ad principium alterum quod determinat ipsam materiam ad peculiarem existendi rationem, quodque dicunt ejus *formam*. « Materia quippe, ut loquitur Angelicus, per formam contrahitur ad determinatam speciem (1). » Ordinis proinde *forma* principium est quo determinata et certa dispositio in rebus inducitur. Jamvero patet, hanc specialem ordinationem proxime pendere a fine qui in peculiari ea rerum comparatione intenditur. Ut adeo *finis* præcipuum ordinis elementum ac principium dici debeat. « Omnia agentia, inquit Angelicus, necesse est agere propter finem. Cujus ratio est, quia *materia non consequitur formam nisi secundum quod movetur ab agente :* nihil enim reducit se de potentia in actum. Agens autem non movet nisi ex intentione finis : Si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effectum producat, necesse est quod determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis (2). »

Porro, cum res creatæ universæ a sapientissimo Numine tum in suos quæque peculiares fines ordinatæ sint, tum in ipsum Deum tanquam in finem supremum ultimo directæ, quod in primis de rationali creatura obtinet : hinc illa rerum in proprios fines ordinatio, universim spectata, jure summo *Ordo divinæ Providentiæ* vocatur. Nobilia iterum Angelia verba : « Quælibet res creata, ait, consequitur suam ultimam perfectionem per operationem propriam. Nam oportet quod ultimus finis et perfectio rei sit ipsa operatio, vel operationis terminus aut effectus.... Ordo autem rerum creatarum secundum distinctionem naturarum et graduum ipsarum

(1) Op. 32 *de natura materiæ*, c. 5.
(2) *Summ. Theol.* 1ª 2æ, q. 1, a. 2.

procedit ex divina sapientia : Ergo et ordo operationis per quam res creatæ magis appropinquant ad ultimum finem. Ordinare autem actiones aliquarum rerum ad finem est gubernare ipsas. Deus igitur per suæ sapientiæ *providentiam* rebus gubernationem et regimen præstat (1). » — Et rursum : « Cum enim omne agens agat, ait, propter finem (sive ex propria determinatione si intelligens sit, sive ex aliena si intellectu careat), in tantum se extendit ordinatio effectuum in finem quantum se extendit causalitas primi agentis. Ex hoc enim contingit in operibus alicujus agentis aliquid provenire non ordinatum ad finem, quod effectus ille consequitur ex aliqua alia causa præter intentionem agentis. Causalitas autem Dei, qui est primum agens, se extendit usque ad omnia entia, non solum quantum ad principia speciei, sed etiam quantum ad individualia principia, non solum incorruptibilium, sed etiam corruptibilium. Unde necesse est, omnia quæ habent quocumque modo esse, ordinata esse a Deo in finem, secundum illud Apostoli : *Quæ sunt, a Deo ordinata sunt* [Rom. 13]. — Cum ergo *nihil aliud sit Dei Providentia quam ratio verum in finem...*, necesse est omnia, in quantum participant esse, in tantum subdi divinæ Providentiæ (2). » — Ordinem igitur rerum universalem cum Ordine Providentiæ plane identificari vides.

2. Hæc de Ordine prout generalissime sumitur dicta sunto. Quoniam autem heic in primis de ordine agendum est *Naturæ*, nonnulla de ipso Naturæ conceptu animadvertenda sunt. — Jamvero, apud Philosophos, Natura, in generali et communissima sua significatione, *substantiam* designat, sive statum eorum quæ existentiam realem atque determinatam activitatem partici-

(1) *Summ. cont. Gent.* L. III. c. 64.
(2) *Summ. Theol.* I, q. 22, a. 2, in corp.

pant (1). Porro, cum omnis realitatis mensura atque regula ipsa divina Essentia sit, atque exemplariter quidem ipse divinus intellectus, ut rite capias quid *Natura* sit et *Naturæ ordo,* in ipsam divinæ Essentiæ contemplationem atque in considerationem habitudinis quæ inter illam atque res finitas intercedit, mentem convertere oportet.

Videlicet, Deus, eo quod infinitus est ac purissimus existendi actus, comprehensivam suimetipsius scientiam habet. Atqui, ut comprehensivam hanc sui notitiam ipse consequatur, requiritur non tantum ut perfecte et adæquate suam essentiam in se ipsa cognoscat, verum etiam ut attingat omnes modos juxta quos, vi infinitæ suæ perfectionis, participari et aliquo modo repræsentari potest ad extra. Præclare Angelicus : « Ipse Deus essentiam suam perfecte cognoscit, unde cognoscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. » Et addit : « Unaquæque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat divinæ Essentiæ similitidinem. Sic igitur in quantum cognoscit Deus suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturæ (2). » Ex ipsa igitur summi Dei scientiæ perfectione esse vides, ut in divina mente per modum termini intelligibilis, subsistant typi omnium rationum quibus infinita Essentia ab entibus a se aliis, pro finito aliquo modulo, repræsentari et participari potest? « Intellectus proin divinus, (sic idem Doctor quem in re illa satis citare nequeam) id quod est proprium unicuique, in essentia sua comprehendere potest, intelligendo in quo ejus essentia imitatur et

(1) Cf. R. P. Kleutgen, *Theologie der vorzeit.* II, p. 4.
(2) *Summ. Theol.* I, q. 15, a. 2.

intelligendo in quo a sua (sc. divinæ Essentiæ) perfectione deficit unumquodque; utpote intelligendo essentiam suam per modum vitæ et non cognitionis, accipit propriam formam plantæ; si vero ut imitabilem per modum cognitionis et non intellectus, propriam formam animalis, et sic de aliis. Sic igitur patet quod Essentia divina, in quantum est absolute perfecta, potest accipi ut propria ratio singulorum (1). » — Cum vero ab ordine intelligibili et simplicis intelligentiæ, ex libero Dei decreto, entia finita actu traducuntur ad ordinem realem et scientiæ visionis objectum constituere jam incipiunt, æternis suis exemplaribus plane conformia prodeunt. Jamvero distinctus ille modus juxta quem res possibiles universæ divinam Essentiam imitantur, prout abstractissima et generalissima ratione concipitur, usitato nomine *ουσια* sive rei Essentia metaphysica dicitur. Sed archetypicæ istiusmodi divini intellectus ideæ nonmodo communissimas sive genericas entium quæ deficiente aliquo modo infinitam Essentiam repræsentant notiones referunt : verum cum perfectissimam rerum speciem exhibeant, simul cum essentia generica, *propriæ etiam entis cujuslibet activitatis* seu insitæ virtutis rationem continent. Nequit enim adæquata rei essentiæ notitia summo Deo adesse, quin hoc ipso perspecta ei sit propria ejus *activitatis* conditio, quæ ab ipsa essentia immediate derivatur. Nam, ut loquitur Angelicus, « res naturalis fit actu in esse naturale per propriam formam. Res autem naturalis per propriam formam qua perficitur in sua specie, *habet inclinationem in proprias operationes* et proprium finem : quale enim est unumquodque, talia operatur et in sua convenientia tendit (2). » Porro substantiæ sive Essentiæ in ratione *activæ* spectatæ nomen *Naturæ* (φυσις) inditum est. « Nomen autem

(1) *Summ. cont. Gent.* L. I, c. 54.
(2) *Summ. cont. Gent.* L. IV, c. 19.

naturæ, inquit D. Thomas videtur significare essentiam rei *secundum quod habet ordinem ad propriam operationem rei*, cum nulla res propria destituatur operatione (1). » In philosophico igitur rigore, ut nomen οὐσιας seu *Essentiæ metaphysicæ* designat ipsum Esse substantiæ abstracte et communiter consideratum, ita vocabulum φυσεως seu *Naturæ* et *Essentiæ physicæ* dicit congenitam et primitivam substantiæ *activitatem*, prout proxime Essentiam ipsam consequitur atque ab ipsa derivat. Ex dictis quid proprie Natura sit jam definire possumus. *Naturam* recte dixeris : *Principium immanens atque adæquatum essentialium Entis actionum et passionum.* Ut adeo, in concreto, natura, sensu quo diximus, sit ipsa substantia creata, prout prædita est propria et congenita facultate certas ac suæ essentiæ proportionatas operationes exercendi. — Ex hac vero notione, mox factum ut complexum entium creatorum universum, quatenus considerantur singula tanquam propria et sibi immanente activitate instructa *Naturam* vel etiam *Ordinem Naturæ* Philosophi dixerint. Quare Naturam describunt *complexum substantiarum creatarum et operationum, affectionum ac passionum omnium quæ ipsis propriæ et congenitæ sunt, vel ex constituta earum activitate consequuntur.* Atque consimili fere ratione *Leges naturæ* vocant normas illas uniformes et constantes quas singula Naturæ agentia vel potius singulæ eorum species servant in exercenda nativa sua atque insita activitate. Quum enim eædem causæ in similibus adjunctis uniformi modo operentur, istiusmodi earum activitatis exercitium constantia sua Legis imaginem refert.

Ex his quæ diximus, facile jam deducitur quid veniat per vocabulum *Naturale* metaphysice acceptum. Scilicet philosopho *Naturale* dicitur illud omne quod causis secundis ab intrinseco et juxta earum essentiæ propriæque activi-

(1) *De Ente et Essentia*, c. 1.

tatis exigentiam debitum est atque insitam earum facultatem proxime vel remote, essentialiter vel per accidens consequitur. Sive, ut alii dicunt, *naturale* est quidquid non excedit vires causarum secundarum, prout illæ juxta congenitas sibi facultates activitatem suam exercent (1). — Hinc est ut *prima hominis Creatio*, quamvis plane ei indebita sit atque ex libero Dei decreto pendeat, omnino tamen naturalis dici debeat : ipsa enim homini illud esse quod essentialiter ei competit primum confert (2). Item naturalium ambitu continetur *concursus Providentiæ generalis*, utpote derivans ex ipsa conditione causæ secundæ ejusque habitudine ad causam primam (3). Neque minus naturalia censenda sunt varia dona et auxilia quibus summus Deus hominem dirigit et adjuvat ut ad assequutionem finis sui naturalis actu perveniat, quæ quidem subsidia *Providentiæ specialis ordinem* constituunt. Hæc enim entis limitati et contingentis nativa conditio est ut, *pro particulari sua conditione*, a causa prima juvetur ad finem sibi proprium debite attingendum : quod sane specialium auxiliorum pro cujusque natura collationem supponit. — Atque hæc quidem de vocabulo *Naturali* prout in rigore metaphysico

(1) Accurate naturalium ambitum sic describit R. P. Schrader : « Liquet, inquit; naturalium ambitu generatim comprehendi ea I, quibus ipsa rei essentia constat, ea II, quibus res sive ens aliquod, secundum essentiam creatum, individuam habet existentiam; ea III, quibus illud sic constitutum conditum servatur, pro sua indole augetur ac crescit; ea IV, quibus idem efficitur, ac constituitur ordinatum operationum principium; ea porro V, quibus hoc ipsum redditur iisdem suis edendis operationibus aptum et par; quibus semet VI, sive interius ac in se sive exterius comparateque ab alia congenitis viribus actu explicat, ea tandem VII, quibus operationum suarum vi ad finem proportione respondentem assequendum connititur. Quare merito ac jure id omne naturale censetur, *quod naturam vel constituit ipsam vel constitutam in esse comitatur ac sequitur.* » *De triplice ordine naturali, præternaturali et supernaturali*, p. 57.

(2) Cf. Suarez. *Prolegomen.* III, de Gratia, l. 2, n. 4.

(3) *Summ. Th.* 1a 2æ, q. 3, a. 1, ad 2. — Driedo : *de gratia et lib. arbitrio*, Tr. II, c. 2, p. 1. — Soto : *de Nat. et Gratia.* L. I, c. 3. — Stapleton : *De gratia et lib. arbitrio.* L. IV, c. II.

accipitur. Latiori vero sensu, derivato ex proprio illo quem indicavimus, *Naturale* etiam dicitur :

1. Illud quod habetur a nativitate seu ortu, v. g. talenta, insitæ dotes etc. Hoc sensu explicant passim interpretes illud Pauli *ad Galatas*, II, 15 : *Nos natura Judæi*. Eadem acceptione justitia originalis in Adamo dicitur quandoque naturalis. Hunc vocis usum describit Angelicus : « Secundum Philosophum, ait, in 5 metaphysic. text. 5, natura uno modo dicitur ipsa nativitas, alio modo eseentia rei. Unde naturale potest aliquid dici dupliciter; uno modo quod est tantum ex principiis naturalibus rei, sicut igni naturale est sursum ferri; alio modo dicitur esse homine naturale, quod ab ipsa nativitate habet, secundum illud Ephes. 2. *Eramus natura filii iræ* et Sap. 12 : *Nequam est natio eorum et naturalis malitia eorum* (1). — Porro huc spectant verba D. Augustini quibus tantopere abusi sunt Janseniani et Bajani : « Ipsam naturam aliter dicimus, cum proprie loquimur, naturam hominis, in qua primum in suo genere *inculpabilis* factus est, aliter istam, in qua ex illius damnati pœna mortales et ignari et carni subditi nascimur, juxta quem modum dicit Apostolus : Fuimus enim et nos *naturaliter* filii iræ (2). »

2. Naturale dicunt quidquid est naturæ consentaneum neque ipsam destruit sed potius perficit et exornat, ut est cultura mentis, virtutum exercitatio, etc. Atque eo sensu *Naturale* opponitur *violento*. — Quo sensu, uti liquet, supernaturalis ordinis dona dici possunt *naturalia*.

(1) *Summ. Th.* III, q. II, a. 12 in corp. — Textus philosophi hic est : Φύσις δὲ λέγεται ἕνα μέν τρόπον ἡ τῶν φυομένων γένεσις... ἕνα δὲ ἐξ οὗ φύεται, πρῶτον τὸ φυόμενον ἐνυπάρχοντος· ἔτι ὅθεν ἡ κίνησις ἡ πρωτη ἐν ἑκάστῳ τῶν φύσει ὄντων ἐν αὐτῷ ἢ αυτο ὑπαρχει. — ἔτι δ' ἄλλον τρώπον λέγεται ἡ φύσις ἡ τῶν φύσει ὄντων οὐσια. — *Metaph.* L. IV, c. 4.

(2) *De lib. arb.* L. 3, c. 19.

3. Naturale etiam vocatur late quidquid contingit modo naturæ legibus *consueto*, ut est arteriarum pulsus, circulatio sanguinis etc. Et sic opponitur *extraordinario*.

4. Ita etiam vocant nonnunquam quod non procedit ab hominum industria, velut cum dicimus hominem naturaliter disertum, arbores naturaliter exortas. Sic opponitur *artificiali*.

5. Naturale a philosophis dicitur etiam de eo quod non pendet ab arbitrio sed oritur ex ipsa entis necessaria et intrinseca determinatione. Hoc porro sensu opponitur *libero*. In ea significatione scribit Angelicus : « Si fuerint talia apprehensa, quibus *naturaliter* intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium vel dissensus non est in potestate nostra, sed *in ordine naturæ*, et ideo proprie loquendo naturæ imperio subjacet (1). » — Huc etiam famosa illa et Angelico solemnis distinctio de voluntate *prout formaliter voluntas est* et de voluntate *prout natura est*. Scilicet juxta S. Thomam qui hanc distinctionem a SS. Augustino et Anselmo accepit, voluntas *ut natura* ea est quæ a suis intrinsecis *determinatur ad unum* : Voluntas vero ut *formaliter voluntas*, ea est quæ non determinatur ad unum sed ad objecta indifferenter se habet. Hanc mentem fuisse Angelici, præter alia multa, luculenter demonstrat ille opusculi *de Veritate* locus. « Quod voluntas *in quantum est rationalis*, ad opposita se habet; hoc enim est considerare ipsam secundum hoc quod est ei proprium; sed *prout est natura quædam*, nihil prohibet eam determinari ad unum (2). » Et clarius etiam in opusculo *de Potentia* : « Voluntas, inquit, *in quantum voluntas*, cum sit libera, ad utrumque se habet. Potest enim voluntas agere vel non agere, sic vel sic

(1) *Summ. Theol.* 1a 2æ, q. 17, art. 6, in corp.
(2) Q. 22. *De Veritate*, art. 5, in resp. ad 5.

facere, velle et non velle. — Et si respectu alicujus hoc voluntati non conveniat, hoc accidit voluntati *non in quantum voluntas est*, sed *ex inclinatione naturali* quam habet ad aliquid, sicut ad finem ultimum, quem non potest non velle, sicut voluntas humana non potest non velle beatitudinem, nec potest velle miseriam (1). » — Atque his potissimos sensus vocabuli indicatos habes.

3. De objectivo ordinis Naturæ concepta hactenus. — Ordini vero naturali in catholicorum doctrina, respondet e regione Ordo quem vocant supernaturalem : cujus notio atque ambitus, quantum argumentum fert nostrum, jam describenda. Ad illud autem præstandum, ut notat Em. de Lugo, « prima et magis tuta via, ut quæ facilior et notior, est per comparationem ad *naturam*, sive denegando enti supernaturali proportionem, connaturalitatem et debitum quodcumque respectu naturæ reliquasque imperfectiones, quæ entibus naturalibus, prout talia sunt, formalissime competunt..., sive tribuendo illi excessum et supereminentiam supra totam naturam quæ videtur ratio positiva et communis omnibus entibus supernaturalibus (2). »

4. Ad rectam igitur efformandam τοῦ Supernaturalis notionem, satis fuerit caracteribus ordinis naturalis sua contradictoria opponere : transcendens iste ordo qui ex ejusmodi oppositione exsurgit, ipse *supernaturalis ordo* erit. — Itaque, ex istiusmodi oppositione, primaria donorum supernaturalium conditio hæc erit ut conferatur *præter exigentiam* entis cui tribuitur : proinde ut non pertineat ad essentialem ejus conceptum, neque etiam ad ejus naturam sive ad sphæram facultatum quibus congenita ipsius activitas constat. Sed inde exigitur etiam ut supernaturale donum proprie non requiratur ad finem naturalem subjecti, sive

(1) Q. 2, *de Potentia*, art. 3. — Cf. Ex D. Lefebve, Prof. Lovan. in codice autographo : *De Deo Uno*. Dissert. VII, c. II, ad 4.

(2) *Theol. Schol.* P. 1, Diss. VII, c. 4.

ut per se et in concreta sua ratione non desideretur ad perfectionis ipsi debitæ consequutionem (1). — Porro ex hac conditione prima et maxime omnium attendenda in Supernaturalium conceptu sequitur hæc altera quod donum supernaturale *omnem entium creatorum vires et facultatem excedat.* Causæ enim secundæ omnes determinatam suam perfectionem habent et operationem : proinde nequeunt per se supra suum ordinem nativum adtolli et perfici. Imo neque causæ superiores quidquam perfectionis conferre possunt causis inferioribus nisi varia ratione applicando insitas earum vires. Ut adeo creaturam quamlibet *præter congenitam ejus exigentiam* adtollere et perficere sola omnipotens et prima causa possit (2). Quare donum supernaturale non modo *præter exigentiam* sed etiam *supra vires* naturæ creatæ totius vere dicendum est (3). Tandem post dicta inferes donum sive effectum

(1) Hanc absolutam *debiti* carentiam quam in supernaturali ente exigunt sic illustratur S. Thomas : « Potest, inquit, intelligi duplex debitum : unum quidem *ex merito* proveniens, quod refertur ad personam, cujus est agere meritoria opera secundum illud ad Romanos, 4. *Ei qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam.* — Aliud est debitum secundum conditionem *naturæ,* puta, si dicamus debitum esse homini, quod habeat rationem, et alia quæ ad humanam pertinent naturam. Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc quod Deus creaturæ obligetur (sc. antecedenter et in sensu diviso, præscindendo a proprio decreto) sed potius in quantum creatura debet subjici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur; quæ quidem est, ut talis natura tales conditiones vel proprietates habeat, et quod talia opera talia consequatur. — Dona igitur naturalia carent primo debito ; dona autem supernaturalia *utroque debito* carent, et ideo specialius sibi nomen gratiæ vindicant. 1ª 2æ, q. 111, art. 1, ad 2m.

(2) Ad rem S. Thomas : « Nullus autem effectus supernaturalis potest esse ab aliqua creatura : quia ejus solius est rem ultra statum naturæ promovere cujus est gradus naturæ statuere et limitare : quod solum Dei constat esse. » *De veritate.* a. 3. Similiter fere Scotus : « Quoddam agens est supernaturale, quoddam naturale. Naturale dicitur quod est habens principium activum naturale *finitum*... Supernaturale dicitur quod habet principium activum naturale infinitum.» *Reportata,* 4, Dist. 43, q. 4, n. 3.

(3) Supernaturalium ordinem ex sua oppositione ad naturalia ita describit R. P. Schrader : « His (*naturalium caracteribus*), contradictoria opponas et proprios supernaturalium bonorum characteres delineasti. Quodsi enim totius creati ordinis gyrus prope et ambitus ab his quæ supra naturam sunt vincatur

supernaturalem essentialiter relativum esse, cum logice saltem supponat subjectum jam actu existens et debita sua perfectione, juxta proprii ordinis exigentiam, præditum (1).

5. Hæc de supernaturalium conceptu in communi sua quidditate spectato. Porro Theologi nonnullas in supernaturalium ordine divisiones admittunt, qua non parum inserviunt ad eorum naturam melius intelligendam quæque a nobis præteriri non debent.

Inprimis celebris est divisio Supernaturalis in *supernaturale quoad substantiam* et *supernaturale quoad modum*. Primum opus sive effectum audit quæ, *ratione quidditatis totius*, solus Deus patrare valet, ut est unio hypostatica, hominis sanctificatio. — Alterum dicit opus quod in aliis quidem adjunctis causa secunda producere valet, non vero in iis determinate circumstantiis quibus hic et nunc efficitur, neque eodem modo. Utrumque illud divisionis membrum maxime usuvenit in consideratione nonnullorum Mira-

supereturque; profecto quum præter creatum increatumque ordi em alius concipi nullus queat, infertur bona ejusmodi οὐσιωδῶς spectata, negative primum neque creata sive ex nihilo producta, neque avulsa omnino penitusque dissita a divina substantia existere; verum positive eadem esse Dei ipsius bona oportere, nimirum ipsa divina contineri substantia quæque cum immensi Spiritus natura intime conseruntur; habere eadem proinde infiniti rationem ac increati, dona esse cœlestia, terrenisque omnibus, τοῖς κοσμικοῖς, toto genere superiora, nobiliora, præstantiora. Sed si præterea δυναμικῶς considerentur, quandoquidem etiam δυναμικα illa existant, divinas esse vires Dei, Dei ipsius potentiam, ad ipsa ἀμέσως increata natura dimanare, non ἔσωθεν e creata natura efflorescere, sed ἄνωθεν desursum descendere, et ita ἔξωθεν *addita* a creatura recipi, in eadem operari atque eamdem supra se se suumque modulum incredibiliter efferre, sublimare, nobilitare, absolvere perficiendoque consummare. » *De triplici ordine, naturali, præternaturali et supernaturali*, p. 62.

(1) Enti sive dono supernaturali inprimis applicanda quæ de formis substantiæ superadditis habet Angelicus : « Illud cui advenit accidens, ait, est *ens in se completum*, consistens in suo esse, quod quidem esse naturaliter præcedit accidens superveniens, ex conjunctione sui cum eo cui supervenit, non causat illud esse, in quo res subsistit, per quod res est ens per se; sed causat *quoddam esse secundum*, sine quo res subsistens intelligi potest esse, sicut primum potest intelligi sine secundo » *De Ente et Essentia*, c. 7.

culorum ut v. g. in subita linguæ incognitæ eloquutione cujus notitia divinitus homini infunditur, in repentina morbi sanatione, ad jussum Thaumaturgi consequuta, etc. « Supernaturale *quoad modum* dumtaxat, inquit doctus Sulpitianus Montagne, est *donum naturale collatum modo proprie supernaturali*, id est excedente cujuscumque naturæ vires et exigentiam ; talia sunt vita mortuo restituta, aut visus redditus cæco (1). »

6. Alia divisio inter auctores solemnis hinc statuit *Supernaturale philosophice spectatum,* illinc *Supernaturale theologice acceptum.* Prius nihil aliud est nisi Ens sive donum supernaturale prout præcise consideratur in sua transcendentia supra omnes vires omnemque exigentiam naturæ. — Ens autem supernaturale *theologice sumptum* dicit opus vel donum quod transcendit omnes naturæ vires et exigentiam, quodque formaliter et ab intrinseco natum est communicare subjecto consortium divinæ naturæ, sive, ut scribit Kilberus, quod ex intrinseca sua perfectione, pertinet ad unionem cum Deo quidditative sumpto (2).

(1) *De Gratia.* Quæst. Procem. art. 2.

(2) Audiri meretur insignis ille Theologus ubi ordinis naturalis et supernaturalis ambitum describit. Ita porro docet in suo tractatu de virtutibus theologicis : « Qui diversas Auctorum de supernaturalitate entis opiniones aliqua saltem ratione conciliare contendunt, eamdem dupliciter, *philosophice* scilicet et *theologice,* spectandam proponunt, aliis ad excellentiam, aliis ad naturam attendentibus. Quatenus enim excellentia illa absolute spectatur, et ens in ordine quodam supremo divinæque naturæ propriori constituitur, dicitur *theologice* supernaturale; quia hic conceptus primarius est et a Theologis observatus. Si vero supernaturalitas ex naturæ tantum consideratione deducatur, naturam oportet distinguere. Alia enim consideratur, prout præcise complectitur omnes causas creatas, juxta et per generalem ac ordinarium Dei ut auctoris naturæ concursum, operativas ad felicitatem præcise naturalem hominis; quem sicut Philosophia naturalis tractat in Ethica, sic ens *philosophice* supernaturale dicitur, quod naturæ sic descriptæ vires transcendit : aliter natura concipitur pro aggregato substantiarum creatarum et creabilium, quarum entitas non est per se connexa cum Deo ut auctore gratiæ ac gloriæ. Quidquid ergo per se et ab intrinseco ad auctorem gloriæ pertinet, extra ac supra illam naturam est, ac supernaturale *theologice* tale vocatur, eo quod Theologi præcipue spectant Deum ut gratiæ gloriæque auctorem, et quidquid ad Dei visionem

— Porro, ut breviter hanc divisionem quæ in re nostra potissima est describam, το Supernaturale *philosophice spectatum* bifariam dividi potest prout distinguitur in Supernaturale *physico-dynamicum* et in Supernaturale *ethicum*. Prius membrum continet illa dona quæ sive substantia sive modo transcendunt exigentiam et vires naturæ omnes, at nullum *ethicum* sive *moralem* effectum per se producunt. Contra το Supernaturale philosophico-morale complectitur ea dona sive adjutoria quæ vi sui non pertinent quidem ad unionem cum Deo quidditative sumpto, sed nihilominus dantur ad perficiendam proxime ipsam voluntatem atque adeo ad ordinem ethicum pertinent. Juxta hanc divisionem Ordo supernaturalis philosophice

intuitivam conducit.— Ens supernaturale *philosophice* spectatum est quod excedit omnes vires substantiæ limitatæ cujuscumque, atque hinc simpliciter indebitum est naturæ. Vires substantiarum vel sunt activæ vel cognoscitivæ vel exigitivæ Has omnes excedere debet ens, quod supernaturale dicitur : 1°, quidem *activas*, quatenus nulla substantia limitata, viribus propriis et cum solo concursu Dei generali, potest producere ens supernaturale : 2°, *cognoscitivas*, quatenus intellectus limitatus viribus propriis ens supernaturale non potest quidditative, certo et infallibiliter cognoscere; quandoquidem cognoscibilitas rei quidditativa est proportionata illius entitati, atque hinc sicut entitas sic etiam cognoscibilitas naturam superat : 3°, *exigitivas* tum physice tum moraliter; quatenus nulla substantia limitata potest exigere quid supernaturale tanquam essentiale vel proprium aut perfectivum naturale sibi debitum: neque ullum naturale meritum aut dispositio proportionem aut exigentiam habet ad præmium supernaturale. Inde vero constat, ens quod est supernaturale, naturæ nec deberi ut effectum, nec ut objectum cognoscibile, nec ut partem essentialem aut integralem, nec ut connexum quid aut præmium. — De Ente autem *theologice supernaturali* quod per se pertinet ad unionem cum Deo quidditative sumpto sic loquitur. — « Deus *quidditative* sumptus est Deus acceptus prout in se est adeoque ut auctor naturæ et gloriæ : unio cum illo possibilis vel est *physica* ac *substantialis* et dicitur unio hypostatica; vel *intentionalis* et *accidentaria* et vocatur beatitudo seu vita æterna per visionem scilicet intuitivam, amorem et gaudium beatificum. Potest autem aliquid ad hanc unionem pertinere vel formaliter ac identice, uti sunt ipsa unio hypostatica et fruitio beatifica : vel tanquam principium immediatum, uti est lumen gloriæ : vel tanquam principia mediata, uti sunt Sacramenta, habitus infusi, gratia, actus salutares : vel tanquam effectus, uti sunt dotes gloriosæ etc. Cum ergo Deus naturam omnem limitatam excedat, et ut auctor gloriæ et ut in se spectatus, consequens etiam est ut quod ex perfectione sua intrinseca ad eum pertinet ac refertur, superet naturam, ex ejus statu sit elevatum, atque divinæ naturæ propius fiat, seu ut Auctores sacri loquuntur, communicet. » — *De Virtutibus theologicis*. C. I, n. 2-4.

spectatus ex parte sua *physico-dynamica* continet, in prima hominis conditione, immunitatem a morte, dolore et ærumnis : in præsenti vero Providentia complectitur opera miraculosa sive cosmica sive psycologica seu Prophetias, donum inspirationis ad scribendum ac gratias gratis datas omnes : huc etiam referri potest Revelatio, seu exterior propositio veritatis per Deum. Ordo autem supernaturalis philosophice spectatus, ex parte sua *morali* complectitur in prima conditione immunitatem a concupiscentia et arbitrii ac facultatum superiorum supra inferiores dominatum : in præsenti vero Providentia, continet gratias medicinales entitative quidem naturales sed modo supernaturali et indebito collatas quibus in natura lapsa remote, per modum removentis prohibens, ut ajunt, disponitur negative et remote homo ad justificationem, in observandis difficilioribus præceptis legis naturæ ac tentationibus magis arduis devincendis ; verbo auxilia supernaturalia quælibet quæ ex se tendunt quidem ad conferendam homini moralem rectitudinem ejusque voluntatem perficiendam, non tamen ei proxime ac formaliter communicant divinæ naturæ consortium — Ordinem vero supernaturalem *theologice acceptum* instaurant dona illa sive substantia sive modo exigentiam et vires causarum secundarum excedentia quæque ex natura sua immediate tendunt ad conferendam homini unionem cum Deo et participatam communicationem naturæ divinæ : sive hanc ei conferant substantialiter, ut unio hypostatica; sive intentionaliter et accidentarie, ut lumen gloriæ, Sacramenta, gratia tum actualis, tum habitualis. — Jamvero in Ordine supernaturali *theologice* accepto sive in ista unione animæ cum Deo quidditative sumpto et maxime omnium in beatifica ejus visione et indissolubili caritate OEconomiæ Supernaturalis apex continetur ac potissima ratio (1), ut notat inter alios Em. de Lugo dum varias

(1) « Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem

de essentiali Ordinis Supernaturalis caractere Doctorum opiniones explorat. « Et quidem, ait Em. Theologus postquam dixerat in *participatione divinæ Essentiæ* propriissimum τοῦ Supernaturalis constitutivum esse reponendum, magnum nobis suppeditant fundamentum sacræ litteræ, quæ nostram supernam beatitudinem et seriem supernaturalium donorum significant sæpe eisdem nominibus quæ tribuuntur divino Verbo *recipienti formalissime naturam divinam sub ratione naturæ et intellectionis essentialis* ex vi suæ processionis. Dicitur quippe homo per hæc dona nasci, generari aut regenerari a Deo, esse filius, esse similis, esse imago Dei, consors divinæ naturæ et Deus ipse, quæ omnia manifesto sonant *communicationem aliquam in natura ipsa divina secundum rationem propriam et quasi specificam illius*, quantum communicari fas est. » (sc. *subjecto finito*) (1). — Præclare etiam istam Scholæ christianæ totius mentem de formalissimo Supernaturalis Ordinis charactere prout hic reponitur in unione animæ cum Deo quidditative sumpto ac participata *divinæ Naturæ communicatione*, sic paucis contrahit Lessius : « Dicitur Deus, ait, pater noster 1. ratione naturæ, quia nos ad imaginem et similitudinem suam formavit : 2. dicitur pater noster in oratione dominica et passim in novo Testamento ratione donorum gratiæ : nempe fidei, spei, charitatis : per quæ dona adhuc magis et sublimius ei assimilaremur; et maxime ratione Spiritus divini, qui cum his doni communicatur ut nos inhabitet et sua præsentia sanctificet, protegat, gubernet etc. Et hac ratione efficit nos filios adoptivos; *nempe communicando nobis suam naturam* et suum spiritum per donum gratiæ,

divinam per virtutem fidei et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem caritatis, ita etiam per naturam animæ participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam regenerationem sive recreationem. » *Summ. Theol.* 1ª 2æ, q. 110, art. 4.

(1) *Theol. Schol.* P. I, D. 7.

cui dono suum spiritum quasi annexuit... Filiatio enim oritur ex quadam naturæ communicatione : 3. dicitur pater noster ratione donorum gloriæ, per quæ perfectissime et altissimo modo ei assimilamur; adeo ut altior et maior similitudo realis et intrinseca cum Deo esse nequeat. Per illa dona plane in nobis completur filiatio divina, quæ per creationem fuit quasi inchoata in radice, per iustificationem provecta in gradum altiorem et supernaturalem : tandem in glorificatione provehitur in statum altissimum et plane deiformem et omnino completur. Hoc modo omnes beati dicuntur filii Dei et Deus dicitur pater futuri sæculi (1). » Et alibi recensens multiplices modos juxta quos humana mens Deo uniri potest, ita scribit. « Tertius modus unionis est per fidem, spem et potissimum per caritatem seu per gratiam justificationis. Per fidem Deus mentibus nostris exhibetur et quodammodo præsens sistitur. Per spem illi innitimur. Et per caritatem intime ac filialiter ei coniungimur : per hanc enim ita nobis communicatur et unitur Spiritus sanctus seu ipsa divinitas, ut ex hac unione efficiamur filii Dei tamquam participes effecti divinæ naturæ (2). » Hucusque Lessius.

9. Hactenus de Ordine supernaturali *stricte sumpto*. — Ordini autem supernaturali affinis est ordo quem vocant *extramundanum*. Nimirum præter effectus sensibiles quos efficiunt naturalia agentia quibus constat visibilis hic mundus, cogitari etiam potest multiplex phænomenon et operum genus quæ producuntur ab entibus immaterialibus hominibus ac natura reliqua universa superioribus. Hæc porro opera ex se insitæ ejusmodi immaterialium substantiarum facultati proportionata sunt : cum tamen hominibus prorsus stupenda et extraordinaria appareant atque

(1) *De div. nominibus*, L. II, c. 6.
(2) Ib.L. III, c. 1.

aliunde nequeant, in actuali Providentia, Spiritualia agentia in visibilem mundum suas vires *libere* et quasi *ordinarie* exercere : hinc talia portenta vocantur haud raro, laxo sensu, *supernaturalia*. Quo casu, uti patet, vox *Supernaturalis* opponitur *Naturali* quatenus hujus vocabuli ambitu comprehenditur quidquid contingit juxta normas *consuetas* quibus suam activitatem exserunt *mundi adspectabilis* agentia. — De his autem *extramundanarum* causarum operibus fusius postea dicemus.

10. Proprium Ordinis tum naturalis tum supernaturalis conceptum descripsimus. Porro præter ordinem stricte supernaturalem, distinguunt etiam theologi ordinem *præternaturalem*, qui præcedenti maxime affinis est. Hunc autem constituunt dona tam physica quam ethica rationali creaturæ non quidem debita, sed quæ tamen illam ad superiorem statum et divinæ naturæ consortium per se non elevant. Huc referunt charismata illa quibus ornabatur homo in statu *integritatis*, scilicet immunitatem a concupiscentia, a necessitate moriendi, ab ærumnis et ignorantia (1). — Nonnulli etiam sunt qui ipsa miraculosa eventa nomine *præternaturalium* vocant.

11. Hæc satis esse possunt in adumbranda, prout argumenti nostri consilium ferebat, objectiva ordinis tam naturalis quam supernaturalis natura et amplitudine. Dictis vides quisnam proprie locus sit Miraculo in ordinis universalis œconomia. Directe quippe ac vi sui, juxta partitionem modo allatam, pertinet ad Ordinem Supernaturalem philosophice spectatum sive dynamicum ac mediam sedem occupat inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem formalissime sumptum, quem *supernaturalem theologicum* diximus, quique continetur ipsa divinæ vitæ et essentiæ participata communicatione animæ ratio-

(1) Cf. Schrader, *Op. cit.*, 201 sqq.

nali facta. Inde porro est quod accuratam rerum notionem negligunt qui ordinem supernaturalem cum ordine miraculoso commiscent et Supernaturale in miraculo simpliciter reponunt, nulla addita distinctione (2). — Sed et

(1) Optime hanc confusionem retegit Apologeta insignis Cl. Matignon qui Miracula nomine *eventuum præternaturalium* appellat. « Professerons-nous, inquit, avec un écrivain de nos jours, que le Surnaturel c'est le *miracle,* c'est-à-dire un acte particulier de la Divinité, venant s'insérer dans la série des événements du monde physique ou psychologique, et dérangeant le cours des faits en vue d'un gouvernement spécial de l'humanité? (M. Renan, *Etudes d'hist. relig.,* p. 137, note.) Les principes établis précédemment montrent combien cette explication est fausse et incomplète. L'auteur qui l'a proposée et tous ceux qui pensent comme lui sont demeurés en chemin; ils ne se sont point élevés à la hauteur nécessaire pour contempler cette idée dans sa lumière pure. Que l'on aille par la pensée jusqu'à cette fin sera ajoutée à la fin naturelle, dont nous avons compris la possibilité. C'est à elle qu'appartient en propre le caractère surnaturel, c'est de là qu'il rayonne sur toutes choses... En d'autres termes, la vision intuitive de Dieu, les moyens d'y parvenir, les différents degrés qui y conduisent, voilà, dans son ampleur, l'ordre surnaturel. Ainsi il y aura des vérités surnaturelles, c'est-à-dire que l'homme ne peut connaître par ses propres forces, qu'il a besoin de croire pour arriver à sa fin, et dont Dieu s'est chargé de l'instruire. Il y aura une révélation surnaturelle, c'est à-dire la proposition authentique de ces vérités. Il y aura des opérations surnaturelles, qui seront le signe certain auquel on reconnaîtra la parole divine. Et, par rapport à chaque homme, il y aura des actes surnaturels, méritoires, de près ou de loin, de la récompense promise par l'Évangile; une grâce surnaturelle, c'est-à-dire un secours transitoire de Dieu pour accomplir ces actes, ou encore un état permanent, une manière d'être habituelle de l'âme, qui y dispose et qui donne droit au bonheur éternel. Cette explication achève de circonscrire la notion qui nous occupe; mais en même temps on doit s'apercevoir qu'elle la renferme dans des bornes plus étroites. En effet le mot de surnaturel a deux acceptions, une plus large et une autre plus stricte; pour éviter la confusion il faut soigneusement les distinguer. A prendre les choses en elles-mêmes, un fait pourrait être en dehors des exigences et des lois de la créature sans avoir aucune relation avec le terme final de la vision béatifique; à quel ordre ce fait appartiendrait-il? Dans le sens large, il est surnaturel, mais la théologie afin de ne pas mêler ensemble ce qui doit être séparé introduit ici un nouveau terme : elle appelle ce phenomène *préternaturel,* comme pour faire entendre qu'il est en dehors la nature, sans pourtant entrer précisément dans un autre ordre. Tel est le miracle considéré en lui-même. Tels sont encore plusieurs privileges que nous croyons avoir été accordés à nos premiers parents. Mais *extrinsequement* le préternaturel se relie souvent à l'économie surnaturelle, par exemple le miracle peut être opéré dans l'intention de prouver la religion ou d'en faire adopter la pratique; de même les privilèges dont nous parlons avaient été attachés à la conservation de la grâce, ils formaient comme un glorieux appendice de l'état d'innocence. Il n'y a dans tout cela ni contradiction, ni confusion, chaque chose

aliunde etiam distinguuntur ordo supernaturalis universim sumptus et ordo miraculosus. Nam, ut fusius postea dicemus, Miraculosa eventa non tantum involvunt directam primæ causæ interventionem; sed præterea, postulant ut talis interventio nonnisi *extraordinarie* contingat, hoc est præter communem et statutum in præsenti Providentia ordinem. Id enim exigit essentialis eorum finis qui in eo continetur ut hominibus *speciale* divinorum consiliorum manifestativum afferant, quod nonnisi eventu extraordinario et insolito exhiberi potest. Contra vero Ordo supernaturalis formalissime spectatus subest *legibus generalibus et ordinationi cuidam stabili* juxta quam divinæ vitæ et naturæ participatio rationali creaturæ communicatur : ut cernere est præprimis in Sacramentorum institutione et justificationis œconomia universim (1). — Atque inde factum est ut Miracula referamus ad illam partem Ordinis Supernaturalis philosophice spectati quam diximus Ordinem *physico dynamicum,* dum ordini Supernaturali propriissime dicto sive *theologice considerato* adscribimus illam Elevationis œconomiam quæ *statutis et generalibus normis* attemperatur.

III.

STATUUNTUR PRINCIPIA GENERALIA DE FIDEI COGNOSCIBILITATE AC DIVINÆ REVELATIONIS CRITERIIS.

1. Statim ac menti sistitur hypothesis divinæ cujusdam Revelationis sive *manifestationis veritatis per Deum* ex

reste à sa place et concourt à la beauté de l'ensemble ; il faut seulement distinguer ce qu'elle est par nature et le rôle qu'elle est appelée à jouer dans l'harmonie générale. » *La question du Surnaturel,* p. 154.

(1) Cf. R. P. Kleutgen, *Theologie der vorzeit,* T. II, p. 9.

surgit suapte natura quæstio de istius Dei communicationis cognoscibilitate seu de Revelatæ Doctrinæ criterio. — Et re quidem vera veritates quæ a Deo hominibus *revelari* ponuntur aut objective naturales sunt, quorum cognitio *physice* quidem nativis humanæ mentis facultatibus proportionata est, licet propter varia generis impedimenta genus humanum in communi spectatum ad earum notitiam de facto non perveniret nisi vel speciali aliquo Providentiæ naturalis adjutorio excitarentur ac dirigerentur hominum mentes vel etiam supernaturali Dei Revelatione instruerentur : aut ad intima divinæ Essentiæ arcana vel ad libera summi Numinis et ineffabilia consilia pertinent ac proin ex se totis humanæ rationis captum absolute excedunt. Utroque autem casu, ut homo certus sit revera Deum sibi esse loquutum ac veritatibus ab illo propositis fidem proprie dictam præstet, profecto requiritur signum indubitabile ex quo omnibus constare possit de divinæ Revelationis existentia (1). Atque hæc quidem assertio quæ universaliter vera est potissimum etiam obtinet ubi revelata doctrina tales veritates continet quæ ex se sunt inevidentes ac proprio *mysteriorum* nomine veniunt. His enim, cum *ab intrinseco* obscuræ sunt ac indemonstrabiles, antequam assensum supra omnia certum exhibeat rationalis creatura, summo suo jure expostulabit ut *extrinseco* eoque certissimo argumento probentur. Itaque in hypothesi Doctrinæ Supernaturalis quæ hominum fidei proponitur, exquiritur ceu prævia ac necessaria conditio, demonstratio ipsius facti Revelationis divinæ.

2. Porro primariam illam Rationis humanæ cum divina fide analogiam quæ continetur demonstratione *Credibilitatis Religionis* Ecclesia usque agnovit ac vindicavit. Notissima,

(1) Cfr de divinæ Revelationis necessitate ac tota Demonstrationis christianæ œconomia præclare disserentem cl. D. Jungmann, *Demonstratio Christiana*. P. I. C. I et II.

ut cætera mittam, S. Ambrosii verba : « Fides probari potest et ei adversantium tela excuti possunt : at morale est omnibus, ut qui fidem exigunt fidem adstruant (1). » Nec secus Augustinus : « Utique vides aliquid, ait, ut credas aliquid et ex eo quod vides credas quod non vides (2). » — Ex scholæ autem magistris satis fuerit citasse magnum Aquinatem : « Non enim crederet (christianus) nisi videret ea (dogmata) esse credenda, vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid hujusmodi (3). » Dilucide etiam Suarez : « Ante fidem necessarium est velle credere et ante hanc voluntatem necessarium est judicium quo voluntas inclinatur ad volendum credere, quod non est aliud nisi judicium de credibilitate. Ergo vel judicium illud est certum vel incertum : si certum est, est etiam evidens; si autem est incertum, non est sufficiens ad credendum (4). » Huc etiam retuleris damnatam ab Innocentio XI propositionem 21 : « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidet ne non loquutus sit Deus. »

Hactenus assertum est fundamentale principium a quo pendet omnis de Revelatæ et supernaturalis Doctrinæ cognoscibilitate quæstio, ac simul prævium primumque rationis ante fidei susceptionem munus et officium. Jam videndum quibusnam ex signis sive ut aiunt *Criteriis* homo certo dijudicare valeat utrum doctrina pro divina proposita revera talis habenda sit.

5. In primis commemoranda venit opinio Rationalistarum tam veterum quam recentium, Criterium veræ

(1) *In Lucam* L. II. C. 1.

(2) *De Verb. Evang.* sermo 126, n. 3.

(3) *Summ. Th.* 2ª 2æ, q. 1. art. 4.

(4) *De Fide.* D. 4. S. 2. n. 4.

Religionis in ipsa Doctrinæ excellentia, *prout hæc ex solo lumine rationis dijudicatur*, esse quærendum. Ita sensere inter alios ex Schola Deistarum anglorum Herbert, Hobbes, Toland, Staftesbury, Dodwell quorum commenta refert Cl. Denzinger in eruditissimo suo opere *de Religiosa Cognitione* (1) : Neque aliter B. Spinoza cujus hæc sunt verba : « Ad miracula quod attinet, scribit, mihi contra persuasum est, divinæ revelationis certitudinem sola doctrinæ sapientia, non autem *miraculis*, hoc est ignorantia, adstrui posse (2). » — Concinit J. J. Rousseau qui sic de criteris veræ Religionis scribit : « Le premier, inquit, le plus important, le plus certain de ces caractères se tire de la nature de la doctrine; c'est-à-dire de son utilité, de sa beauté, de sa sainteté, de sa vérité, de sa profondeur et de toutes les autres qualités qui peuvent annoncer aux hommes les instructions de la suprême sagesse et les préceptes de la suprême bonté. Ce caractère est, comme je l'ai dit, le plus sûr, le plus infaillible; il porte en lui-même une preuve qui dispense de toute autre : mais il est le moins facile à constater; il exige, pour être senti, de l'étude, de la réflexion, des connaissances, des discussions qui ne conviennent qu'aux hommes sages, qui sont instruits et qui savent raisonner (3). » Huc etiam referendi Rationalistæ tam biblici quam critici. Sic Semler (4), Kant (5), Fichte (6) e morali sive ethica Doctrinæ conditione de ipsius veritate vel falsitate pronuntiandum jubent. In objectiva etiam Doctrinæ tam speculativæ quam moralis consideratione criterium de illius

(1) *Ueber der Religiose Erkenntniss*. T. II, p. 291, sqq.

(2) *Ep.* 21 *ad Henr. Oldenburg*.

(3) *Lettres écrites de la Montagne*. Lettre 3.

(4) *Von freier Untersuchung des canons*. I, p. 39.

(5) *Streit der Facultaten*, p. 103. — *Religion innerhalb der gränzen der blossen vernunft*, p. 89.

(6) *Kritik aller offenb.* pp. 78 sqq.

veritate reponunt Wegscheider (1), Schultess (2), Gabler (3), Bretschneider (4), de Wette (5), Strauss (6) aliique permulti. Equidem nonnulli ex iis Germaniæ rationalistis biblicis, nonnihil etiam Miraculis concedendum dicunt, in ratione criterii. Verum si altius eorum mentem scrutatus fueris neque verbis inhæseris quibus sensa tegunt, videris illis miracula nihil aliud esse nisi portentosa naturæ opera quæ a viris præcipuæ virtutis eduntur ut sibi favorem concilient et efficacius veritatem moralem inculcent.

4. Aliis vero, post Lutherum (7), Zwinglium (8), Calvinum (9), præplacet veræ religionis Criterium figere in psycologico quodam affectu sive mentis et cordis testimonio : quod varia ratione tenuere Pelt (10), Schelling (11), Scheiermacher (12), Rosenkrans (13), Jacobi (14), Fries (15), ac nuper Edm. Scherer (16).

5. Tandem neminerim ultrasupernaturalistas qui ex variis quæ passim ab Apologetis adhibentur Fidei criteriis probabilitatem tantum de Revelationis facto comparari autumant, non veram certitudinem, atque ex sola fide veræ Religionis notitiam demum acquirendam esse jubent.

(1) *Institut. Theol. Dogm.* § 50.

(2) *De uno planissimo plenissimoque argumento pro divinitate disciplinæ ac personæ Jesu, ex Joh.* 7, 17. Tur. 1828.

(3) *Ueber die Methodik der Wunderbeweis.* Th. Journal X, p. 637.

(4) *Dogmatik*, I, § 26.

(5) *Religion und Theologie*, p. 232.

(6) *Glaubenslehre*, § 21.

(7) Cf. *Kirchenpostillen* XI, p. 1338.

(8) *De vera et falsa religione*, T. II, p. 195.

(9) *Instit. Christ.* L. I, c. 7, § 1-5.

(10) *Der Kamp aus den Glauben und die relig. parteien unserer Zeit.* p. 92. Kiel. 1837.

(11) *Methode der Akad. stud.* p. 202.

(12) *Glaubenslerhre*, § 11, n. 5.

(13) *Liter. Anzeiger.* 1831, n. 68.

(14) *Von den Göttlichen dingen.* Leipzig 1811 passim. *Introduct.*

(15) *System der Philosophie.* Leipzig 1804.

(16) *Mélanges de critique religieuse.* Paris 1860, p. 11 et passim.

Sic, quamvis non unam in ea re sententiam tenuerit, aliquando opinari visus est Ill. Huet (1) et recentius etiam D. Bautain (2).

6. At vero *interna criteria* quæ primo recensuimus, minime sufficere valent ad factum Revelationis et divinam religiosæ doctrinæ originem certo demonstranda.

Et primo, neminem fugit quam falso divinitatis doctrinæ argumentum ponatur in ejus perfectione, prout rationis lumine recognoscitur. Sane vera ac divina Religio altitudine dogmatum et moralium præceptorum sanctitate præ omnibus eminere debet et conspicua ratione suam excellentiam patefacere. Nequit tamen *subjectivum* et *positivum* Revelationis criterium in illa Doctrinæ excellentia constitui. Nam in primis aliud est religionem aliquam sua altitudine et sanctitate præ omnibus commendari : aliud ipsam vere esse divinam. Ut enim aliquis sive de theoreticis dogmatibus, sive de moralibus ac practicis præceptis certo affirmet ea pro divinis esse recipienda, procul dubio ipsam Essentiæ divinæ comprehensivam seu adæquatam notitiam habere deberet. Quare ex objectivis doctrinæ qualitatibus nonnisi possibilitatem vel ad summum probabilitatem divinæ illius originis deduxeris. — Sed non posse in ea Doctrinæ perfectione revelatæ Religionis supremum criterium reponi, patet 2°, ex eo quod tale medium cognitionis minime foret peremptorium et efficax. Nam de doctrina, pro suis cujusque opinamentis, alii aliter necessario sentient. Unde nullus concertandi finis in casu foret. Profecto, non facilius sit sententiam ferre de doctrinis moralibus et religiosis quam de philosophicis disciplinis. Verum quot inter mortales disputationes extitere et semper existent vel de primariis certitudinis philosophicæ capitibus. Certe nihil magis fluxum, nihil vicibus magis patens quam

(1) *Traité philosophique de la faiblesse de l'Esprit humain.* L. III, c. 7, coll. L. I, c. 8 et c. 11.

(2) *Philosophie du christianisme* II, p. 480 et passim.

opinamenta et speculativa ratiocinia. Quam veritatem, quod doctrinæ caput in discrimen non adduxit mobile et inquietum philosophorum agmen? Nullatenus igitur fieri potest ut Revelatæ doctrinæ authentia ex norma subjectiva et intrinseca dijudicetur sive ut ultimo dependeat ab hominum judicio. Atque illud maxime obtinet in doctrina religiosa quæ non tantum speculativa est, sed maxime in ethica hominis informatione ejusque arbitrii regimine consistit : nimis enim notum, quantum præjudicia et cupiditatis in rebus agendis mentis judicio influant. Quamobrem nullo plane pacto Religionis notitiam humanæ mentis æstimationi committere potuit sapiens Deus. — Ad hæc animadverte 3°, prorsus requiri ut criterium religionis quæ ab omnibus suscipienda est omnibus de facili patere possit. Jamvero doctrinam tum speculativam tum etiam moralem, dogmata inquam ac particularia morum præcepta dijudicare et expendere vix ac ne vix quidem sapientium sit, vulgo certe inaccessum et impervium. — Illud vero vel suo exemplo comprobat ipse J. J. Rousseau. Religionem Christi Evangeliique præcepta sublimitate maxima, sanctitate præcellenti eminere asserit. Expectas ut illam amplectatur homo suis theoriis constans? Mox illam pro incerto commento habet et ulteriori de re religiosa disquisitioni sese committit. Insigne testimonium de speculativæ ac puræ rationis infirmitate ubi de veritate et certitudine Religionis agitur! Ut nunc etiam omittam 4°, omnia quæ a Deistis de doctrinæ perfectionis Criterio exaggerantur proficisci ex eorum præsupposito ac falso principio, rationem unicam veritatis officiorumque regulam existere, ac religionem nullam præter naturalem esse agnoscendam.

7. Dictis minime opponendum consuetum esse apologetis ex doctrinæ Christianæ sublimitate argumentum ducere ad ejus divinitatem comprobandam. Nempe, ubi extrin-

secis et positivis criteriis demonstrata fuit Christianæ Religionis veritas et divina origo, optime *confirmari* illa potest, imo probabilissimo testimonio stabiliri ex sua tum speculativa tum ethica perfectione. Sed injuria inde deduxeris, in ea sola adæquatum ejus criterium jacere. Semper enim invicta obstat ratio, mysteria et arcana quibus Religio positiva constat ei solum certo ac definitive innotescere qui ipsius divinæ Essentiæ comprehensivam scientiam sive intuitionem habet. Ille igitur solus de objectiva doctrinæ religiosæ conditione *directe* et *adæquate* judicare poterit.

Hæc autem quæ modo diximus accipi debent, uti patet, de examine Revelationis *positivo*, quatenus illa tantum Doctrinæ capita pro veris admittuntur quorum veritatem ratio demonstrare potest. Ipsis enim catholicis probatur sententia de examine rationali dogmatum *negativo*, in quantum rejiciuntur ceu spuria et ementita commenta quæcumque certis rationis principiis manifesto opponuntur.

8. Sed multo minus, ut quisque perspicit, criterium de Doctrinæ veritate ac divina ejus revelatione poni potest in *gustu interno* sive *spiritus*, ut aiunt *testimonio*, quocumque tandum modo iste explicatur. Huc nostris diebus recurrit potissimum D. E. Scherer qui Jacobi sentimentalismum ad critices negativæ placita renovavit et inflexit. — Verum facile vides ejusmodi normam nihil objectivi habere atque, habita ratione ætatis, temperamenti, consuetudinum variam pro variis existere. Quod satis superque probant dissensiones quæ inter ipsos sentimentalistas perpetuæ sunt. Quare, si positivum Dogmatum examen judiciumque in adeo vacillanti criterio statuatur, procul dubio in apertum scepticismum mox erit deveniendum. Infelix hujusce rei argumentum dedit ille ipse qui istiusmodi criterium in re religiosa præ primis propugnavit cum a sentimentalissimo exorsus, mox in dubium invincibile ac tandem in

deplorandum pyrrhonismum præceps corruit (1). Cæterum 2° gustus internus, psycologica impressio ac suavitas ex se ipsis nonnisi phœnomena sunt inferioris animæ quæ regu-

(1) « La théologie moderne, ita D. Scherer, est partie de ce principe que *la religion étant moins une connaissance qu'un sentiment,* elle doit être ramenée à un autre critère que l'intelligence seule, et en second lieu, que la révélation, étant adressée à l'homme doit être faite pour lui, et par conséquent doit lui être accessible; en d'autres termes, qu'elle n'est vraie qu'autant qu'elle peut être comprise et qu'elle n'est religion qu'autant qu'elle répond à notre nature religieuse. » (*Mélanges de critique religieuse*, p. 11.) — Et paulo post : « La découverte *du sens intime des religions* appartient à la crise que je signale. » Le tout doit aboutir et aboutira certainement à un christianisme plus universel puisqu'il sera plus spirituel, à une religion plus religieuse, à un protestantisme plus conséquent. A mesure que le culte devient davantage un culte en esprit et en vérité, on comprend mieux qu'il y a salut hors de l'orthodoxie, comme il y a salut hors de l'Eglise parce que l'Evangile est quelque chose de plus grand que l'Eglise et que toute formule. » (Ibid. p. 29). Si vero quæras ab auctore quomodo ipsa Evangelii sive scripturæ divinitas atque inspiratio internoscatur : « Ce qui ne va pas à l'âme, inquit, ce qui n'éclaire, ne touche, ne sanctifie pas l'homme, ne saurait faire partie de la vérité religieuse. Cela n'est pas inspiré. » — Sed jam videndum quo istud sensus interni criterium ducat. Postquam animadverterat D. Scherer inumera in Scriptura ac Evangeliis contineri quæ divina minime sint, eo quod ceu talia interno sensui non revelentur, ita pergit : « Un fait se produit de nos jours, c'est l'antagonisme entre la foi et la critique. Nous ne pouvons renoncer à l'une sans abdiquer le bien qui n'est autre que la vérité même de la vie, et nous ne pouvons renoncer à l'autre sans tomber dans la superstition. En perdant la *foi* nous perdons notre âme; en abandonnant la *connaissance,* nous perdons la dignité d'êtres raisonnables. Et cependant la connaissance tend à dissoudre la foi, et la foi ne se maintient que par l'oubli ou le dédain de la connaissance, de sorte que nous sommes réduits comme Jacobi *à être chrétiens par le cœur et païens par l'intelligence.* » (Ibid. p. 184) Et paucis interjectis ita loquentem exhibet interlocutorem : « Peut-on voir avec indifférence disparaître les naïves croyances de la jeunesse, que dis-je? tomber les appuis de la vie morale? Que ne serait atteint de défaillance en présence des problèmes qui se posent, des ténèbres qui s'épaississent autour de nous?... Hélas! l'humanité se relève pour recommencer sa marche. Comme notre globe, avance-t-elle au moins dans l'espace en tournant sur elle-même, et si elle avance, vers quel but gravite-t-elle? — Montaigu s'arrêta. Je ne crus pas devoir répondre. Nous étions émus et nous nous quittâmes en nous serrant la main. Cet entretien m'a laissé un indéfinissable sentiment de tristesse. Je ne suis pas fait, je l'avoue, pour une époque de transformation intellectuelle comme la nôtre. Mes sympathies sont pour le passé et cependant, je le sens, il y a dans les choses humaines, une certaine pente qu'on ne remonte pas. Ainsi je me vois entraîné par les convictions de mon esprit vers un avenir qui ne m'inspire ni intérêt, ni confiance. » (p. 187.) — Inutilitatem dicti criterii ex citatis perspicis. In his vero consectariis conveniunt sentimentalistæ omnes atque ad illa logice deducuntur. Cf. egregiam commentationem R. D. Baunard in Diario : *Revue d'Economie Chrétienne.* Tome VII, p. 243.

lari et temperari indigent principiis superioribus : huic igitur affectui Dogmatum recognitionem ac divinæ Revelationis probationem subordinare, ordinis eversio foret. Addo 3° concipi aliquatenus posse, internum conscientiæ dictamen pro regula et criterio adhiberi Religionis mere ethicæ quæ cum primariis legis naturæ principiis connecteretur, atque in generalibus quibusdam præscriptionibus moralibus consisteret ; ad illas quippe æstimandas, plurimum profecto valeret conscientiæ rationalis criterium. At plane aliter habet, ubi agitur de Religione positiva, non modo præceptis generalibus constanti sed particularibus quoque officiis et maxime speculativis Dogmatibus. Quisque enim videt ad horum veritatem et divinitatem recognoscendam incassum adhiberi moralem atque internum istiusmodi sensum.

9. At præter utrumque quod meminimus criterium, quorum prius ad *intellectum*, alterum vero ad *voluntatem* proprie spectat, aliud etiam commemorandum criterium internum utramque simul facultatem complectens, quod primo a Bl. Pascal propositum, haud raro dein a nonnullis theologis usurpatum fuit (1).

Nimirum ex auctoris mente, triplici momento illud continetur : 1° ex morali hominis totius consideratione ostendit ruptam ac vitiatam esse humanarum facultatum et compositi totius harmoniam ; 2° inde necessitatem alicujus Redemptionis sive Reparationis colligit qua ejusmodi ruinæ reparentur homoque in pristinam revocetur dignitatem ; 3° hanc Redemptionis œconomiam, instituto examine doctrinæ tam speculativæ quam practicæ, in

(1) Nuperrime in docta Dissertatione qua philosophicum miraculosi ordinis conceptum elucidavit D. Humbert, Regius Borrussiæ consiliarius, illius basim logicam in notione ista de Reparationis necessitate constituere videtur, quam ex consideratione luctæ atque oppositionis (*die Disharmonie*) inter materiam et spiritum hominisque facultates inferiores et superiores existentis deducit. Cfr. *Ueber die Wissenschaftliche Begründung des Wunders.* – Oppeln ap. Tempeltey. 1867. pp. 15, et passim.

sola christiana religione comperiri asserit, atque inde ejus divinitatem infert (1).

10. Sed non multum theologis arrideat istud Pascalii criterium. Sane pro fundamento non habet nisi hypothesim satis incertam neque multum favorem in scholis consequutam. Præsupponit quippe naturam humanam ab intrinseco læsam et vulneratam in Adamo fuisse, atque in deterius juxta ipsa naturalia commutatam, ut corporales miseriæ, mentis debilitas et multiplex spiritus membrorumque luctа veluti *a priori atque seorsim a revelatione* certa originalis culpæ argumenta dicenda sint. — Sed hoc ipsum Theologi communiter rejiciunt. Certe Bellarminus (2), Suarez (3), Vasquez (4), antiqui Lovanienses (5) negant deteriorem esse præsentem hominis lapsi statum, si ipsum peccatum excipias quam foret in statu naturæ puræ, hoc est tum peccati tum gratiæ expertis. Unde D. Thomas corporales istas quas diximus miserias non argumenta positiva sed probabilia tantummodo indicia originalis ruinæ reputat. (6). Pro contraria quidem opinione stant quidam Augustiniani ac plures Thomistæ nonnullique alii Theologi, rari tamen et in diem rariores. Tenendum itaque arbitramur, ut verbis utar Vasquezii « hominem in pura natura et in natura lapsa solum differre sicut hominem *nudum* et *spoliatum* » (7) : arbitramur cum Suarezio quod

(1) Cf. *Pensées.* p. II. art. 5. n. 4.

(2) Ita loquitur : « Tametsi, inquit, calamitates humani generis fere omnes potuerint esse naturales, quod accidisset si Deus hominem in *puris naturalibus* condere voluisset, ex quo sequitur ut, remota divina revelatione, non posset certo statui corruptionem humanam pœnam esse peccati, tamen hac revelatione jam habita et fide in animis nostris accensa divinitus, non mediocriter ratio naturalis hoc corroborat... » *De amissione gratiæ et statu peccati.* »L. 6. c. 15.

(3) *De peccatis.* Disp. 9. sect. 5, n. 5.

(4) *In* 1ª 2æ *S. Thomæ.* Disp. 138. c. 2.

(5) Adesis Danes : *de peccato originali* § 6.

(6) *Summ. cont. Gentes.* l. IV. c. 52.

(7) Commentar. in 1ªn 2æ. — 2. 108. Disp. 185. n. 60 — Cui conferatur Disp. 138, c. 2.

« communis et vera sententia est naturales vires hominis, quoad *gradum* et *perfectionem* quam in statu *naturæ puræ* haberent, non fuisse diminutas in *natura lapsa* (1) » ut adeo præter amissionem justitiæ *debentis inesse* ex positivo Dei decreto, natura humana lapsa et natura humana in statu puræ naturæ prorsus consimiles existant, neque intrinsece vulneratus fuerit homo in naturalibus suis per Adæ peccatum. Quin corporales miserias, atque luctam inter carnem ac spiritum cæterasque vitæ præsentis ærumnas pro *naturalibus* consectariis unionis et mutuæ habitudinis utriusque substantiæ, spiritualis et materialis, reputamus. — Quamvis igitur, ad factum quod spectat, istæ miseriæ in homine obtinuerint ex peccato originis, ablatis per illud non modo gratia sed etiam justitia originali donisque præternaturalibus, *de jure* tamen ex iis vitæ præsentis ærumnis nequit *a priori* primitivæ ruinæ realitas certo deduci. Ergo neque ex illis *positive* Redemptionis necessitas colligi potest neque divinitas inferri Christianæ Religionis, in qua sola talis ruinæ reparatio reperiatur. — At multo minus roboris etiam habet prædicta norma quod in Baio damnata fuerit propositio 55 : « Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. » Quæ propositio generalis quidem est, at nihilominus talis ut, sua ipsius generalitate, ad præsentis status pænalitates insignes Theologi eam referendam esse jubeant (2). — Atque hæc satis esse possunt ut concludas dicto criterio non satis firmitatis ac favoris esse, ut ex illo ceu principe quadam norma Doctrinæ religiosæ veritatem ac divinam ipsius originem positive inferas.

(1) *Proleg. IV de Gratia.* c. 8.

(2) Adesis commentationem Ant. Casinii S. J. « *Quid est homo sive controversia de statu puræ naturæ.* Art. III, arg. II. Edidit Dr J. Scheeben Prof. Colon. Moguntiæ 1862, et speciatim egregiam editoris præfationem de propositionibus Bajanis : p. 13. Item D. Jungmann, *Op. cit.* p. 19.

11. Opus non sit, post ea quæ prævie notata fuere, pluribus dicere de ultrasupernaturalistarum sententia qui, multiplici ratione, ex sola Revelatione veræ Religionis certam notitiam comparandam esse asserunt. — Præterquam enim illa sententia nihil solvit quæstionem qua quæritur quonam facto ipsum Revelationis factum homini certo tandem innotescat atque adeo aut petitione principii aut vitioso circulo contineatur, satis etiam refutatur ex iis quæ antea statuimus de primo rationis officio in religionis negotio atque ex traditionis monumentis ibidem allatis.

12. Verum rejectis hisce in re præsenti erroribus, quænam tandem criteria erunt ex quibus certo inferri poterit doctrinæ divinitas sive ipsum Revelationis factum?

Nempe, ut accurate huic quæsito satisfiat, observa revelationis notas generalissime posse distingui in *positivas* ac *negativas*. Positivæ notæ illæ sunt quæ directe demonstrant veritatem et in casu divinitatem Doctrinæ quam afficiunt. Notæ negativæ evincunt doctrinæ nihil inesse quod ex ipso rationis lumine incompossibile appareat cum religionis divinæ notione et hypothesi. — Rursus Revelationis criteria sunt vel *intrinseca* vel *extrinseca*. Prioris generis sunt signa et attributa quæ ipsis veritatibus a Deo propositis inhærent; alterius autem generis illæ notæ censentur quæ hisce Religionis capitibus aliunde adveniunt, tanquam externa eorum divinitatis argumenta.

13. Porro criterium negativum quod præ primis attendi debet in doctrina quæ pro revelata exhibetur vel potius prima ejus conditio *sine qua non* in hoc reponendum est quod nihil in se habeat falsi, nihilve quod evidenti cuivis rationis scientiæque principio repugnet. Nam cum in hypothesi de divina Revelatione unus auctor ponatur rationis et Revelationis, illæ nullo pacto possunt sibi invicem esse oppositæ. Hinc damnata in Conc. Lat. V, a. 1513, opinio Pomponati qui putabat posse aliquid verum esse Chris-

tiano quod falsum haberet Philosophus. « Cum verum vero minime contradicat, ait Concilium, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus : omnesque hujusmodi erroris assertionibus inhærentes, veluti damnatissimas hæreses seminantes, per omnia ut detestabiles et abominabiles hæreticos et infideles, catholicam fidem labefactantes, vitandos et puniendos fore decernimus (1). » At cavendum ne vel pro certis assumantur rationis axiomata quæ probabilitatis tantum continentur limitibus; vel ut rationi ipsi repugnantes censeantur veritates quædam, quæ rationem superant quidem, eam tamen offendunt nequaquam. Cui examini faciendo præscribit ipsa ratio prudentiam modumque.

Nec minus requiritur ut Revelatio nulli morum præcepto certo opponatur, saltem tali quod in concreto de quo agitur casu, non admittat dispensationem. Si enim hanc non respuat, cum ipse revelans is sit a cujus voluntate legum obligatio proxime dependet omnis, absque dubio dispensare valet in aliquo casu a communi obligatione. — Quod si proposita doctrina cum ratione vel morum regula satis probabiliter videatur pugnare, nullumque aliud signum evidens adsit de ipsius divina origine, moraliter certum erit illam non esse revelatam. Assolet enim Deus suo testimonio talem addere lucem quæ de ejus authentia formidinem prudentem omnem depellat.

14. Hæc de criteriis *negativis*. — Jamvero criteria *positiva* in primis illa signa sunt quæ in religione revelata requiruntur ex positiva sua *convenientia* et conformitate cum idea quam vera philosophia tradit de summi Dei doctrinæ indole et natura; suntque doctrinæ utilitas, pulchritudo, sanctitas, altitudo, harmonia atque cætera ejusdem generis attributa.

(1) Cf. Denzinger. *Enchiridion*. Ed. 4a p. 219.

At hæc *intrinseca* criteria tam negativa quam positiva universa, si quis serio ea æstimet illaque non tantum inter sese, at potius cum ipso Revelationis facto conferat, quod proprium eorum objectum sit, nonnisi *probabilia* esse videbit, minime vero *peremptoria* et *certa* de Religionis veritate et cælesti ejus origine argumenta. Nempe vel cunctis simul existentibus, divinitas doctrinæ seu Revelationis existentia tanquam *possibilis* apparebit, nequaquam tamen *certo* comprobabitur, quod tum ex rei ipsius consideratione tum ex iis quæ antea adversus Rationalistas notavimus deduxeris.

Desideratur proinde, præter illa omnia criteria quæ diximus, certa probatio quod reapse Deus hominibus in casu sit locutus sive requiritur sensibile aliquod signum quo Deus ipse propositæ doctrinæ divinam originem sanciat. Cum enim, ut vidimus, nihil huc conferat vel objectiva Religionis pro divina exhibitæ indoles vel ejus præconum qualitates et conditio vel quidquid etiam præterea fingi possit : ut *certo* ac *positive* inferat quis Revelationis *factum*, ad signum quod virtualiter Dei testimonium et auctoritatem contineat erit tandem recurrendum. Tale autem Dei testimonium, respectu nostri, constare debebit hisce operibus *quorum Deus unice auctor esse possit.* Sed Dei operationes proxime dimanant, saltem nostro concipiendi modo, ex ipsius *omniscientia* atque *omnipotentia.* Hinc concludimus vera ac propria criteria divinæ Revelationis fore manifestationes divinæ scientiæ atque divinæ voluntatis, prout ex illis, tanquam ex formali et peremptorio argumento, Doctrinæ religiosæ divinitas et factum Revelationis nobis innotescere possunt. Atqui sensibilis divinæ omniscientiæ manifestatio, quatenus sumitur ut connexa, in ratione signi, cum veritate aliqua fidei nostræ exhibita continetur in propositione cognitionum *quas Deus solus habere ac communicare possit :* has autem proprie

Prophetias dicunt. Et rursum sensibilis manifestatio divinæ omnipotentiæ complectitur opera et signa *quæ, in concreto suo statu, causæ primæ actioni unice possint referri :* atque ejus generis opera *Miracula* vocantur. Prophetiæ igitur et Miracula *certa* et *positiva* Revelationis criteria sunt. Illa enim doctrinæ quam afficiunt ipsius primæ veritatis auctoritatem conciliant et suffragium plenamque circa cœlestem ejus originem procurant certitudinem. Quoniam autem ea criteria non fluunt ex subjecti revelationis sive hominis natura, sed fiunt præter exigentiam et supra vires naturæ totius, nec doctrinæ ipsi inhærent, sequitur Miracula et Prophetias *extrinseca* et *supernaturalia* criteria esse dicenda (1).

15. Porro eadem ista supernaturalis ordinis signa certis casibus *negativa* etiam Revelatæ fidei *criteria* esse possunt. Talia quippe eatenus dici possunt quatenus pro falsa et ementita habenda foret religio omnis quæ alii cuipiam doctrinæ, certis miraculis jamjam comprobatæ, vere foret opposita. Nequit enim verum multoque minus divinum esse quod adversetur Doctrinæ cujus divinitas ex signis certis evicta est.

16. Verum quæ antea descripsimus criteria tam positiva quam negativa, licet propriam divinæ Religionis demonstrationem non contineant, negative tamen et secundario ad illam optime assumi possunt, ut ex notatis manifestum est. Ut adeo, ad *confirmandam* doctrinæ divinitatem, jam ex miraculis prophetiisve *demonstratæ*, plurimum inserviunt considerationes de doctrinæ altitudine et harmonico tenore, de legati sanctitate, de honesto ipsius Revelationis modo, etc. Qua in re etiam observandum venit, quod ejusmodi conditionum investigatio non tantum ad ipsius religionis substantiam sit adhibenda, sed extendi debeat

(1) Cfr. de Revelationis criteriis Ex. D. Ledoux, Prof. Lovan. in cod. autogr. *Demonstr. Christ.* P. III. C. I.

ad singulas ejus partes, atque ad minutissima circumstantiarum adjuncta Doctrinæ de cujus divinitate inquiritur. Veram enim supernaturalemque Religionem, in singulis suis elementis ipsius Dei veluti signum atque sigillum quoddam præ se ferre oportet. — His de veræ Religionis Revelationisque divinæ cognoscibilitate atque vario Criteriorum genere prænotatis, christianam Traditionem de miraculi usu, in quo formalissime divinæ Revelationis facti et doctrinæ religiosæ divinitatis argumentum constituimus, referendam jam habemus.

PARS I.

DOGMATICO-POSITIVA.

CAPUT I.

CONSPECTUS SUMMARIUS CHRISTIANÆ TRADITIONIS DE USU MIRACULI IN REVELATIONIS DIVINÆ VERÆQUE RELIGIONIS ARGUMENTUM.

§ 1.

1. De vi probativa Miraculi in Fidei supernaturalis œconomia dicturi, ante omnia traditionalem et ecclesiasticum ejus usum in ratione criterii divinæ Revelationis exponemus. Porro inter argumenta, ut vocant, *traditionalia* de Miraculo, deque ipsius ad comprobandam Revelationis divinitatem vi et valore, prima ordine Bibliorum testimonia veniunt. Age, quod Revelationis divinæ historiam sub fœdere veteri attinet, recte dixeris duplex potissimum in ea momentum sive stadium distingui. Quippe conspicua inter omnes Mosi facta veritatum religiosarum communicatio atque imposita missio ut Genti Hebræorum dux et legislator existeret, qui datis a se institutis illam in populum Dei peculiarem segregaret ac constitueret : illustre quoque inter cætera Institutum Prophetarum ad hoc destinatum, ut jugiter Israelitas Dei voluntatem edocerent atque ad ejus mandatorum observationem revocarent. Jam vero sub utraque illa Revelationis sacræ periodo, constans hæc summi Dei ordi-

natio fuit ut doctrinam a se hominum fidei propositam miraculorum auctoritate comprobaret ac sanciret.

2. Atque Mosis quidem, quem primum, post Patriarcharum epocham, doctrinæ divinæ præconem ac Theocratiæ fundatorem Deus Israeli suscitavit, vita omnis inter prodigia transacta fuit, quibus religiosa ipsius missio omnibus innotesceret. Vix enim post celebrem illam Rubi ardentis Theophaniam, quæ muneri ejus publico initium attulit, tribus prodigiis, ut loquitur Perrerius in doctissimo suo supra Exodum commentario, « voluit Deus Mosem certum facere, et per ipsum Hebræos, quod ipse misisset eum ad liberandum populum suum eamque liberationem feliciter successuram. Primum signum fuit, virga quam manu tenebat Moses, conversa in serpentem et rursus in priorem virgæ naturam reducta. Alterum signum fuit, manus Mosis in sinum ejus missa, et inde prolata quasi leprosa et instar nivis : et rursus retracta in sinum, et extracta qualis prius erat : tertium signum tandem fuit, aqua fluminis in terram effusa et in sanguinem commutata (1). » Cum vero Pharao Ægypti tyrannus, Mosem populi sui liberum in patriam reditum deposcentem non audiret, promisit Deus ulturum se esse gentem suam et electi a se ducis auctoritatem splendidis signis declaraturum. Mox populum Ægyptiacum affligere cœperunt notissimæ istæ Ægypti plagæ, quibus fractus demum Pharaonis animus concidit : nempe ad jussum Mosis, aqua Nili in sanguinem versa, excitatæ per omnes ripas ranæ innumeræ, omni genere muscarum vexatus aer, peste horrenda afflicti Ægypti greges, grandine extinctæ segetes, ulcera toto corpore disseminata per Ægyptios propagata, locustis arborum fructus herbæque vorata, cœlum obductum tenebris, primogeniti Ægyptiorum per Exterminatorem Angelum perempti (2).

(1) *Commentar. in Exod.* prima disput ad C. IV. — (2) *Exod.* 8, 9. — Cf. Danko. *Historia Revelationis Divinæ* V. T. Vindobonæ. 1862, p. 122.

Brevi datus Israelitis in legislatoris verbo, per mare Erythræum transitus ac demersus Pharao eum universo exercitu (1). At rursum hisce signis alia subsequuta. Reducibus quippe ab exilio Hebræis, columna nubis adfuit, quæ illos a diei æstu noctisque tenebris liberaret (2). Huc quoque refer quæ narrat scriptura de manna quod Israelitis pluit in deserto (3), de aqua e silice Horebi excussa (4), de promulgatione legis Sinaiticæ altera, quum Moses de monte descendit vultu cælesti fulgore refulgenti (5), de gloria Domini et nube quæ apparuere supra Tabernaculum fœderis cui legis tabulæ et fœderis volumen commissa fuerant (6), tandem de serpente æneo languidos sanante per deserti viam (7). — Porro ethicum horum prodigiorum finem ipsa scriptura perspicue nos edocet. Pertinet huc notus ille Deuteronomii locus : *Oculi vestri*, ait Moses ad populum, *viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, ut custodiatis mandata illius quæ ego hodie præcipio vobis* (8). Et alibi rursum : *In hoc scietis*, inquit, *quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis et non ex proprio ea corde protulerim* (9). Hinc cum gravem adversus Mosem seditionem movissent Core, Dathan et Abiron, coegit ipse populus, atque ea lege componendam litem voluit : *Si consueta morte interierint, et visitaverit eos plaga qua et cæteri visitari solent, non misit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quia blasphemaverint Dominum.* Et referente Scriptura : *Confestim igitur ut cessavit loqui dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos eum tabernaculis suis et universa substantia eorum* (10). Haud minus clara verba quæ ipse Dominus habuit ad Mosem, ante solemnem decalogi

(1) *Exod.* 13. — (2) *Exod.* 14. — (3) *Exod.* 16. — (4) *Exod.* 17. — (5) *Exod.* 34.
(6) *Exod.* 40, *Num.* 7, 1. — (7) *Numer.* 2, 8. — (8) *Deut.* II, 7 sqq.
(9) *Num.* 16, 29. —(10) *Num.* 16, 28 sqq.

in monte Sina promulgationem : *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum* (1). Splendida etiam Mosis ad populum cohortatio quæ veluti Israelis historiæ summam complectitur : *Interroga de diebus antiquis..... si fecit Deus ut ingrederetur et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa atque portenta, per pugnam et robustum manum extentumque brachium et horribiles visiones juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto videntibus oculis tuis, ut scires quoniam Dominus ipse est Deus et non est alius præter eum* (2).

4. Nec secus miraculi in divinæ religionis confirmationem usus declaratur post Mosis tempora. Illustre nimis prodigium a Josue patratum. Ipse dum urbem Jericho oppugnabat populum ad ripas Jordanis consistentem ita alloquutus est : *Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia... Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem : et sacerdotes qui portabant arcani fœderis pergebant ante eum, ingressis que eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquæ tinctis* (*Jordanis autem ripas alvei sui, tempore messis, impleverat,*) *steterunt aquæ descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes apparebant procul.. : populus autem incedebat contra Jericho et sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat* (3). — Nota quoque Gedeonis fata. Is cum a Deo munus accepisset populum a Madianitarum jugo liberandi, ipsum rogavit : *Si inveni gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me.* (4) Et statim sacrificium quod paraverat igne cælitus misso consumptum est. Sed alterum signum mox postulavit judex dixitque ad Dominum : *Ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel*

(1) *Exod.* 19, 9. — (2) *Deut.* 4, 32 sqq. — (3) *Jos.* 3, 5, 15, 19. — (4) *Jud.* 6, 17.

tentavero, signum quærens in vellere, oro ut vellus siccum sit et omnis terra rore madens. Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat, et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra (1).

5. Sed valor miraculi ad fidei confirmationem maxime etiam intelligitur ex celeberrimo illo Prophetarum populi hebraici instituto. Hos quippe ad hunc finem Deus destinaverat ut omnia quæ ad promissum Messiam, populi ducem et liberatorem pertinebant, annuntiarent, litteris mandarent gentis historiam ac mores populi vel efformarent vel corrigerent et revelatæ legis et doctrinæ veritatem confirmarent (2). Jam vero in Prophetarum instituto illud quoque occurrit perpetuo, miraculis videlicet signisque fuisse eorum missionem, tum apud ipsos, tum apud alios declaratam atque sancitam. Nam immediate a Deo ad suum sublime munus deputabantur, Theophaniis nempe atque extasibus, ut singulorum Prophetiæ ab ipso sui initio passim præ se ferunt. Quin ipsa etiam ratio, qua divina arcana ipsis communicabantur, miraculo constabat. Nunc enim visione res agebatur quod Isaiæ (3), Ezechieli (4) et Zachariæ (5) sæpius contigit; nunc externa voce per aerem dilapsa, quemadmodum factum est cum Samuele (6). Sufficit vero attendere particularia eventa quæ ad sacrum Prophetarum munus spectant, ut pateat signa eorum omnia atque vaticinia ad veræ religionis confirmationem conduxisse universa. Nimirum

(1) *Jud.* 6, 39, 40.

(2) De prophetarum munere et ministerio videri possunt : S. Thom. *Summ. Theol.* 2u 2æi q. 171-174. — Cornelius a Lapide, *Proœmium in Prophetas.* — Calmet, *Dissertation sur les Prophètes.* — De la Luzerne, *Dissert. sur les Prophètes.* — Reinke, *Beitrage zur Erklärung des alten Testamentes.* II, p. 1.—Ex. Lamy. *Introd. in S. Script.* Pars II, l. 18 pp. 131 sqq. — *Diction. de Théol.* de Welte et Wetzer, art. *Prophètes.* — Meignan. *Les Prophetes Messianiques Introd.*

(3) *Iasias* cap. I. — (4) *Ezech.* cap. I. — (5) *Zachar.* cap. I. — (6) 1 *reg.* III.

sub regibus Saul, Davide et Salomone, cum fausta ac prospera religiosa res esset, miracula in veri cultus defensionem vix contigere. At statim ac Jeroboam, publica idololatriæ professione, magnam populi partem secum in schisma traxerat, rursum virtutum ac prodigiorum apparatu nutantem fidem divinitus roboratam conspicimus. Quippe regem diis jamjam sacrificantem et thus apponentem propheta convenit *et exclamavit contra altare in sermone Domini et ait : Altare, altare hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine et immolabit super te sacerdotes excelsorum qui nunc in te thura succendunt et ossa hominum super te incendet* (1). Prædictionis porro eventum paucos post annos completum novimus (2). — Sed quo major prophetæ verbis esset fides, ipse hoc dedit regi signum : *Hoc erit signum quod locutus est Dominus : Ecce altare scindetur et effundetur cinis qui in eo est.* Cum vero rex iratus jussisset prophetam apprehendi *exaruit manus ejus quam extenderat contra eum nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est et effusus est cinis de altari juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini* (3) : Paulo etiam postea, perseverante rege in falso Deorum cultu, cum ipsius uxor prophetam Ahiam adiisset, filii sui sanitatem postulatura, Ahias licet cæcus divino illustratus lumine reginam agnovit atque severissimæ prophetiæ verba protulit : *Ingredere, uxor Jeroboam : quare aliam te simulas? Ego autem missus sum ad te durus nuntius. Vade et dic Jeroboam : Hæc dicit Dominus Deus Israël.... Operatus es mala super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares.... Idcirco ecce ego inducam mala super domum Jeroboam. Qui mortui fuerunt de Jeroboam in civitate, comedent eos canes : Qui autem mortui fuerunt in agro vorabunt eos aves cœli...*

(1) 3 *Reg.* 13, 2. — (2) 4 *Reg.* 13, 2. — (3) 3 *Reg.* 13, 4-5 sqq.

Tu igitur surge, et vade in domum tuam... et in introitu pedum tuum in urbem morietur puer... Et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua, et evellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, et ventilabit eos trans flumen : quia fecerunt sibi lucos ut irritarent Dominum (1). Hæc autem omnia eventu probata.— Famosa etiam, in divinæ Religionis argumentum, Eliæ miracula. Scilicet eo usque impietatis devenerat rex Achab ut abjecto veteri cultu Prophetas trucidari præciperet. Mox Elias regi prædixit : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba* (2). At cum populus ob sterilitatem terræ plurimum vexaretur, rursum propheta ad regem : *Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui qui dereliquisti mandata Domini et secuti estis Baalim* (3). Ne vero finis miraculorum suorum quemquam lateret, provocavit Elias sacerdotes Baal ea lege, ut si, ipsis deprecantibus, ignis de cælo immissus appositas altari victimas prius consumeret, pro vero Deo Baal foret habendus : si prius combureretur Eliæ oblatio, Jehova causam vinceret. Inito igitur certamine, Propheta orabat : *Exudi me, Domine, exaudi me, ut discat populus iste quia tu es Dominus Deus.* Ac repente descendit ignis de cælo et combustæ fuere victimæ Eliæ. Quod cum vidisset populus, cecidit in faciem suam et oravit : *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus* (4). — Eliæ autem muneris prophetici et virtutum hæreditatem discipulus ejus Elisæus accepit (5). Mox potestatis suæ experimentum ille fecit, dum inter alia signa filium Sunamitidis vitæ restituit (6) ac Naaman Syri lepram sanavit, quo factum ut vir ille palam fuerit attestatus : *Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra nisi tantum in Israel* (7).

(1) 3 *Reg.* 14, 9 sqq. — (2) 3 *Reg.* 17,1. — (3) *Ibid.* 18, 18. — (4) 3 *Reg.* 18, 37 sqq. (5) 4 *Reg.* 10, 14 . — (6) 4 *Reg.* 4, 20 sqq. — (7) 4 *Reg.* 5, 15.

Plane etiam probativum miraculi valorem adstruunt Isaiæ gesta. Ille, idololatriæ progressus deflens, Deos Assyriorum ad æmulationem cum Jehova provocavit, ut sicut magnus ille Deus Israelis, ipsi quoque futura prænuntiare tentarent. *Annuntiate*, ait Propheta, *quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos : bene quoque aut male, si potestis, facite et loquemur et videamus simul.... Et vidi et non erat ex istis* (idololatris) *quisquam qui iniret consilium, et interrogatus responderet verbum : ecce omnes injusti, et vana opera eorum, ventus et inane simulacra eorum* (1). Egregium iterum Israelis fidei argumentum fuere tres pueri illæsi inter fornacis ardentis flammas reperti, quod in veri Dei confessione firmi persisterent, et regis Assyriorum imaginem recusarent adorare. Quo miraculo attonitus ipse Nabuchodonosor Jehovæ potestatem tandem agnovit et ad universum suum populum rescribi voluit : *Signa* et *prodigia fecit apud me Deus excelsus : placuit ergo mihi prædicare signa ejus et mirabilia ejus quia fortis : et regnum ejus Regnum sempiternum, et potestas ejus in generationem et generationem* (2). Simile prodigium contigit in Propheta Daniele qui, tempore Darii regis in lacum leonum præceps datus propter Dei Israelis cultum, post dies septem intactus comparuit. Darius vero per totum imperium edictum evulgavit : *Deus Danielis est Deus vivens et æternus in sæcula, et regnum ejus non dissipabitur et potestas ejus usque in æternum. Ipse liberator atque salvator, faciens signa et mirabilia in cælo et in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum* (3). Demum, ne excrescam, ipsum institutum Prophetarum continuum et insigne erat Miraculum, ad mosaicæ religionis confirmationem. Nam licet vaticiniorum eventus illico non pateret Judæis, sæpius tamen prophetiis de futuro interserebantur prædictiones

(1) *Isaiæ* c. 41, 23 sqq. — (2) *Dan.* 3. — (3) *Dan.* 6, 26.

aliquæ quæ infra principem eventum exitum habebant. Sic, inter alia multa, Nahum minatus est excidium Ninivæ, civitatis Assyriorum tunc opulentissimæ, quod vix septuaginta annis præterlapsis eventus comprobavit (1). Captivitatem etiam Babylonicam sexcenties a sacris vatibus prænuntiatam Danielis prophetiæ exceperunt. Idem quoque factum conspicimus in prophetia supra allata qua Domini Propheta Jeroboamo futuram populi captivitatem prædixit, morte filii in prædictionis confirmationem annuntiata et subsequuta (2). Consimili ratione prophetiam de venturo Messia ex instante Israelis liberatione comprobavit Isaias (3); item minas quas genti prævaricatrici denuntiaverat Jeremias, ex regum Joakim, Jechoniæ et matris ejus proxima internecione confirmavit (4). Hac autem Prophetici instituti œconomia factum ut vaticinia vaticiniis cohærerent atque ab invicem robur acciperent Deique promissa firmarent.

§ II.

1. Miraculorum virtutem, sub Fœdere veteri, perpetuo signum fuisse quo summus Deus suæ doctrinæ præconibus fidem faceret modo vidimus. Verum illustrior etiam illius virtutis manifestatio exhibenda hominum generi erat Novi Testamenti tempore, ubi Deus ipse, Verbum omnipotens in terris apparuit ac divinam doctrinam, non Prophetarum tantum ministerio sed suo ipsius ore palam edocuit. Sane Miraculorum effectio non modo confirmationi novæ Revelationis a Christo allatæ prorsus erat attemperata : sed ipsius quoque Incarnationis veluti naturale consectarium fuit. Quum enim in una Verbi persona conjungerentur hypostatico vinculo divina ac humana natura, consequens

(1) Cf. Reinke junior. *Zür Kritik der Alteren Versionen der Prophet Nahum.* Munster, 1867. In præfat.

(2) 3 *Reg.* 14, 9. — (3) *Is.* c. 6, 15 sqq. — (4) *Jerem.* 22, 18 sqq.

erat Christi operationes utriusque illius naturæ conditionem referre. Quemadmodum igitur, in ordine ethico, divinam suam naturam Christus commonstrabat dun hominum corda et voluntates, efficacissimo simul ac libero motu ad se attraheret atque ex vitiorum cœno ad veritatis fastigium Deique caritatem attolleret : ita, in physico naturæ ordine, Deum sese probabat cum opera patraret quæ absolutum dominium manifestabant in creationem universam, in mundum inorganicum et irrationalem, in creaturas spirituales, in tempus et spatium. Ut aliquo sensu rite dixeris non minus cum Incarnationis divinæ œconomia connexa fuisse miraculosa opera quam actus rationales cum hominis natura : hi animalis mente et consilio prædiți indolem revelant; illa divinam verbi personam propriissime ostendunt (1).

2. Porro opera Christi thaumaturgica ad hoc fuisse in primis edita ut argumentum ac certum criterium forent de missionis suæ doctrinæque veritate, ex positivo Christi oraculo non semel accepimus. Ita, interrogantibus eum Joannis Præcursoris discipulis, num esset vere Messias, respondens dixit illis : *Euntes renuntiate Johanni quæ audistis et vidistis : quia cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur* (2). Hinc cum inquirerent Judæi de legitimitate assumpti ab eo magisterii, fatetur in primis Dominus sibi apud illos suo testimonio satis non esse atque aliud requiri argumentum. *Si ego,* ait, *testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum;* h. e. interprete Maldonato ad h. l., solum meum testimonium vobis nequaquam sufficit, qui cum purum in me hominem cernitis, alias probationes jure quasi vestro postulatis. At

(1) Cf. Deutinger : *Renan und das Wunder.* Munchen. 1864, c. 9, pp. 157 sqq.
(2) *Luc.* 7, 22.

vero, pergit, aliud testimonium habeo de me, majus meo, imo majus testimonio Joannis quod vos plurimi facitis, nempe *opera, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa, opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* (1). Quin frequenter ipse Christus suæ doctrinæ fidem facturus, directe ad miracula sua provocat : *Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam* (2). Immo vero immunes a peccato Judæos futuros fuisse pronuntiat nisi vidissent signis certissimis ejus doctrinam confirmari. *Si non fecissem signa in eis quæ nemo fecit, peccatum*, inquit, *non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt me et Patrem meum* (3). Hinc volentibus eum lapidare Judæis, quod se unum cum Patre diceret, sua opera in doctrinæ argumentum illico appellat. *Si mihi non vultis credere, credite operibus, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est et ego in Patre* (4). Cum vero rei veritatem negare inimici non valerent, sed magis illum incusarent quasi in Beelzebut virtute mira opera patraret, ipse invincibili ratiocinio eorum versutiam confutavit ac simul splendide probativam miraculi vim extulit. Asserit quippe fieri non posse ut dæmonis opera patraret miracula quæ regnum ejus evertunt, non modo ipsum fugando ab energumenorum corporibus, verum etiam evertendo principatum ejus moralem, evangelicæ Doctrinæ annuntiatione. Concludit se spiritu Dei dæmonia ejicere, atque igitur divinam esse suam doctrinam : *Si ego*, inquit, *in spiritu Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* (5). Nec minus perspicue scopum signorum a se patratorum indicat ubi, resuscitato Lazaro,

(1) *Jo.* 5. — Cf. Maldonatum, ad h. l. — (2) *Matth.* 9, 6. — (3) *Jo.* 15, 24 sqq. (4) *Jo.* 8, 38. — (5) *Matth.* 12, 28. *Luc.* 11, 20.

hoc modo Patrem apprecatus est : *Gratias ago tibi quoniam exaudisti me : ego autem sciebam, quia tu semper me audis, sed propter turbam, quæ me circumstat, dixi ut credant, quia tu me misisti* (1). Sane non poterat Christus ethicam miraculi destinationem seu ejus in ratione veræ Fidei criterii probativum valorem luculentius declarare.

3. Novi Rationalistas nonnulla evangeliorum loca opponere quibus refertur Christum signa petentibus negasse, vel quod signis facere detectraret, vel etiam Judæis exprobaret ipsos non credere nisi visis miraculis, imo prohiberet quominus adstantes signa quæ in eorum gratiam factitabat divulgarent. At hæc omnia adjunctorum consideratione facile cum prioribus conciliantur. Quippe Christus miracula negabat, ut loquitur fere cl. Denzinger (2), iis qui incredulitate, vel curiositate vel etiam perverso animæ affectu ea postulabant. Reprehendit sæpius eos qui post edita miracula numero plura, alia etiam exigere præsumerent, neque sive ex superbia sive ex defectu animi perspectis jam signis cederent. Ita certe comparati Pharisæi isti exposcentes a Christo miraculum quod ipsis præplaceat, tale scilicet *quod in cælo fieret*, et exigentes ut natura universa votis suis accomodetur. At summus Deus pati non poterat ut sibi præscriberentur ab homine leges, quod supernaturalium auxiliorum concessionem spectat : præstat quod satis est ut homo sincerus veritatem agnoscere possit. — Porro verba quæ habuit Christus ad Regulum, cujus filius ægrotabat : *nisi signa et miraculi videant, non credunt* (3), licet aliquo modo favere videantur iis qui inficiantur agnitam a Christo fuisse demonstrativam miraculi vim in re fidei, optime tamen explicantur ex parrallelo loco Johannis ubi Christus apparens Thomæ, post resurrectionem, ei

(1) *Jo.* 11, 42. — (2) *Op. cit.* T. II, p. 324. — (2) *Joh.* 4, 46.

dicit : *Quia me vidisti, Thoma, credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt* (1). Nempe in loco utroque, quod vel ipse de Wette advertit, vis est in verbo *videre*. Conqueritur Christus, plures non credere nisi *propriis oculis* miracula videant, ut Regulus ille, ac simul reprehendit eos qui nonnisi in extrema necessitate ad Deum confugiunt. Quod vero spectat mysterium illud sive Christi consilium de occultandis nonnunquam suis prodigiis, hoc intellexeris si duplicem miraculorum finem observes, hominum quippe commodum temporale atque divinitatis doctrinæ confirmationem. Jam vero potuit Christus, prohibendo ne sua miracula ante novæ legis promulgationem divulgarentur, docere homines illa ad fidei evangelicæ *commune bonum* esse referenda, nec tantum ad illos spectare qui ipsorum testes essent vel Christi beneficio sanationem aliudve temporale emolumentum reportabant. Conjici etiam probabiliter potest, voluisse Christum cavere ne populus, ejus miraculorum admiratione captus ac ductus falsis suis de Messia terreno opinionibus, politicam aliquam rerum eversionem meditaretur. Quin vel ejus humilitas ad declinandam nimiam celebritatis famam illum adducere potuit ut modestiam animi non verbis tantum sed exemplo quoque suo doceret. Quandoque etiam, ad tempus silentium de eventu imperavit, ne veluti legis contemptor haberetur, ut dum leprosos quos miraculo mundaverat ad sacerdotes remisit. Quin ea agendi ratione, odium etiam declinavit Pharisæorum, quorum invidia perpetuo eum insequebatur, ne opus magisteriumque suum ante statutum tempus cogeretur intermittere (2) Nonnunquam vero miracula taceri jussit, inter homines pervicaces et incredulos (3). Quare in Galilæa et Judæa, prodigia sua latere voluit, ubi publica eorum notitia jam non exigebatur : contra in Peræa inter

(1) *Joh.* 20, 29. — (2) *Matth.* 12, 15, 16. — (3) *Marc.* 8, 26.

gentiles homines, non existente tanta periculi alea, vel ubi ad fidei negotium necessaria miraculorum revelatio erat, jubet possessos ex Gerasenis suam liberationem coram annuntiare (1) Atque eo pacto œconomia sapientissima usus, ordinabat Miraculorum evulgationem ut vergeret ad operis sui fines. Perperam igitur ex nonnullis Christi verbis concluderes Miracula, eo judice, infirmum divinæ revelationis criterium existere. Ita prælaudatus auctor (2). — Quam vani proin neoterici J. J. Rousseau (3), Wegscheider (4), ac novissime auctores Diarii *Essay and Reviews* (5), E. Renan (6), alii, qui ex diversa Christi, quod ejus signa attinet, agendi ratione, deducere non verentur ipsi pro mero gentis suæ præjudicio miracula fuisse, ut fere invitus, neque sine accomodatione aliqua, ut aiunt doctrinali, ad illa confugeret, ne suum magisterium, quod ipsi præ omnibus carum esset cogeretur derelinquere. — Sane vel dictis constat inseparabilem in Christo esse caracterem dogmaticum et caracterem thaumaturgicum : miracula ipse in doctrinæ confirmationem prænuntiat, patrat, appellat, verbo ex doctrinæ et miraculorum intima consociatione Evangelicæ Historiæ harmonia ac singulare ingenium exsurgit (7).

(1) *Luc.* 8, 39. — (2) *Op. cit.* T. II, p. 324.
(3) *Lettres de la Montagne*, P. I. Lettre 3. — (4) *Instit. Theol.* n. 48.
(5) Ap. Ill. Meignan *Les évangiles et la critique au* 19e *s.* p. 105.
(6) *Vie de Jésus*, p. 265.
(7) Pulchre auctor reformatus, D. de Pressencé, strenuus ac facundus Christi divinitatis defensor : « Jésus ne s'est pas borné à enseigner la vérité aux hommes, il a encore fait des miracles. Il n'est pas possible, comme on l'a essayé souvent, de séparer ces deux portions de son œuvre qui concurrent également à la réalisation de son plan. D'abord ses miracles font partie de son enseignement, car il les a constamment invoqués comme preuves de sa divine mission. Ensuite ses paroles sont étroitement attachées aux actes extraordinaires qu'il a accomplis ; sans cesse ceux-ci donnent lieu à ces discours et leur servent souvent de thème. Les enseignements et les miracles sont entrelacés en quelque sorte sous la trame du récit évangélique ; à moins de le mutiler de la façon la plus arbitraire, il faut ou les accepter ou les rejeter ensemble. C'est donc une tentative chimérique que de vouloir distinguer entre le maître de la sagesse et celui qu'on appelle le thaumaturge. Si les miracles sont faux ou inventés, la parole de Jésus qui les

4. Magistri sui vestigiis in modo confirmandi christianæ Doctrinæ divinitatem Apostoli institere. Ipsi quippe ut scribit Evangelista Marcus, *prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (1). Plane huc pertinent post conspicuam illam diei Pentecostis Theophaniam in descensu Spiritus sancti (2), sanatus a Petro et Johanne claudus in synagogæ Hierosolymitanæ porticu (3); effusa in neo-christianos varia spiritus sancti charismata (4); mendacium Ananiæ et Saphyræ eorum morte ad Petri verbum castigatum (5); liberati per angelum a carcere Apostoli (6); curatus a Petro Æneas paralyticus et vitæ restituta Tabitha (7); conversus ex Christi apparitione Paulus persequutor (8); conspicua visione comprobata

suppose perd toute autorité. » *Jésus-Christ, sa vie, son temps, son œuvre.* Paris, 1865, ap. Meyruies, p. 373. — Post hæc liceat ii hac notula subjungere specimen critices historicæ qua conatus est E. Renan thaumaturgicum Christi caracterem elevare. « Beaucoup de circonstances d'ailleurs, ait, semblent indiquer que Jésus ne fut thaumaturge que *tard et à contre-cœur*. Souvent il n'exécute ses miracles qu'après s'être fait prier, avec une sorte de mauvaise humeur et en reprochant à ceux qui les lui demandent la grossièreté de leur esprit. Une bizarrerie, en apparence inexplicable, c'est l'attention qu'il met à faire ses miracles en cachette, et la recommandation qu'il adresse à ceux qu'il guérit de n'en rien dire à personne. Quand les démons veulent le proclamer fils de Dieu, il leur défend d'ouvrir la bouche ; c'est malgré lui qu'ils le reconnaissent. Ces traits sont surtout caractéristiques dans Marc, qui est par excellence l'évangéliste des miracles et des exorcismes. Il semble que le disciple qui a fourni les renseignements fondamentaux de cet évangile importunait Jésus de son admiration pour les prodiges, et que le maître, ennuyé d'une réputation qui lui pesait, lui ait souvent dit : *N'en parle point.* Une fois, cette discordance aboutit à un éclat singulier, à un accès d'impatience, où perce la fatigue que causaient à Jésus ces perpétuelles demandes d'esprits faibles. On dirait, par moments, que le rôle de thaumaturge lui est désagréable, et qu'il cherche à donner aussi peu de publicité que possible aux merveilles qui naissent en quelque sorte sous ses pas. Quand ses ennemis lui demandent un miracle, surtout un miracle celeste, un météore, il refuse obstinément. Il est donc permis de croire qu'on lui imposa sa réputation de thaumaturge, qu'il n'y résista pas beaucoup, mais qu'il ne fit rien non plus pour y aider, et qu'en tous cas, il sentait la vanité de l'opinion à cet égard. » *Vie de Jésus*, p. 264. - Hactenus Gallus Academicus. Nescio utrum unquam critices scientificæ jura magis protrita et calcata fuerint quam in iis operis illius locis ubi de Christo thaumaturgo non modo impie sed misere et ridicule disserit.

(1) *Marc.* 16, 20. — (2) *Act. Ap.* c. 2. — (3) *Ibid.* 3. — (4) *Ibid.* 4.
(5) *Ibid.* 5. — (6) *Ibid.* 9. — (7) *Ibid.* 9. — (8) *Ibid.* 10.

prima Evangelii apud gentes promulgatio (1); Pauli prædicatio infinitis prodigiis confirmata. Hæc ipse Apostolus veluti summatim complectitur dum in sua Epistola ad Hebræos ita loquitur : *Quæ (salus) cum initium accepissst enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem* (2). » Splendida quoque verba quibus Evangelium suum claudit Johannes : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum quæ non sunt scripta in libro hoc.* Et pergit : *Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* (3). — Porro hæc de usu biblico et Apostolici ævi traditione, quod spectat miraculi in re fidei vim probativam, sufficere possunt.

5. Patres ac Scholæ Doctores Miraculi argumentum perpetuo adhibuisse ut Fidei Christianæ ac Supernaturalis Religionis divinitatem contra infideles et hæreticos evincerent, nimis explorata res est, ut tædium non faciam lectori, si illorum referam testimonia (4). Satius mihi fuerit

(1) Ibid. 13, 16, 19, 20, 27, 28.—De his omnibus videsis disserentem Ill. Beelen, *Comm. in Act. Ap.* Edit. altera, Lov. 1864.

(2) C. 2, v. 3, 4.

(3) C. 20, v. 30.

(4) Si cui in votis sit altius inquirere de mente Patrum et Theologorum quoad demonstrativam vim miraculi in re fidei, heic præcipuos illi fontes indico. Consulantur itaque ex latinis : Patribus Tertullianus : *Apologetic.* c. 21. S. Hilarius : *De Trinitate* L. VII, n. 6. S. Ambrosius : *Expositio Evangelii secundum Lucam*, n. 69. S. Augustinus : *De civitate Dei.* L. XXII, c. 8. S. Gregorius magnus : *Homiliæ in Ezechielem.* L. I, Hom. 6, n. 14. S. Hier. *Commentarius in Amos*, L. 3, c. 9, v. 6. — Ex Græcis vero : S. Irenæus : *Cont. hæreses.* L. II, c. 31. S. Justinus : *Dialogus cum Tryphone Judæo*, n. 7. Origenes : *Contra Celsum philosophum*, L. II, n. 51. Athanasius *De Incarnatione Verbi*, n. 18. S. Johannes Chrysostomus : *In Epistolam D. Pauli Apostoli ad Corinthios*, Hom. 7, n. 9. *Expositio in Psalmos*, n. 93. S. Cyrillus Alexandrinus : in *Psalmos* 45. S. Johannes Damascenus : *Sacra Parallela.* Titul. 73. — Inter scholæ veteris magistros probativam miraculi vim describunt præprimis S. Anselmus Cantua-

descripsisse heic summum Petri successoris Pii IX oraculum quo Ecclesiasticæ Traditionis sensum de probativo miraculi valore complexus est : « Quum sanctissima nostra religio, inquit gloriosus Pontifex, non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex ejusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere, neque ab humana ratione deduci aut perfici unquam posse. Humana quidem ratio ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinæ revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certum sibi constet, Deum esse loquutum, et eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat. Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhærere, quæ a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit? Sed quam multa, quam mira, quam splendida præsto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem et omne

riensis : Commentar in *Ep. ad Corinth.* c. 14., in *Ep. ad Rom.* c. 15 S. Bernardus : *Epistol.* 190. B. Albertus Magnus : *Summa Theologic.* P. II, Tr. 8, cl. 32, Memb. 11.— *Comment. supra Ev. Joh.* c. V. Alexander Halensis. *Summa Theol.* II p. 9, 42. a. 4. S. Bonaventura : *Luminaria Ecclesiæ.* Serm. 9. S. Thomas Aquinatis : *Summ. Theol.* 2a 2æ, q. 1, art. 1, art. 4 ad. 2; *Summ. cont. gentes*, L. IV, c. 55. Scotus : *Reportata Parisiensia*, ed. Cavelli, T. I, p. II, p. 585. — Adeantur ex schola recentiori : Suarez : *de Fide*, Disp. IV, sect. 3, p. 8. Bannez : *Comm. in S. Th.* ad 2am 2 æ, q. 5. Petavius : *Theologicor. Dogmat.* de Incarn. L. 8. c. 7. n. 1 de Lugo : *de Virtute Fidei Divinæ.* Disp. I, Sect. 7, n. 122. Bellarminus : *Controv. Christianæ Fidei*, de notis Ecclesiæ, L. IV, c. 4. III. de Wallemburg : *Tract.* V. c. 33. n. 4; *Tract.* 8, c. 49, n. 5, c. 53, n. 5. Alfonsus de Castro : *adversus hæreses :* L. 10, ad vocem *miraculum.* Card. Hozius : *de Traditionibus*, c. 92. Card. du Perron : *Réplique aux ministres touchant leur vocation*, c. 42. Greg. de Valentia : *de rebus Fidei controversis : de veritate Christianæ Doctrinæ*, c. 7. Atque ex nostris Sylvius : *Commentar. in Summ. D. Th.* P. I, q 104 sqq. Estius : *Comment. in mag. sent.* L. II, Dist. 26, 522, ad 8. Stapleton : *Promptuar. Catholicum,* Collatio ad Dom. 3. Quadragesimæ et ad fer. II Hebd. IV Quadrages. Hesselius : *Brevis et Catholica Symboli Apostolorum Expositio;* c. 26.

dogmatum nostrorum principium et *radicem desuper ex cœlorum Domino accepisse* (1), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare et quod firmioribus innitatur principiis. Hæc scilicet fides, vitæ magistra, salutis vindex, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fœcunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernæ doctrinæ luce undique refulgens, ac cœlestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum prædictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges, ac majores in dies in crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem, terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcumque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinæ cognitionis lumine illustravit atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quæ certe omnia tanto divinæ sapientiæ ac potentiæ fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat, christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce æque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens, Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium præbeat oportet, quum pro certo habeat, a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum atque agendum proponit (2). »

6. Ex dictis satis Scripturæ et Ecclesiæ sensum de pro-

(1) S. Johan. Chrysost. *homil.* I, in Isai.
(2) Encyclica 9 Novembris a. 1846.

bativo Miraculi valore expositum habes. Præstat tamen nonnulla addere de una alterave objectione quam in re illa increduli vel recentissime moverunt, quasi Patribus et prioribus Ecclesiæ doctoribus minus recepta fuisset supernaturalium operationum ad Fidei confirmationem efficacia.

7. Fuit potissimum inter Germanos rationalistas Wegscheider qui contenderet parum fuisse tributum a Patribus demonstrativo miraculorum valori (1). Affert maxime in asserti probationem S. Johannem Chrysostomum. « Miracula quærere, inquit S. Doctor, tentantium, uti tunc (Christi tempore), ita et nunc etiam est. Et nunc etiam hæsitantes conqueruntur : Quid jam Miracula non contingunt? Scilicet, si fidelis sis, ut oportet, et si Christum diligis sicuti oportet, non indiges miraculis : hæc quippe incredulis conceduntur. Superbi ac philosophi incassum effiagitant miracula. Beati non videntes et credentes (2). » Verum minime negasse Chrysostomum miraculi vim in ratione criterii Fidei satis patet ex aliis locis quæ modo, in subducta notula, indicavimus. Quare, cum obscuriora ex perspicuis sint explicanda, si quid dubii in præsenti loco occurreret, planus ejus sensus ex aliis redderetur (3). Sed neque in Chrysostomo neque in aliis Patribus, penes quos similia legere sit, difficultas existit ulla. Carpunt quidem eos qui, fidei veritate per Christi et Apostolorum miracula jam satis superque comprobata, nova in dies

(1) *Institut. Theologic.* § 46.

(2) *In Psalm.* 111. — *Το σημεια αιτειν πειραζοντων εστι και τοτε και νυν· και γαρ και νυν οι ζητουντες και λεγοντες· δια τι μη και νυν σημεια γινεται; ει γαρ πιστος ει, ως ειναι χρη, και φιλεις τον Χριστον, ως φιλειν δει, ου χρειαν εχεις σημειων· ταυτα γαρ τοις απιστοις διδοται — ο υψηλος και φιλοσοφος ουδεν δεησεται σημειων· μακαριοι γαρ οι μη ιδοντες και πιστευσαντες.*

(3) Cf. Notulam in qua præcipua Patrum loca quibus de probativo valore miraculi disputant citavimus.

portenta exposcunt : quod sane contra verum fidei intellectum sit. Declarat hoc optime S. Augustinus : « Sunt, ait, et multi sunt, qui plus tenentur admiratione rerum quam cognitione causarum, ubi miracula mira esse desistunt, et opus est eos ad invisibilium fidem visibilibus miraculis excitari, ut charitate purgati eo perveniant, ubi familiaritate veritatis mirari desistant (1). » Equidem, propter hunc locum, Augustinum etiam ceu Miraculi contemptorem traducit Straus (2) : At vero nimis patet nihil aliud ab illo asseri, nisi quod Miracula non sint jam exigenda ad fidem susceptionem, postquam tot signa contigerint quibus plenissime ipsius demonstrata sit veritas : neque in ejusmodi signorum spectaculo Religionis perfectionem esse constituendam, cum hæc potius in Dogmatum intelligentia ac virtutis studio ponenda sit. Quid vero per hæc detrimenti afferatur communi de miraculis doctrinæ nos certe minime capimus. Sane aliud sit Miraculis non contineri fidei finem supremum et perfectionem, aliud ipsis non esse agnoscendam vim probativam ad fidei veritatem prævio adstruendam. Porro hunc esse sensum Augustini habes ex altero textu S. Doctoris : « Accepimus ait, majores nostros eo gradu fidei, quo a temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula (non enim aliter potuerunt) sequutos esse : *per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris.* Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora ducere permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret (3). » — Ex hic vero quæ de Chrysostomo et Augustino diximus, quos potissimum tanquam catholicæ doctrinæ in re nostra infensos exhibent, paratum responsum habes difficultatibus quæ ex consimilibus Patrum locis peti possunt.

(1) *Ep.* 120, *ad Consent.* n. 5.
(2) *Vie de Jésus*, I. Cf. Denzinger. *Op. cit.* II, p. 327.
(3) *De Vera religione.* c. 25, n. 47.

8. Nec magis firma est alia satis adversariis frequens calumnia, Patres plerosque nonnisi *allegorias* in Miraculosis ac supernaturalibus eventibus quæsiisse; duplicem proinde considerandi modum in istiusmodi portentosis Scripturarum narrationibus esse distinguendum : unum qui plebi ignaræ et speculativis inquisitionibus parum assuetæ proprius est, quo illa eventa in suo proprio et litterali sensu recipiuntur; alterum qui eruditis convenit et altioris culturæ hominibus qui præter rei corticem genuinum illius sensum norunt persequi. Porro, addunt, Patres ut litterali factorum veritati insistunt in suis ad populum orationibus ac scriptis, ita in severioribus operibus allegoricam et mysticam sub iis latentem veritatem studiose aucupati sunt. Quamobrem aut nulla aut certe non sincera fides Patribus affuit quod spectat supernaturalium operum effectionem. — Sic cum aliis plurimis Mosheim in sua Translatione operis Origenis contra Celsum (1), Strauss (2), Peyrat (3), aliique ex recentioribus complures.

Equidem, præter sensum litteralem, mysticam quoque significationem in sacris litteris a Patribus fuisse quæsitam

(1) In notula, ad. p. 94. Cf. Strauss. *Vie de Jésus*, T. I, 1e p., p. 23, 2æ Ed.

(2) *Vie de Jésus,* Introd. § 4 passim.

(3) *Histoire élémentaire et critique de Jésus.* Paris 1864, p. 183. — « Les miracles de Jésus (sic ipse) peuvent être examinés de deux manières; d'abord, en prenant les textes évangéliques dans le sens littéral, celui qui est accepté par le plus grand nombre; ensuite, en recherchant le sens caché, allégorique, mystique, que plusieurs commentateurs prétendent y découvrir. Sauf quelques exceptions, les plus illustres Pères de l'Eglise ont eu un penchant marqué pour l'allégorie et quelques uns, Origène surtout, l'ont presque toujours mis à la place du sens littéral. » Et mox scribit : « C'est par l'école allemande, a-t-on dit (Renan, *Etudes d'histoire religieuse,* p. 151.), que le mythe a fait invasion dans l'histoire de Jésus, qu'il a envahi le nouveau Testament, après avoir attaqué l'Ancien, et qu'ainsi après être entré dans l'histoire par la porte triomphale du Mythe, l'on en est sorti par une porte semblable. C'est là certainement une erreur. Les Pères les premiers ont fait leur entrée par cette porte et avec une hardiesse égalée sans doute, mais non surpassée par les mythologues allemands. » — Ita ille auctor cujus opus laudatum quidem ab incredulis, in plurimis tamen, atque in specie quod miracula attinet, crassæ ignorantiæ fœtus est.

nemo dubitat (1). Sed quam procul sunt ii ipsi qui magis eo genere interpretandi usi fuere ut historicam supernaturalium et miraculosorum eventuum veritatem abnegarent! — Certe Clemens Alexandrinus qui prior fere inter Patres mysticam Exegesim exposuit et adhibuit, distinguit interpretationem litteralem (η προς το γραμμα αναγνωσις) et altiorem seu reconditiorem interpretationem (διαπτυξις η γνωστικη), quem triplici sensu symbolico, litterali, prophetico innixam dicit. Verum non modo immotam litteræ veritatem servandam Clemens jubet, sed et ipsam allegoriam juxta ecclesiæ definitiones adhibendam et restringendam monet (κατα τον εκκλησιαστικὸν κανονα) (2).

Origenes non secus ac Clemens Alexandrinus in scripturis distinxit *corpus scripturæ* sive *litteram*, ejusque *animam* sive *mysticum sensum*. Quin ipse plurimum incubuit ut sensum allegoricum diligens determinaret. Verum licet non raro nimius in hoc ac singularis fuerit, falsissimo tamen eum increduli incusant quasi, in politioribus suis operibus, factorum veritatem et in specie miraculorum utriusque Fœderis existentiam allegorica expositione suppresserit. Procul dubio si quis supra recensita loca Origenis adierit, compertum is habebit quantam vim ipse miraculis tribueret. Equidem, ut illud contra adversarios notem, in opere famoso *de Principiis* asserit litteram plenam esse rebus impossibilibus, imo et si proprie accipiantur scandalosis (3) : sed illud mox in eodem loco explicat, addendo non posse *ad litteram* intelligi quædam scripturæ loca,

(1) Qui interpretationis mysticæ fata et originem investigare cupit adeat eruditam dissertatiunculam D. Hofmann quæ occurrit in *Diction. Encyclopedic. Theol. Cath.* auspiciis Welte et Wetzer, ad v. *Sens mystique* (Trad. Goschler).

(2) *Strom.* L. VI, p. 806 et p. 805. Ap. Cl. Hofmann, l. c.

(3) *De Principiis.* L. IV, n. 15, 16. Cfr. opus recens : *In S. Georgii Nysseni et Origenis Scripta et Doctrinam nova Recensio*, opera Aloys. Vincenzi in Gymnasio Romano litterarum Hebraicarum professorem. Romæ, 1864. Ap. Morini, T. II, p. 331.

veluti dum de Christo dicitur quod ædificaturus sit Dei civitatem, exterminaturus currus Ephraim, vel facturus ut lupus cum agno pasceretur, vel etiam optaturus inter bonum et malum. Vides in his revera juxta genuinum sensum *allegoriam* non *factum* in scriptore sacro fuisse positam. Talibus tamen innititur D. Peyrat ut evincat ab Origene mythicam interpretationem juxta naturalistarum sensum fuisse receptam (1). — Nec quidquam etiam obest Origenem affirmasse non omnia quæ in singulis scripturæ eventibus occurrunt juxta litteram esse accipienda : quemadmodum in Gentium fabulis non omnia historicam veritatem referunt at facta symbolis passim interseruntur (2). Nam non alia in his et similibus locis ejus mens fuit nisi lectorem monere ut, pro scriptoris mente, dicta intelligat nec, Judæorum vel gentilium et Celsi more contra quos agit, omnia indiscriminatim sensu proprio esse sumenda, cum sæpius tropice vel symbolice auctores sacri fuerunt loquuti. Cæterum quod plurima eventa sive naturalia sive supernaturalia fabulas ac μύθους Origenes appellet, in hoc nihil historicæ eorum veritati detraxisse putandus est. Ipsi enim verbum μύθος juxta proprium ac minus nobis vulgarem sensum venit. Μῦθος autem ut bene monet Stockuis, « generatim notat *verbum* sive complexum, sive incomplexum. Tropice per metonymiam notat sermonem vel orationem, quæ verbis constat et absolvitur. Per synecdochem notat *figmentum* vel fabulam quæ est arte composita (3). » Atque revera hunc sensum verbo *fabulæ* ab Origene affigi cernere est in sexcentis ejus locis : sufficerit citasse, exempli causa, Lothi incestum ; hunc *famosissimam fabulam* appellat,

(1) *Op. cit.* p. 184.
(2) Cfr. Strauss. *Vie de Jésus.* T. I, 1e p. — P. 25.
(3) *Clavis Linguæ Sanctæ N. T.* Ad v. μῦθος.

ejus tamen historicam veritatem fuse evincit atque contra Celsi calumnias vindicat (1). Hinc exegeticam Origenis methodum sic dijudicat vir hujus ætatis in recognoscendis ejus operibus studiosissimus, Cl. Vincenzi : « Nihilominus celare nolo, ait, alias quoties tempus, scopus ac personæ quibus alloquebatur exigebant allegoricum investigasse sensum in Homiliæ genere ad fidelium pietatem ædificandam : quorum aures potius his locutionibus oblectabantur spiritualibus, quam ea audire jam ab iis accepta ac præter omnia disputationem probata. Quæ distinctio necessario ob oculos habenda est in Origenis perlegendis libris. » — Et addit : « Hinc ergo notum est Origenis judicium circa interpretationem scripturarum. Quando enim agebatur adversus Hæreticos, Bibliorum litteralem sensum pervertentes in Spiritus sancti qui ea dictavit injuriam, totus in eo est, præsertim in historia, *ut litteram probet*, ipsum sensum diligenter investiget et exponat congruenter menti divini scriptoris adversus obtrectantium linguam. Diversimode vero, ut dixi, duplicem sensum nectit, et potissimum in virorum sanctorum gestis enarrandis in populi fidelis ædificationem » (2).

De Origene paulo fusius fuit loquendum propter recentes adversariorum calumnias. — Alii vero Patres, si sensum allegoricum in Christi miraculis ac supernaturalibus Scripturæ eventibus quærunt, litteralem retinent religiosissime. Citabimus tantum S. Basilium qui allegoriam in Scripturis recipit at vehementer Scriptores carpit qui liberius mysticos sensus venantur (3) ; S. Chrysostomum qui notat regulas allegoricæ interpretationis in ipsa Scriptura jacere nec unquam propter illam rei veritatem adulte-

(1) Cf. Cl. Vincenzi. *Op. cit.* T. II, p. 349. Ibidem alia exempla require.

(2) *Op. cit.* pp. 341 et 343. — Videsis eisdem locis vindicatam fuse doctrinam Origenis de sensus litteralis valore ejusque exegeticam methodum universam.

(3) *Hom.* 6 *in Hexamer* n. 2. — *Hom.* 3, c. 9.

rari nec deseri posse (1). — Eadem tradunt occidentales Patres, Hilarius (2), Hieronymus (3) et maxime Augustinus (4) qui mysticum sensum retinet at jubet nihilominus « ne substracto, fundamento rei gestæ quasi in aëre quadratis ædificare videantur (5). » Paucis omnium mentem in re nostra complectitur magnus Gregorius : « Miracula Domini et Salvatoris nostri sic, ait, accipienda sunt ut et in veritate credantur facta et tamen per significationem nobis aliquid innuant. Opera quippe ejus et per potentiam aliud ostendunt et per mysterium aliud loquuntur (6). » Sane si quis hæc pauca Patrum monumenta, quod allegoricam Scripturæ interpretationem spectat, recognoscat, memineritque Patrum dicta harmonice esse accipienda, viderit is quam vana, quam falsa etiam sint quæ a recentioribus contra vim Miraculi probativam ex illis opponuntur. — Verum, exponendum jam nobis est multiplex errorum genus quo avita Christianorum de miraculo doctrina, decursu temporum, impetita fuit.

(1) *Expos. in Psalmos.* Ps. 46, n. 1. — *In Isaïam*, c. 5, n. 3.
(2) *In Ps.* 63, n. 2. — *Introd. in Ps.* 1. — *In Ps.* 125, n. 1. — *Proleg. in Lib. Psalm.* n. 3.
(3) Ep. 53, *ad Paulinum*, n. 7. — Ep. 48, *ad Pammachium*, n. 16.
(4) *Lib. de vera Religione*, n. 99. Ep. 93, *ad Vincentium*, n. 24.
(5) *Serm.* II ad popul. *De tentat. Abrahæ*, n. 7.
(6) *Hom.* II *in Evang.* § I, n. 1.

CAPUT II.

BREVIS RECENSIO ERRORUM QUIBUS DECURSU TEMPORUM IMPETITA FUIT CHRISTIANA DE MIRACULIS DOCTRINA.

1. Doctrina de possibilitate ac realitate miraculosæ sive supernaturalis interventionis dudum sine oppugnatione vel certe citra controversiam fuit. Sane priores fidei adversarii Celsus, Jamblicus, Porphyrius, Philostrates, Hierocles, Neo-platonistæ, tam parum miraculorum possibilitatem insectabantur ut potius Christum pro insigni mago qui cæteris theurgis antecelleret haberent. Idem sensere Judæi dum pleraque Christi miracula recipientes, ea tribuebant magicis artibus quas eum ab Ægyptis edoctum fuisse asserebant, vel etiam summæ potestati quam nactus ille fuerat ubi, clanculo ingressus in sancta sanctorum, nomen Dei ineffabile cæteris hominibus absconditum didicit (1). Gnosticis quoque persuasum, narrante Irenæo, illius animam quæ « similiter atque illa Jesu anima potest contemnere Archontes, similiter accipere virtutem ad operandum similia. Quapropter et ad tantum elationis provecti sunt ut quidam quidem similes esse dicant Jesu, quidam autem adhuc et secundum aliquid fortiores (2). »

(1) Cf. Bullet *Hist. de l'Etablissement du Christ.* Preuves, ad notam 12. — Wagenseil in opere *Tela ignea satanæ*, T. I, p. 77, T. II, p. 17.

(2) *Cont. Hær.* L. I, c. 25, n. 2. — De opinione priorum fidei adversariorum circa miraculosam ac supernaturalem Dei interventionem sic loquitur Ill. Meignan : « Les philosophes des premiers siècles ne niaient ni la possibilité du miracle, ni celle de l'intervention sensible des agents surnaturels. Loin de là, ils exagéraient sous ce rapport. Ils accordaient aux démons beaucoup plus de puissance qu'ils n'en ont. Les *spirites* sont moins hardis que Porphyre. Lui, du moins, n'avait pas besoin de ridicules *mediums,* dont la nature et le mode d'action varient capricieusement. Il voyait et entendait les êtres surnaturels qu'il convoquait. Les spirites y arriveront, mais ils n'y sont pas encore. Les philosophes des premiers siècles ne contestent donc point que Jésus-Christ ait fait des miracles : ils disent seulement qu'il a eu recours, pour les accomplir, à des moyens magiques

2. Porro erroribus quibus miraculi notio, insequente ævo adulterari cœpit, viam parare visus est Johannes Scotus Erigena, sæculi IX scriptor, homo subtilis sed novitatum præter modum amans idemque Pantheisticorum dogmatum fautor. Is licet ordinis supernaturalis possibilitatem minimum inficietur, existimavit nihilominus Miraculosum opus effectum esse causarum *naturalium* quatenus speciali Dei providentia moventur ad actum *solitæ* quidem eorem facultati improportionatum, ab *intrinsecis* tamen quibus pollent principiis plane dimanans. Obscure satis in ea re, more suo, loquitur Erigena. Fingit discipulum qui de mortuorum resurrectione in hunc modum Magistrum alloquitur : « De eo vero, quod resurrectio corporum *naturali virtute* cooperatrice sit futura et non per *solam* incarnati Verbi gratiam, nunc primum incipio cogitare, et ubi prius titubabam in operatione videlicet *naturali, utrum resurrectionis sit effectiva*, (humani quippe corporis redintegrationem soli Redemptoris gratiæ tribuebam, sicut et tu aliquando), ibi jam certus efficior ratione duce. Nullum enim Miraculum in hoc mundo *contra* naturam Deum fecisse legimus; sed causis naturalibus administrativis et effectricibus, *jussu Dei movente,* factas esse quascumque virtutum theophanias, divina narrat historia. Et si miraculum miraculorum est generalis mortuorum resurrectio, num veritati putandum est non convenire, nos existimare, *ex causarum naturalium effectiva potentia* divinæ voluntati subdita ipsam, resurrectionem dico, futuram. » — Quibus discipuli verbis respondet magister : « Ambabus itaque cooperatricibus, ipsa quidem natura et gratia resurrectio perficietur (1). » — Vides Erigenæ miracu-

et à des paroles dont il avait seul le secret. *Les Evang. et la critique au* 19e *s.*, p. 290. — Cfr. etiam opus eruditum at præjudiciis nimis refertum ac in multis erroneum D. Barth. de S. Hilaire : *De la méthode des Alexandrins,* p. 47 et sqq.

(1) *De divisione naturæ.* L. V, n. 23. Cf. Denzinger, *Op. cit.* T. I, p. 90. Huic

lum quodlibet seminaliter in rebus ipsis esse conclusum neque pro propria causæ infinitæ operatione haberi.

3. Sæculo XII Judæus Moscheh Ben-Maïmon apertius supernaturalem Miraculi conditionem inficiatus est et quæcumque miraculosa in veteri Fœdere occurrunt symbolicis sive mytholigicis conceptibus annumeravit (1). Eadem docuit sæculo XIV ejus commentator Joseph Caspi qui miraculorum virtutem insigni quorumdam hominum ingenio tribuit nec aliud in Mosis fatis agnoscit nisi poetica quædam et Orientalium indoli accomodata commenta (2).

4. Vix aliter Johannes Wessel, Basileensis, Lutheri præcursor. Is aperte pronuntiavit unicum inter facta naturalia et Miracula discrimen in eo esse constitutum quod illa contingere solita, hæc vero rara et extraordinaria sint. « Si natura, inquit, nihil est aliud quam voluntas Dei *consuetudinis* lege regulata, et miraculum ejusdem Dei voluntas *præter solitum*, liquet non *causarum diversitate* naturam a miraculo secernendam, verum *solito* et *insolito* tantum (3). » Circa idem fere tempus damnata opera Petri Pomponatii, Mantuani medici. Hic, quamvis Religionem supernaturalem non rejiceret et obscura ac satis varia mente de re nostra ageret, videtur tamen eventa supernaturalia universa, quæ sacra Scriptura vel Ecclesia Dei pro miraculis habet, ceu facta mere naturalia existimasse, magicis artibus vel reconditiori physicæ referenda (4).

5. Ad sæculi XVI initium, genuinum Miraculi concep-

eruditissimo Wiceburgensis Professoris operi plurima me debere, quod errorum in re nostra expositionem spectat, libentur profiteor.

(1) Cfr. opus ejus præcipuum : *Nevokim* seu *le Guide des égarés*. Trad. de M. Franck. Paris 1856.

(2) *Commentar zu Dalalat al Hajrim* herausgeg. von Sal. Werbluner Frankfort, 1848.

(3) *Farrago rerum theologicarum* : de providentia Dei. Cum præfat. M. Lutheri. Basileæ 1552.

(4) *De naturalium effectuum admirandorum causis sive de Incantationibus*. Basileæ 1556.

tum haud parum etiam pervertit Schola *cabbalistica*. Heic citandus in primis occurrit vir non uno nomine commendandus, sed infelici artium occultarum studio abreptus quemque renovatæ ex neo-platonicis cabbalisticæ patrem salutant, Johannes Reuchlin : miraculi causa ab isto reponitur in amica societate Cabbalistæ cum superioribus spiritibus, « per quam aliquando *nomina divina* (formulas intellige incantationum) rite cognoscens, res admirandas conficit *quæ vulgus miracula nominat* (1). » Habet quippe Reuchlin ejusmodi formulas ceu certa quædam pignora quibus summus Deus suam virtutem homini elargiatur et quarum ope ipse divina opera pro arbitrio efficiat. Multa his similia tradidere Corn. Agrippa qui miracula adscribit theosophicæ cuipiam facultati quæ in qualibet religione sese exserere potest (2), atque Alchimistæ Jacob Bohme, van Helmont, alii (3).

6. Sub ipsis Reformationis initiis naturalistica de miraculis principia renovavit Jordanus Bruno ex monacho Calvinista. Asseruit Christum et Apostolos sua mirabilia opera magiæ usu ac præstigiis fuisse operatos : religionis supernaturalis et miraculorum opinionem rudi quidem populo retinendam, sapientibus vero cum philosophia naturali commutandam; tandem scripturarum portentosis narrationibus symbolicam et typicam ipsius naturæ, fœcundæ rerum parentis, repræsentationem contineri (4).

7. Sed mox ulterius progressi sunt philosophi quos *Deistarum* nomine vocant. — Deistas sive homines qui Dei quidem existentiam reciperent, Christo vero divinitatem atque supernaturalia opera penitus inficiarentur meminit

(1) *De arte cabbalist.* Basil. 1561, L. I, p. 462.
(2) *De occulta philosophia*, L. I, c. 37.
(3) Cf. Denzinger. *Op. cit.* II, p. 365.
(4) Cf. Wagner, *Opere di G. Bruno,* Lips. 1830, p. 27 etc. — *Mémorial de Nicéron* : T. 17.

jam Viretus, unus ex prioribus Calvini administris (1). Deismum in Anglia primum propagarunt Herbertus Cherbury (2) et Thomas Hobbes (3), eruditi sed nimii Baconianæ reformationis sectatores. Circa idem tempus multo cæteris famosior extitit Baruch Spinoza qui ex sui Pantheismi realistici principiis Miraculi notionem, quatenus personalem Dei in mundo interventum connotat, plane respuendam voluit. « Ostendam, inquit ille, nihil contra naturam contingere sed ipsam æternum, fixum et immutabilem ordinem servare. » Atque hoc ipsum porro probat, instituta analysi divinæ essentiæ divinorumque attributorum ex qua demum infert eventa quæ miraculis vulgo accensentur non esse nisi inexplicatos naturæ eventus, directæ Dei interventioni ex plebeculæ superstitione adscriptos : quare prodigia quæ in scripturis passim narrantur allegorice jubet explicanda (4). Similia etiam tradidit Johannes Toland (5). Is immotum naturæ cursum unice philosopho considerandum voluit : miracula asserit vel vanum sine re commentum exhibere, vel ex conceptibus *philosophicis* sive *ethicis* explicanda; proinde, in iis eventibus quæ a scriptoribus biblicis referuntur probe sese distinguendam doctrinam *eostericam* sive *propriam* atque *exotericam* sive *accommodatitiam*. Si enim Tolando credas, christianæ religionis fundatores haud secus ac veteris testamenti homines, in multis sese vulgi præjudiciis accommodarunt ut facilius suam doctrinam propagarent : cum vero inveterata inter Judæos obtineret miraculorum opinio, hinc Christus atque Apostoli, œconomia usi, prodigiis suis popularium favorem

(1) *Instruct. Christ.* p. 55.

(2) Cf. *De Veritate prout distinguitur a Revelatione, a verissimili, a falso.* Lond. 1656, p. 308.

(3) *Leviathan.* Amstelod. 1668, c. 26.

(4) *Tractatus theologico-politicus*, c. VI : De Miraculis.

(5) Cf. maxime opus : *Christianity not mysterious.* Lond. 1696; et Leland. *Esquisse des écrits des Déistes*, art. Toland.

sibi conciliare studuerunt. Porro Tolandus, proponendo religiosum suum systema, naturalistica doctrina comprehensum, prior usus est voce *Pantheismi*, cujus nomine illud nuncupavit. — Eadem fere opinamenta tradidere Matthæus Tindal cujus opus *Christianismus mundo suppar* maxime contra avitam Miraculorum fidem directum, veluti manuale hujus ætatis incredulorum evasit (1), Antonius Collins (2), Thomas Schubb (3), Guillelmus Dodwell (4), qui omnes in tollenda supernaturali miraculi indole conveniunt. His paulo postea consenserunt Thomas Woolston qui eo usque progressus est ut Mosen ipsum pro *Mytho* seu allegorica persona habendum voluerit, quo futuri Messiæ sive temporalis Gentis Judaicæ Ducis idea repræsentabatur : miracula etiam omnia ceu symbolicas ac typicas imagines habuit, quibus omnis realitas *a priori* neganda (5) : item Thomas Morgan cui supernaturalia Fœderis utriusque eventa pro totidem præstigiis vanisque phantasiæ illusionibus fuere (6).

8. At dum naturalisticis hisce principiis fidem impugnabant increduli, in oppositum errorem devenere nobilia quædam ingenia ac nonnihil miraculi vim probativam imminuere. Sic Bl. Pascal miraculum tunc solum pro criterio certo veræ ac revelatæ Doctrinæ habuit ubi homo agnoverit jam Redemptionis necessitatem eamque nonnisi in Christi religione ac doctrina reperiri conspexerit (7). Ipse etiam Huetius, vir præclare de Ecclesia ac sacris lit-

(1) *Christianisty as old as the creation.* Lond. 1730.

(2) *Discourse of the ground and reasones of the christian Religion.* Lond. 1724.

(3) Cfr. in primis : *The true Gospel of Jesus-Christ asserted.* Lond 1738 et : *The postumes works of Th. Chubb.* Lond. 1748, Maxime T. I, p. 102, II, p. 216.

(4) *Christianity not foundet upon argument.* Lond. 1742.

(5) *Discourses of the Miracles of our Saviour.* 1727. Adesis eruditam Dissertationem Jocheri : *Th. Woolstoni de Miraculis Christi parologismorum examen. Lipsiæ* 1731.

(6) *The moral Philosopher.* London 1737. Cap. ult. et passim.

(7) *Pensées.* 2e P. art. 4, 11, 12, passim. — Cf. Denzinger. *Op. cit.* I, p. 143.

teris ab una quidem parte vim motivorum credibilitatis divinæ Religionis studiose evicit et propugnavit, ab alia tamen parte visus est docere Miraculis ac Prophetiis nonnisi probabile argumentum credendi contineri (1) Putabat cartesianæ philosophiæ acerrimus impugnator causæ fidei consulturum se fore si humanæ mentis debilitatem omni modo evinceret.

9. Verum recrudescebat superbientis rationis adversus supernaturalem fidem conamen. Notissimæ sunt impiæ contra Miraculum insectationes Bolingbrokii (2) et Humii (3). Multum quoque huc contulit Petrus Bayle primo reformatus dein catholicus, tandem indifferentismi primipilus qui scepticismum naturalisticum rebus religiosis singulari peritia applicuit (4). Religionem supernaturalem rationi adversari asserit, miracula in sacris Scripturis relata allegorias reputat vel facta naturalia varia ratione pro rudis populi ingenio exornata et amplificata Eosdem errores tenuere Spinozæ philosophiæ sectator de Boulainvilliers atque præ cæteris impietatis suo tempore coryphæus Arouet de Voltaire qui Deistarum Anglorum opera, quorum familiari utebatur commercio, elegantissimo et vivido suo stylo, maximam partem, sua fecit ac nunc Deismi, nunc vero materialismi principiis, pro sceptica et mobili mente, incredibili successu propagavit. Naturam habuit pro legum plane immutabilium æternarumque complexu, ut adeo ipsum Miraculi conceptum formalem in terminis contradictionem diceret (5). Mosis vero et

(1) *Traité phil. sur la faiblesse de l'esprit humain,* L. I, c. 8, 11. — L. III, c. 7-15. Cf. Denzinger. *Op. cit.*, 1, p. 148.

(2) Cf. Leland : *Esquisse des Déistes anglais,* T. I, p. 188 sqq.

(3) *Enquiry concerning human understanding*. sect. 10 et 12. *Dialog. concerning natural religion.* — Cf. *Dict. Encycl. Theol. Cath.* ad. v. Hume.

(4) Cf. Diar. *Le Journal des nouvelles de la République des lettres.* — Et in primis : *Le Dictionnaire historique et critique.*

(5) *Dict. philosoph.* art. Miracles.

Christi Jesu signa fabulis amandanda monet atque ex historicis et scientificis animadversionibus falsa ostendere contendit (1). — Eruditiorem et accuratiorem adversarium experta est Christiana de Miraculo doctrina Nicolaum Freret ; is historicam Miraculorum veritatem in primis insectatur ex ipsis Scripturarum antilogiis atque ex criticæ scientificæ placitis. Conqueritur Christi signa haud satis diligenter fuisse recognita neque a philosophis gentilium coævis fuisse recepta (2). Sed potissimum citandus alius ille incredulorum antesignanus J. J. Rousseau qui Miraculorum quidem possibilitatem retinuit, verum eorum cognoscibilitatem acriter impugnavit, usque contendens fieri non posse ut ejusmodi facta a magiæ præstigiis et circulatorum artibus internoscantur (3). Horum omnium conamina excepere materialistæ Galli atque scholæ Berolinensis homines, in primis de la Mettrie, marchio d'Argens, d'Holbach vel quisquis tandem auctor est libri *Systema Naturæ*, item *Encyclopediæ* editores Diderot, d'Alembert, Dupuis atque alii qui miracula cum revelata religione qualibet rejecerunt.

10. Interea vero, inter Germanos maxime, in eamdem miraculi atque supernaturalis ordinis negationem ex affinibus principiis deveniebant Philosophi Rationalistæ ac Pantheistæ. Viam paraverant in ea regione theologi audaciores qui sacra fidei dogmata ex strictis rationis principiis demonstrare præsumpserant, ut Schubert et Darjes, quorum alter inferni pœnarum æternitatem methodo logica probare tentavit (4), alter personarum trinitatis plura-

(1) Cf. in primis opus : *La bible enfin expliquée.*

(2) Cf. *Examen critique des apologistes de la Religion chrétienne* maxime, c. c. 3, 11, etc.

(3) *Lettres écrites de la Montagne*, Lettre 3.

(4) *Compend. Theol.* in quo justis definitionibus veritates theologicæ determinantur, determinatæ demonstrantur, demonstratæ vindicantur. Edit. 3. Heilbronnæ, 1761.

litatem (1). Mox novitatibus publice adhæsere Edelman qui novi Testamenti miracula maxime aggressus est ; Bazedow et Venturini a quibus miraculum resurrectionis exagitatum fuit, item Lessing sive incertus auctor *fragmentorum Wolfenbuttelsium* (2).

11. Porro naturalisticam methodum ad Exegesim sacram atque in specie ad miraculorum narrationem applicuere Ernesti, Lipsiensis Academiæ Professor, ac præ cæteris Semler quem rationalismi biblici parentem salutant (3). Vult ipse ut interpres ad solius rationis trutinam Bibliam revocet : hoc posito principio, animadvertit Christum et Apostolos inter Judæos reperiisse varia præjudicia, quorum potissimum fuerit *mundi supernaturalis* et *miraculorum* opinio. Existimat autem Semler ipsos, ne doctrinæ suæ ac missioni obstaculum crearent, *accommodatione* usos, præjudiciis morem gessisse, et prodigia, quæ prophetici muneris apud Hebræos signa erant nonnunquam simulasse : hinc interpretis esse munus biblicas narrationes localibus elementis exspoliare, inter quæ principem locum Miracula tenent, atque illas ad rationis et naturæ normam tandem revocare.

Naturalistica etiam methodo miracula explicavit Emm. Kant, Regiomontensis, theoretici Rationalismi institutor. Scilicet, principia cartesiana de supremo certitudinis criterio resumens, illas tantum veritates philosopho retinendas jubet quæ interna evidentia vel immediato conscientiæ testimonio innotescunt. Quum vero ex hoc principio sequatur neque mundi neque Dei existentiam nobis patere, hinc

(1) *Tract. philosoph.* in quo plures personæ in Deitate... methodo mathematico demonstrantur. Jenæ, 1725.

(2) Cfr. de historia Deismi rationalistici inter Germanos opus A. Saintes : *Histoire critique du Rationalisme en Allemagne*, pp. 84 sqq. — Item Chassay : *Défense du Christ. historiq.* L'Allemagne pendant l'influence française, T. I, pp. 80 sqq.

(3) *Apparatus ad liberal. N. T. interpretationem* Halæ 1767.

præter *rationem theoreticam* quæ circa purum intelligibile occupatur, statuit Kant *rationem practicam* sive regulam agendorum cujus præscripta fugiunt quidem *scientificam* recognitionem, homini tamen, ad societatem nato, necessario recipienda sunt. Ad hujus rationis practicæ provinciam retulit Religionis negotium. Hæc autem ei nil aliud est nisi *Regula morum*, ut adeo princeps veræ religionis criterium sit *Moralitas Doctrinæ*. Rejicit porro miracula tum quod nullum rationabilem conceptum menti sistant Deumque in suis consiliis mutabilem prodant, tum quod a naturalibus effectibus non satis dignosci valeant. Cæterum asserit ne in systemate quidem supernaturalistarum dignosci Miracula posse : pronum enim esse ut Dæmon, ementitis prodigiis homines decipiat, quod satis sit ad chimæricam Miraculi, qua veræ Religionis criterii, indolem retegendam. Addit tandem Miracula nulla jam contingere, quæ vero antea facta perhibentur ignorantiæ adscribenda et superstioni. Hinc quæcumque occurrunt in scripturis a christiana Ecclesia receptis eventa supernaturalia, miracula, prophetiæ, alia, veluti typicæ *jurium officiorumque* expressiones ac imagines habenda, atque ad conceptus rationales vel facta naturalia interpreti reducenda, quod exegeticum systema *Accomodationis Moralis* dixerunt (1). — Kantio in expugnando Miraculo adstipulatus est, sæculo XVIII ineunte, Paulus Heidelbergensis. Hic miracula et prophetias, vera quidem et quod rei substantiam attinet authentica habet, vult tamen ut exuant elementum supernaturale quod ipsis inest quodque factis additum putat ex spectantium vel audientium superstitione, cum ipsa ratio dictet nihil a Deo fieri posse præter immanentes naturæ vires. Nimirum factum, ait, ut Apostoli et Evangelistæ,

(1) *Religio intra terminos solius rationis*, ex latina visione G. Born. Lipsiæ 1836, T. II, p. 455 sqq.

dum res describerent et gesta quæ viderant, ea ornaverint adjunctis portentosis, ex variis opinamentis quibus imbuti erant. Secernenda igitur sedulo interpreti facti substantia ab exotericis his circumstantiis, quod ut facere valeat, collatis localibus et propriis notionibus quibus detinebantur eventuum tam testes quam relatores, ab his factum absolvet et illud tandem ad veræ rationis normam exiget. Quæ hermeneutica methodus, cum *mente* peragatur tota, *accommodatio psycologica* vocatur (1). — Pauli systemate interpretationem mere arbitrariam reddi notarunt eruditi. Hinc quamvis ejus principium retinerent de rejiciendis elementis supernaturalibus quibuslibet, atque habendis miraculis pro mera credulorum hominum superstitione, in eorum tamen explicatione quæ passim in Scripturis narrantur, diversa ratione processerunt. Paulus enim factorum præternaturalium historicam veritatem recipiebat. Qui vero ei proxime successerunt illa ceu mere figmenta habent et fabulis gentium accensent. Quippe voluerunt eruditi ut Cl. Heynii axioma : « *A mythis omnis priscorum hominum cum historia tum philosophia procedit*, » populi Judaici monumentis etiam applicaretur. Jam ad hunc canonem quidquid miraculosi in primis Genesis capitibus reperiret interpretatus fuerat Eichhorn. Brevi ejus vestigiis inhæserunt, in reliquis Veteris Fœderis libris elucidandis, Vater, Gabler, De Wette, alii. Idem systema Novo Testamento applicavit Bauer, *Mythologiæ Veteris et novi Testamenti* scriptor.

12. Theoretica etiam rationalistarum principia miraculis etiam opposuit cum aliis bene multis, Bretschneider. — Is Miracula habet ceu facta naturæ extraordinaria quæque propter suam cum doctrina quapiam morali con-

(1) *Comment. phil. Crit. und hist. über das N. T.* Lubeck 1804-1805 T. I, p. 300, 485 et T. IV passim. *Das leben Jesu.* Heidelberg 1828, T. II. Adesis etiam art. *Auch etwas über die absichten der Wunderthaten Jesu.* — Neuen theol. Journ. 1797, p. 342-399, 413-473.

nexionem pro transcendentalis conditionis operibus vulgo habentur (1). Item Wegscheider qui miracula definit « eventa mirabilia quæ Deo moderante ita comparata erant ut spectatores ad certam providentiæ efficientiam agnoscendam excitarent, eosque ad fidem novæ religionis doctori habendam invitarent (2). » Alibi etiam supernaturalistas carpit quod hi « Deum sumunt res humanas naturali ordine in universum regere, et ubi naturalis ordo ipsius voluntati haud amplius satis facere possit, miraculis patrandis quasi opem et medicinam ferre; illi vero (rationalistæ) Deum statuunt ab æterno res omnes continua serie sequuturos tam sapienter disposuisse, ut quæ v. g. ante plura jam sæcula evenerint id quod nunc evenit præpararent et efficerent, nec opus esset miraculis quibusdam quasi intercalaribus; ergo omnem gubernationis divinæ sapientissimæ et ima æque ac summa, maxima æque ac minima, extrema æque ac novissima, complectentis ambitum cognoscunt; dum isti (supernaturalistæ) in singulis tantum effectibus Numen summum prodentibus, hic vel illic Dei omnipotentis efficaciam cernere malunt, eoque hominibus rudioris ævi æquiparandi sunt qui magis ad summam Dei vim et efficaciam quam ad sapientiam explorandam prompti erant (3). » — Naturalistica illa principia christianæ de Miraculo doctrinæ maxime etiam christianis miraculis opposuere inter Gallos Eusebius Salverte (4), qui cupide magis quam feliciter Fœderis utriusque portenta ex veteris theurgiæ artibus repetere conatus est; et inter Germanos, Frauenstadt (5), Eschenmayer (6),

(1) *Dogmatik.* T. I, § 26, p. 268.
(2) *Instit. theol. christ. dogm.* § 48.
(3) *Op. cit.* c. I, § 12. Ap. Peronne : *De Vera Relig.* Edit. Lov. T. I. p. 49.
(4) *Des sciences occultes* ou *Essai sur la magie, les prodiges et les miracles,* 1re Edit. 1829.
(5) *Verhalten der Vernunft zur offenbar.* p. 65.
(6) *Religions philosophie,* II, § 90 sqq.

Martensen (1), aliique numero pene infiniti qui supernaturalem factorum miraculosorum indolem inficiati, illa naturæ exterioris vel etiam subjectivis animi humani phænomenis explicarunt. — Qui fusius eorum in re hermeneutica sententias explorare cupit, adeat is eruditissimum opus Cl. Denzinger qui eas prolixe recenset.

13. In explodenda christianorum de Miraculo doctrina deesse non poterat schola Pantheistarum. Sane ecquis miraculo locus sit in eorum systemate qui res creatas omnes tanquam necessarias unius ejusdemque substantiæ evolutiones reputant, abdicata Dei personalis existentia ac notione qualibet? Hinc secum concors erat Fichte dum asserit Revelationem in hoc demum consistere quod mens humana *reflexam* cognitionem tum sui, tum τοῦ non ego acquirat, religionem vero ipsa lege naturæ constitui quæ ab intrinseca hominis conditione derivatur : miracula ignoratæ causæ effectus esse quos genio alicui extramundano vel ipsi Deo anthropomorphice tribuunt homines rudes, eaque fere nihil ad veritatis recognitionem valere (2). — Schelling vero miracula vocat opera quibus divina Providentia homines passim a rerum superiorum consideratione avulsos, ad mundi suprasensibilis meditationem revocat, ut eo pacto reducantur ad unitatem cum suo principio sive *Absoluto*. Cæterum Miracula stricto sensu accepta, qua signa supernaturalia sint revelatæ doctrinæ, chimæram dicit notatque revelationem ipsam miraculo constare, atque igitur circulo vitioso systema laborare eorum qui miraculum miraculo probare nituntur (3) : ad hoc, miraculum repugnare, tum in hypothesi theistica in qua Deus mundum a se in

(1) *Christl. dogmatik* § 67, 68.

(2) Ita fere in *Versuch einer kritik aller offenbarung* § 11 et passim. — Item *Anweisung zum seligen leben*, p. 155.

(3) *Methode der akadem stud.* p. 81, 203. *Berliner Vorlesungen.* Ed. Frauenstadt, p. 116 sqq. — Cf. Mœller, *De l'Etat de la Phil. en Allemagne*, pp. 181, 187.

tempore conditum, vi suæ immutabilitatis, deinceps propriis suis legibus committit; tum in hypothesi pantheistica, quatenus nulla Dei voluntas *extra* mundum ponitur existere at ipsi veluti *inessentiata* (sit venia verbo) habetur. — Vix aliter Hegel, cui Religio nil aliud est nisi directa cognitio, Philosophia vero reflexa rerum recognitio. Inde Miraculum ipsi est factum aliquod extraordinarium atque docet legibus naturæ ordinariis exhiberi Dei revelationem quam vocat communem, extraordinariis vero et inexplicatis phænomenis contineri revelationem specialem. Negat tamen posse unquam Miraculum criterii munere fungi in ordine ad religiosam veritatem comprobandam, eo quod ea quæ suprasensibilia sunt atque ad moralem ordinem spectant tota probari nequeant argumentis sensibilibus seu visibilis mundi phænomenis (1). Cum his autem Scholæ Pantheisticæ principibus varie faciunt eorum sequaces, quos inter citabimus tantum Krause, a quo miracula dicuntur infinitæ Essentiæ cosmicæ et anthropologicæ quædam manifestationes, cum regula morum et altioris institutionis religiosæ et indefinitæ perfectibilitatis ordine connexæ (2) : Schleiermacher qui miraculum habet pro effectu extraordinario quo quis suam quam tenet religiosam fidem pro subjectiva sua dispositione connotari existimat, unde vult ut miraculum dijudicetur ex fide, nedum, quod christianis plerumque placet, fides probetur ex miraculo (3) : L. Feurbach cui miraculum psycologicus fœtus est mentis humanæ, quæ spectaculo rerum visibilium et immanentium facultatum sensu incitata, transit ad procudendam idealem aliquam ac chimæricam suæ *activitatis* repræsentationem (4).

14. Sed dum undique rationalismi ac pantheismi fautores,

(1) Cf. potissimum : *Religions phil.* II, p. 256.
(2) *Religions phil.* p. 725.
(3) *Reden ueber Religion,* 2a ser. p. 248.
(4) *Phil. und. Christ.* VII. *Wesen der christenth.* 2. ausg. p. 194.

revelationem ac ordinem supernaturalem impetebant, quod antea jam contigisse vidimus, putarunt viri catholici sese veritatis defensioni non parum profuturos, si humanæ mentis impotentiam ac limites evincerent. Citandus heic in primis infelix F. de Lamennais. Huic consensus generis humani supremum veritatis criterium fuit docuitque veræ Religionis notitiam ex universali ista consensione repetendam (1), quo factum est ut, licet vim miraculi probativam adversus incredulos optime demonstraverit, ejus tamen efficaciam non parum imminuerit. — Ulterius vero processit D. Bautain, Salisburgensis philosophiæ Professor. Is basim philosophiæ christianæ ponit in testimonio rationalis conscientiæ, divina revelatione illuminatæ, quo mutuo sese compenetrent ratio ac revelatio. Hinc, eo auctore, nulla plane veritas, ex iis maxime quæ circa res religiosas ac morales versantur, solius rationis calculo certo probari potest. Atque illam rationis theoreticæ ad veritatem impotentiam plane demonstrari autumat auctor ex modernæ philosophiæ dissidiis, atque in primis ex *antinomiis Kantianis* quas ceu desperatum superbientis rationis effugium traducit. Jam vero his positis concludit Bautain neque ipsis *miraculis* revelationis divinitatem satis innotescere : iis fortasse testes oculares de fidei veritate persuadendos fore, si bonæ voluntatis existant, nullatenus vero posterioris ævi homines, imo neque resurrectione Christi ineluctabile argumentum præberi, quo christianismi divinitas incredulo demonstetur, nisi fides jam aliqua præcesserit (2). Porro exaggeratas illas contra

(1) *Essai sur l'indifférence en matière de religion,* vol. II, maxime c. c. 19, 20.

(2) Cf. maxime *Philos. du Christianisme,* II, p. 480. *Lettre à Mgr Lepappe de Trévern* du 21 Nov. Strasbourg 1837. — Item prop. ab auctore subscriptas quarum tertia hæc erat : « La preuve tirée des miracles de J.-C., sensible et frappante pour tous les témoins oculaires, n'a point perdu sa force avec son éclat vis-à-vis des générations subséquentes. Nous trouvons cette preuve en toute certitude dans l'authenticité du N. T., dans la tradition orale et écrite de tous les chrétiens; et

rationis facultatem expostulationes, Ecclesia catholica, ipsius jurium indefessa custos ac vindex, reprobavit.

16. Sed novo iterum conatu avita supernaturalis Ordinis et miraculorum doctrina impetita. — Supra vidimus rationalistica principia sacrorum librorum interpretationi, in primis vero miraculosis narrationibus, fuisse applicata. Porro Paulus Heidelbergensis, ope *accomodationis psycologicæ* factorum quidem realitatem retinuerat, ea vero adjunctis suis supernaturalibus omnino cœperat exuere. D. F. Strauss, Theologiæ in seminario Evangelico Tubingensi Repetitor, aliam interpretandi rationem *supernaturalibus* sive portentosis scripturæ descriptionibus admovit. Ipse Hegelianæ philosophiæ principiis imbutus, omnia objectivæ realitatis phænomena ex subjectivæ cogitationis evolutione repetenda existimavit. Porro hoc principium mox Christi historiæ ac gestis applicat homo audacissimus. Scilicet animadvertit penes Judæos viguisse inveteratam futuri cujusdam Messiæ ideam qui Gentis imperium instauraret atque suis laboribus et passione Israëli imperium in nationes universas compararet : aliunde vero contigisse ut inter ipsos existeret vir sublimis ingenii vitæque sanctissimæ, quem, cum collapsam judæorum religionem in pristinam formam redigere cuperet, sacerdotes et synhedristæ crucis damnarunt. Isto autem Christi conamine ejusque supplicio summa ingeniorum commotio exorta. Mox præoccupatis Messiæ sui expectatione Judæis, primi crucifixi sectatores magistrum suum pro messia illo exhibuere. Sed Prophetarum vaticinia et gentis traditiones summo illi duci portentosa et plane extraordinaria opera præsagiebant. Inde

c'est par cette double tradition que nous devons la démontrer à l'incrédule qui la rejette ou à ceux qui sans l'admettre encore, la désirent. 4e *Prop.* On n'a point le droit d'attendre d'un incrédule qu'il admette la résurrection de notre divin Sauveur, sans lui en avoir administré des preuves certaines. Ces preuves sont déduites par le raisonnement. » —Cfr. R. P. Perrone : *De Locis Theologicis* : Edit Lov. T. IX, p. 358, ad notam.

factum ut vel pia quadam fraude vel sincerissima convictione animi Christi discipuli magistro suo miracula maxima affingerent. Quæ fabulosæ rudiorum hominum narrationes prius ore disseminatæ, postea in scriptum documentum coaluere. Atque hæc origo Evangeliorum est atque fons supernaturalium eventuum quæ continent sive *Mythorum*. Vides quid tandem veniat famoso mythi nomine. « Mythum, ut ait ipse Strauss, vocamus evangelicum eam ad Jesum immediate mediateve spectantem narrationem, quæ a nobis considerari potest non quidem ut *facti* cujusdam expressio, at vero tanquam repræsentatio *ideæ* cujuspiam aut notionis quam in mente confovebant primi Christi sequaces (1). » Clare et docte mythicum illud Hermenenticæ systema quod nostris diebus renovavit E. Renan describit Ex. Demaret : « Mythismus igitur biblicus, inquit, systema eorum est qui volunt quascumque utriusque Fœderis narrationes, si quid extraordinarium aut *supernaturale* videantur portendere, eas esse *fabulis* remotæ antiquitatis adnumerandas, quidquid vero *præter consuetas naturæ leges* portendunt illud esse Mythis accensendum (2). » Hæc porro omnia præsuppositæ Miraculi impossibilitati niti cernis. — Audax Straussii aggressio contra historicum Christi vitæ ejusque miraculorum caracterem vires incredulis addidit atque mox novo ardore, licet diverso plerumque systematum apparatu, orthodoxa Hermeneutica et vetus de supernaturali ordine et Miraculo Doctrina exagitata fuit. Huc præsertim contulere, quod exegeticas applicationes spectat, scholæ Tubingensis a Baurio inauguratæ professores, maxime Zeller, Volkmar, alii, quorum opiniones in Galliam propagare student auctores Diarii : *La liberté de penser*, D. Colani in Periodico : *Revue de Théologie et de philosophie chrétienne,* auctores Diarii :

(1) *Vie de Jésus.* Introd, § XV, p. 116.

(2) *De origine Evangeliorum deque eorum historica auctoritate.* Lov. 1865 p. 10.

la revue Germanique, ac præ cæteris D. Nicolas, Theologiæ Protestanticæ in Montalbanensi Facultate antecessor (1), DD. d'Eichtal (2), Kuenen (3), Lugduni Batavorum Professor, alii. — Nec secus christianæ de miraculo doctrinæ atque œconomiæ supernaturali adversantur scholæ Goettingensis magistri qui, duce potissimum Cl. Ewald, maximæ sane eruditionis viro, Tubingensium æmuli et impugnatores habentur, atque scholæ illius in Gallia promotor D. A. Réville (4). His addi etiam possunt inter Britannos scriptores Diarii : *Essays and Reviews* ad principia criticæ negativæ conscripti, atque alii complures auctores qui licet commixta systematum congerie, in eo conveniunt omnes, quod Miraculi imposibilitatem ceu indubitatum axioma habent, inter quos citabimus tantum Larroque (5), Peyrat (6), Stap (7), Schœbel (8).

17. Novissime vero ordinis supernaturalis ruinam meditati sunt Materialismi atque Positivismi instauratores, quorum duces inter Germanos salutantur Moleschott (9), Vogt (10), Buchner (11) atque, inter Gallos, præter Aug. Comte (12).

(1) *Etudes critiques sur la Bible.* Ap. Levy, 1862.

(2) *Les Evangiles. — Préface et Introduction.* Paris 1863.

(3) *Histoire critique des livres de l'ancien Testament.* Trad. Pierson. Paris 1866.

(4) Cf. in primis : *Nouvelle revue de Théologie.* Mars 1861 etc.

(5) *Examen critique des doctrines de la religion chrétienne.* vol. in 8. Bruxelles 1860 2e edit.

(6) *Histoire élémentaire et critique de Jésus.* Paris 1864.

(7) *Etudes historiques et critiques sur les origines du christianisme.* Paris 1864.

(8) *Philosophie de la raison pure.* Paris 1866.

(9) *Kreislauf des Lebens.* « Ich habe in meinen zweiter Briefe entwickelt, das wir ausser den verkaltnissen der korpenwelt zu unserer sinnen nichts aufzufassen vermogen. Alle erkentniss ist sinnlich. » — Prodiit hujus operis translatio auctore D. Cazeilles : *La circulation de la vie,* Cf. maxime, p. 387.

(10) *Kohlergl. und Wissensch.* — « Mit der Grenze der sinnliche Erfahrung ist auch die Grenze des Denkens gegeben. » p. 107.

(11) *Kraft und stof.* — *Force et matière.* Etudes philosophiques et empiriques de sciences naturelles. Trad. Gamper.

(12) Adesis opus celebre : *Philosophie positive.* Introd. et passim.

Positivismi parentem, Littré (1), Taine (2), Renan (3), About (4) etc. Porro in eo systemate conclamatam esse avitam Miraculi opinionem vel inde perspexeris, quod palmare istorum principium sit, nihil existere præter immanentes ac immotas universi leges, quarum fatali evolutione omnia tum corporis tum animæ phænomena explicari volunt. Itaque « Leges naturæ, ut loquitur Molescott, expressio sunt inflexibilis necessitatis (5). » Quare miraculum nonnisi absurdissimum commentum sit. « Quod diu visum miraculum est, inquit L. Buchner, illuscescente scientiæ face ignotarum hactenus naturæ legum effectus tandem deprehenditur... Nulla manus sit quæ orbis gyrum coerceat; nulla precatio qua flectantur elementa vel mortui ad vitam revocentur : supernaturalis manifestatio quælibet vel superstitionem vel fraudem vel ignorantiam incusant (6). » Eadem fere habet Positivisticæ Criticæ antesignanus Gallus, E. Littré. Clare is suam mentem aperit in Præfatione qua auxit operis supra citati E. Salverte editionem alteram : « Il n'y a pas lieu, inquit, d'équivoquer davantage. Les termes de miracle, de surnaturel sont des termes provisoires et qui répondent à la conception antique des choses, alors que la notion des Lois naturelles n'avaient ni consistance ni fixité, et qu'aux yeux des hommes, elles étaient indifféremment obéies ou violées. Mais aujourd'hui que la notion des *lois naturelles,* est devenue prépondérante, la conception des choses a changé, et l'on écarte le *miracle* et le *surnaturel* de ces

(1) *Conservation, Révolution et Positivisme*, maxime pp. 61, 171, 298, 300, etc. Item. *Paroles de philos. positive*, p. 34. — Cf. etiam art. Periodici : *Revue des deux mondes,* 15 février 1856, etc.

(2) *Philosophie française,* p. 364 etc.

(3) *Explications à mes collègues* p. 24. — *Revue des deux mondes*, janv. 1860.— *La liberté de penser.* T. IV, p. 348.

(4) *Le Progrès,* p. 22.

(5) Ap. Buchner. *Op. cit.* p. 33.

(6) *Ibid.* c. 6. *Immutabilité des lois de la nature*, passim.

manifestations que j'ai rappelées et où il paraît resplendir. On le range dans ce domaine particulier où la médecine touche à l'histoire; on le place dans la catégorie des troubles des systèmes nerveux; on les nomme *hallucinations collectives* qui ont cela de spécial qu'elles produisent chez des multitudes des phénomènes subjectifs très-semblables; on les classe parmi les épidémies mentales qui pareilles aux épidémies corporelles impriment à l'esprit le cachet d'une perturbation uniforme (1). » Similiter E. Renan : « Il est superflu, ait, de combattre l'hypothèse des miracles, parce qu'une telle hypothèse correspond à un tout autre état de l'esprit humain qu'à celui qui a définitivement prévalu... A cette polémique, Voltaire si faible comme érudit, Voltaire qui nous semble si dénué du sentiment de l'antiquité, à nous autres qui sommes initiés à une méthode meilleure, Voltaire est vingt fois victorieux d'adversaires encore plus dépourvus de critique qu'il ne l'est lui même... » — Et ibidem hæc habet : « S'il y a, inquit, une histoire en dehors des lois qui régissent le reste de l'humanité..., il n'y a plus de science historique... Les sciences historiques supposent qu'aucun agent surnaturel ne vient troubler l'humanité, et que cette marche est la résultante immédiate de la liberté qui est dans l'homme et de la fatalité qui est dans la nature; qu'il n'y a pas d'être libre, supérieur à l'homme auquel on puisse attribuer une part appréciable dans la conduite morale, non plus que dans la conduite matérielle de l'univers. De là cette règle inflexible, base de toute critique, qu'un événement donné pour miraculeux est nécessairement *légendaire* (2). » Similia tradit auctor in opere famoso : *La Vie de Jésus :*

(1) *Des sciences occultes ou Essai sur la magie, les prodiges et les miracles,* par Eusèbe Salverte. — Paris 1856. Intred. p. LV.

(2) *Expl. a mes collegues.* Ap. Ill. Meignan. *Les Evangiles et la critique*, p. 44-85. — Cf. etiam Periodicum : *Revue des deux mondes* 1860 p. 585 sqq.

« Jusqu'à nouvel ordre, inquit, nous maintiendrons donc ce principe de critique historique, qu'un récit *surnaturel* ne peut être admis comme tel, qu'il implique toujours crédulité ou imposture, que le devoir de l'historien est de rechercher quelle part de vérité et quelle part d'erreur il peut récéler (1). » Hæc vero positivismi naturalistici principia, eadem fere ratione qua autea Straussius, Christologiæ auctor applicuit. Nimirum jubet narrationes Evangelicas involucro supernaturali omni esse exspoliandas : miracula quippe ab istis Jesu tributa nonnisi phantasiæ vel præoccupationi discipulorum adscribenda qui, cum illum pro Messia haberent, necessario ei signa tribuerunt; initio quidem Jesus miraculis sese opposuisse, postea vero sese eis accomodasse ac Prophetæ et reformatoris religiosi sibi accepisse munus. Eisdem porro discipulorum ac Judæorum universim præjudiciis innixa fuerint tum resurrectionis fides tum quoque complura ista eaque miraculosa eventa quæ, ceu vera Christi opera, Evangelico instrumento sensim irrepserunt. Has vero narrationes quarum realitatem haud plane negat, sed quibus supernaturalem suum characterem omnino detrahit, Renan *Legendas* vocat (2). *Legenda* autem, ut monet Ex. D. Demaret (3) vix differt a *mytho*, nisi forte quod hic ab *idea* exordium sumit, quæ symbolici facti involucro exornatur : illa vero a *facto* ipso potius initium habet, quod crescit eundo cuique, dein ore propagato, inseruntur variæ ideæ et judicia de re morali et sacra. — Atque hæc satis esse possunt de vario errorum apparatu quibus tam in ordine speculativo quam in ordine practico doctrinam miraculosæ interventionis increduli impetiere. Contra hos vero constans Ecclesiæ Catholicæ ac supernaturalistarum sententia de probativo Miraculi valore, in re religiosa, jam nobis est vindicanda.

(1) *Vie de Jésus.* Introd. LII, c. XXVI, p. 433.
(2) *Ibid.* c. XVI, p. 231.
(3) *Op. cit.* p. 16 sqq.

CAPUT III.

DE ESSENTIA MIRACULI DEQUE EJUS GRADIBUS AC SPECIE.

§ I.

DE PRÆCIPUIS VOCIS MIRACULI ACCEPTIONIBUS EJUSQUE IN RE SACRA SYNONYMIS.

I. Inter multiplices sensus quos vox *Miraculum* passim apud Patres et auctores sacros obtinet, ad rem nostram maxime faciunt sequentes :

1. Miraculum (a *Mirari*) generatim dicit id quod mirum est quodque stuporem et admirationem affert consideranti. Estque illa significatio vocis quasi fundamentalis ex ipsa ejus etymologia petita, atque ab illa etiam cæteri sensus derivantur. Hinc generalissime Miraculum dicitur effectus aliquis insignis cujus causa ignoratur. « Nomen miraculi, ait S. Thomas ab admiratione sumitur. Admiratio autem consurgit, cum effectus sint manifesti et causa occulta (1). » Atque eo sensu plures effectus naturales vulgo *Miracula naturæ* sive etiam *Miracula artis* vocantur. Sic Augustinus loquens de accensione vivæ calcis per admotam aquam : « Hoc *miraculum*, ait, si de aliquo indico lapide legeremus et in nostrum conspectum venire non posset, profecto aut mendacium putaremus aut certe granditer miraremur (2). »

2. Eadem voce analogice etiam denominantur aliquando operationes Dei sive naturales sive supernaturales quæ, licet fieri solitæ, nobis incomprehensibiles sunt. Huc vulgatum illud Augustini : « Majus miraculum est gubernatio

(1) *Summ. Theol.* Q. 105, a. 7, in corp.
(2) *De civit. Dei.* L. 2, c. 14.

totius mundi quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus (1). » Idemque S. Doctor florum seminumque nativitatem, animalium fœtus naturæque ordinem universæ *quotidiana* appellat *Miracula* quæ videndi assiduitate viluerunt (2). Ad rem etiam notat Sylvius noster : « Nomen miraculi quandoque sic extendi ut quodlibet opus supernaturali tantum virtute factum dicatur miraculum... Qua etiam ratione scribit D. Thomas 1. 2. q. 113. art. creationem mundi et justificationem impii miracula dici posse, cum tamen simpliciter et proprie non sint miracula (3). »

3. Magis proprie *Miraculum* dicitur *factum sensibile* quod fit præter constitutum ordinem naturæ atque excedit proprias et insitas causarum cosmicarum vires. Generali hoc sensu miraculum definit S. Augustinus : « Miraculum voco quidquid arduum vel insolitum supra spem aut facultatem videntis (4). » — Hinc eo nomine veniunt, relate ad nos, operationes mirabiles quas immateriales ac superiores substantiæ exercere norunt in mundo visibili. Illa enim spirituum opera, licet per se proportionentur nativis spirituum viribus, respectu tamen hominum vere prodigiosa apparent. Quare Theologi post S. Thomam ea dicunt *miracula quoad nos* vel *secundum quid* vel etiam *mirabilia Spirituum* (5).

4. Ex significatione vocis postremo allata jam perducimur ad illius sensum maxime genuinum atque, ut ex dicendis patebit, in re nostra juridicum. Scilicet Miraculum proprie dictum vocatur, ut verbis utar Angelici : « Id quod fit præter ordinem totius Naturæ creatæ (6). » Opus

(1) Tract. 24. *In Joh.* n. 1.
(2) Tract. 9, *In Joh.* n. 1.
(3) *Commentarius* in I Partem D. Th. Q. 105, a. 7.
(4) *De Utilit. credendi* c. 16.
(5) *Summ. Theol.* Q. 114. — *De potentia*, Q. 6. *De miraculis*. Art. 2.
(6) *Summ. Th.* I, q. 110, a. 4, ad 2.

igitur sensibile, atque tale quod agens creatum nullum *sive corporeum sive spirituale* patrare valeat, virtute sua propria quodque proinde *soli causæ primæ* referendum est tanquam Auctori, propriissime theologi *Miraculum* dicunt.

2. Age, ut de vocis Miraculi in sacris Litteris usu atque variis ejus synonymis aliquid etiam innuam, hæc pauca notabo. — Nempe in S. Scriptura, eventa supernaturalia variis veniunt nominibus pro vario *fine ethico* ad quem illa summus Deus exhibet. Sic 1° dicuntur גבורות δυνάμεις, (ut Ps. 117, 26. Marc. 5, 30; 6, 5,) quatenus ceu divinæ omnipotentiæ manifestationes objectivæ potissimum habentur. Vel dicuntur נפלאות sive מופתים, τέρατα, θαυμάσια (ut Joël, 3, 3; Matth. 21,) prout attenditur inprimis stupenda operis indoles atque subjectiva quam ingerit admiratio. Vel demum אותות σημεῖα, (ut in Ep. ad Hebr. 2, 4.) quatenus connotatur relatio inter signum et divinum consilium quod in casu hominibus patefacere debet. Qua trina appellatione triplex Miraculosi eventus momentum *ontologicum*, *psycologicum* atque *teleologicum* apte significari Apologetæ passim advertunt (1).

Pro hisce quæ retulimus textuum originalium vocabulis apud Vulgatum interpretem repereris voces latinas : *Virtutes*, *Prodigia*, *Signa* vel etiam *Portenta*. Nam ipsa vox latina *Miraculum* in Novi Testamenti versione nuspiam, in Veteris vero novies tantum occurrit, ut notat Spagni (2). Porro de proprio vocabulorum illorum sensu plura video a veteribus dici, at neque magni momenti neque accuratæ critices universa. Itaque contentus ero pauca referre ex Angelico Præceptore quibus ipse de vocum istarum discrimine omnia scitu utilia resumit. « Dicendum, inquit S. Doctor, quod in Miraculis duo possunt attendi, unum

(1) Cl. Cl. Hettinger *Apologie des Christenthums*, I, 2e Fasc. p. 172.
(2) *Comment. theol. de miraculis.* Romæ 1777, p. 4.

quidem est *id quod fit* quod quidem est aliquid excedens facultatem naturæ et secundum hoc Miracula dicuntur *Virtutes*. Aliud est *id propter quod* Miracula fiunt, scilicet *ad manifestandum aliquid Supernaturale* et secundum hoc communiter dicuntur *Signa* : propter *excellentiam* autem dicuntur *Portenta* vel *Prodigia* quasi procul aliquid ostendentia (1). » — Sed relictis vocabulis, ipsa Miraculi notio exponenda est.

§ II.

DE MIRACULI NOTIONE ET ESSENTIA.

1. Si quis ea recolat quæ in Prolegomenis statuimus de Revelatæ doctrinæ Criteriis, ultro inferet Miraculum generatim sese menti sistere ut virtuale ac certum ipsius Dei testimonium, quatenus ille consilium aliquod palam manifestat vel doctrinam suo nomine hominum fidei propositam divino quodam signo publice et infallibiliter comprobat. Miraculum proinde dixeris cum D. Thoma *divinæ virtutis vel veritatis manifestativum* (2). Neque de generalissima illa notione nemo, opinor, dissentiet. Jamvero ex hac ipsa communi miraculi idea ac destinatione logice derivare possumus essentialia prædicata quæ supernaturalibus ejusmodi effectibus ex ipsa rei natura conveniunt.

2. Atque inprimis, vel ex hoc ipso quod Miraculum habetur pro specialissimo Dei Optimi Maximi ad homines testimonio, primum ejus constitutivum elementum atque

(1) *Summ. Theol.* 2, 2, Q 178. a. 1, ad. 3. Doctrinæ Angelici plane concinunt quæ circa eadem hoc vocabula habet Alexander Halensis in sua *Summa*, Q. 42, *de Providentia angeli respectu creaturæ corporalis per operationem miraculorum*. Cf. etiam D. Th. *Comm.* 2 *Ep. ad* Corinth. c. 12. — Viguerum : Ord. Prædicat. *Institutiones ad naturalem et christianam Philosophiam, maxime vero ad Scholasticam theologiam.* cap. 9, § 2, ver. 3.

(2) *Op. de Potentia.* Q. VI, de Miraculis a. 3.

maxime *materiale* illud esse deprehendes, quod sit *effectus aliqua ratione sensibilis*. Secus enim hominem ita comparatum ut ex sensibilibus ad intelligibilia ascendat, nullatenus ad Divina edocenda adtolleret. Quin imo, cum revelatæ fidei criterium sub actuali Providentiæ ordine, non privatam sed socialem atque publicam indolem habere debeat : hinc ad miraculosum effectum prout in ratione criterii divinæ Religionis consideratur, non sufficit talis *sensibilitas* quæ intra individuæ perceptionis terminos concluditur, verum talis exigitur quæ pluribus patere possit, eis, inquam, omnibus qui de Revelationis divinitate sunt edocendi.

3. Diximus autem effectum Miraculosum debere *aliqua ratione* sensibilem esse. Neutiquam enim requiritur ut effectus miraculosus sit sensibilis *in se ipso* at satis est quod talis sit *ex effectu vel sequelis* quæ ipsum consequuntur ac manifestant. Quæ animadversio proprie respicit Miracula quæ vocant *intellectualia* et *moralia* (1), uti Prophetias, scientias infusas, Christi Doctrinæ et Ecclesiæ propagationem, et alia ejus generis signa. Ex dictis de priore hoc requisito, intellexeris quid factum sit ut unio hypostatica, Justificatio impii, Transubstantiatio Eucharistica nunc miracula a Theologis dicta fuerint, nunc a miraculorum censu expuncta. Priore quippe casu supernaturalia ea opera vel ex parte effectuum considerantur, ut notat Bannes (2), vel potius etiam ex parte eorum supra vires naturæ transcendentiæ quam cum Miraculis communem habent; in casu altero, respicitur eorum *spiritualis* natura quæ, cum sensus lateat, a stricto miraculorum censu illa removet. In rigore autem theologico, hæc atque cætera insensibilia supernaturalia opera proprie Miracula dici non debent.

4. Altera essentialis miraculosi eventûs conditio hæc est

(1) *Vide infra*, p. 147, n. 8.
(2) *Comm.* In I P. D. Th. Q. 105.

ut effectus sit *extraordinarius*. — Hinc exigitur ut contingat *præter ordinatum ac communem cursum* quem Deus, in præsenti œconomia, rebus præstituit, atque adeo ut fiat præter leges generales et ordinarias *Providentiæ tam naturalis* quam *supernaturalis*. Etenim, quod in hac disquisitione semper meminisse oportet, hic miraculi essentialis finis est ut hominibus speciale afferat Dei consiliorum testimonium, atque maxime ut ipsis cedat in argumentum supernaturalis Revelationis, demonstrando Deum hominibus esse loquutum, atque pro vera habendam esse Religionem quæ hujusmodi signis ac divinæ approbationis criteriis circumdatur. At vero ut talis finis obtineri possit, oportet effectum miraculosum signi præter ordinatum consuetumque rerum cursum, et *constitutas normas* quibus mundi tam physici quam moralis gubernatio subjacet. Secus enim nullam hominibus admirationem gigneret neque pro divino manifestativo ullatenus assumi posset. Quin ex eadem ratione requiritur, ut effectus non tantum contingat præter ordinem unius alteriusve causæ secundæ, verum ut fiat præter universum ordinem causarum secundarum quæ expeditam facultatem habent ad eum producendum. « Dicendum, inquit D. Thomas, quod Miraculum proprie dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ. Sed non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis. Quia sic cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc fit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum quod fit *præter ordinem totius naturæ creatæ* (1). »

5. Porro de hoc miraculi requisito audiendi Scholæ principes. Huc in primis B. Albertus Magnus, D. Thomæ Magister : Is cum ad miraculum requisiisset ut sit *insolitum*, in hunc modum ejus vocis sensum explicat : « *Insolitum*, ait,

(1) *Summ. Th.* I, Q. 110, art. 4, in corp.

dicitur dupliciter, scilicet *in causa* et *in effectu* et quando insolitum ponitur in definitione miraculi, dicitur insolitum *in causa*, scilicet quod non habeat *constantem* et *ordinatam* causam ex qua proveniat (1). » Haud secus Alexander Halensis. Nempe postquam dixerat requiri in Miraculo, ut effectus sit *insolitus*, addit : « Non dicit *insolitum* quod raro evenit, sic enim Eclipsis solis diceretur miraculum, sed quod fit contra *consuetum cursum naturæ*, etsi frequenter eveniat (2). » Dilucide etiam Scotus : « Est naturalitas in passo in comparatione ad agens, quando comparatur ad tale agens quod est natum naturaliter imprimere in eo talem formam ; et tunc est supernaturalitas quando comparatur ad agens quod non est natum imprimere formam talem in tali passo. » — Et paulo ante : « Illud in quo Deus assistit communiter generali cursu naturæ non est supernaturale nec miraculum (3). » Similiter Angelicum, quem jam audivimus, explicat Franciscus de Sylvestris, vulgo Ferrariensis, eximius Summæ contra Gentiles interpres. « Considerandum, inquit ille, ex doctrina ipsius (Angelici) de *Potentia*, q. 6, art. 3 et II. *Sentent.* Dist. 18, q. 1, art. 3 ad 2^m^, quod ad rationem miraculi simpliciter et proprie dicti duo requiruntur, secundum quod duo ad admirationem pertinent, ut haberi potest ex primo *Metaphysicorum*. Unum est causa secundum se nobis occulta, qualis est Deus... Alterum est ut in re sit unde videatur aliter debere evenire, sicut resuscitatio mortui est a solo Deo et corpus mortuum in se habet ut perpetuo careat vita et habet in se *unde non debeat in ipso vita causari*... Propter defectum secundæ conditionis creatio universi non est miraculosa quia non est in re unde aliter esse debeat, imo *naturali ordine* sic esse debet, cum solus

(1) *In 4 sent.* D. 17, a. 12. — (2) *Summ. Theol.* Q. 42. Membr. 1.

(3) *Reportata.* 4. Dist. 43, p. 4, n. 5, et n. 3. — Cf. Salmantic. *Curs. theol.* Tr. 15. D. 3, dub. 4.

ut effectus sit *extraordinarius*. — Hinc exigitur ut contingat *præter ordinatum ac communem cursum* quem Deus, in præsenti œconomia, rebus præstituit, atque adeo ut fiat præter leges generales et ordinarias *Providentiæ tam naturalis* quam *supernaturalis*. Etenim, quod in hac disquisitione semper meminisse oportet, hic miraculi essentialis finis est ut hominibus speciale afferat Dei consiliorum testimonium, atque maxime ut ipsis cedat in argumentum supernaturalis Revelationis, demonstrando Deum hominibus esse loquutum, atque pro vera habendam esse Religionem quæ hujusmodi signis ac divinæ approbationis criteriis circumdatur. At vero ut talis finis obtineri possit, oportet effectum miraculosum signi præter ordinatum consuetumque rerum cursum, et *constitutas normas* quibus mundi tam physici quam moralis gubernatio subjacet. Secus enim nullam hominibus admirationem gigneret neque pro divino manifestativo ullatenus assumi posset. Quin ex eadem ratione requiritur, ut effectus non tantum contingat præter ordinem unius alteriusve causæ secundæ, verum ut fiat præter universum ordinem causarum secundarum quæ expeditam facultatem habent ad eum producendum. « Dicendum, inquit D. Thomas, quod Miraculum proprie dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ. Sed non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus particularis. Quia sic cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc fit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum quod fit *præter ordinem totius naturæ creatæ* (1). »

5. Porro de hoc miraculi requisito audiendi Scholæ principes. Huc in primis B. Albertus Magnus, D. Thomæ Magister : Is cum ad miraculum requisiisset ut sit *insolitum*, in hunc modum ejus vocis sensum explicat : « *Insolitum*, ait,

(1) *Summ. Th.* I, Q. 110, art. 4, in corp.

dicitur dupliciter, scilicet *in causa* et *in effectu* et quando insolitum ponitur in definitione miraculi, dicitur insolitum *in causa*, scilicet quod non habeat *constantem* et *ordinatam* causam ex qua proveniat (1). » Haud secus Alexander Halensis. Nempe postquam dixerat requiri in Miraculo, ut effectus sit *insolitus*, addit : « Non dicit *insolitum* quod raro evenit, sic enim Eclipsis solis diceretur miraculum, sed quod fit contra *consuetum cursum naturæ*, etsi frequenter eveniat (2). » Dilucide etiam Scotus : « Est naturalitas in passo in comparatione ad agens, quando comparatur ad tale agens quod est natum naturaliter imprimere in eo talem formam ; et tunc est supernaturalitas quando comparatur ad agens quod non est natum imprimere formam talem in tali passo. » — Et paulo ante : « Illud in quo Deus assistit communiter generali cursu naturæ non est supernaturale nec miraculum (3). » Similiter Angelicum, quem jam audivimus, explicat Franciscus de Sylvestris, vulgo Ferrariensis, eximius Summæ contra Gentiles interpres. « Considerandum, inquit ille, ex doctrina ipsius (Angelici) de *Potentia*, q. 6, art. 3 et II. *Sentent.* Dist. 18, q. 1, art. 3 ad 2^m^, quod ad rationem miraculi simpliciter et proprie dicti duo requiruntur, secundum quod duo ad admirationem pertinent, ut haberi potest ex primo *Metaphysicorum*. Unum est causa secundum se nobis occulta, qualis est Deus... Alterum est ut in re sit unde videatur aliter debere evenire, sicut resuscitatio mortui est a solo Deo et corpus mortuum in se habet ut perpetuo careat vita et habet in se *unde non debeat in ipso vita causari*... Propter defectum secundæ conditionis creatio universi non est miraculosa quia non est in re unde aliter esse debeat, imo *naturali ordine* sic esse debet, cum solus

(1) *In 4 sent.* D. 17, a. 12. — (2) *Summ. Theol.* Q. 42. Membr. 1.

(3) *Reportata.* 4. Dist. 43, p. 4, n. 3, et n. 3. — Cf. Salmantic. *Curs. theol.* Tr. 15. D. 3, dub. 4.

Deus sit totius esse auctor. Similiter animarum creatio non est miraculosa, quia non poscit anima aliter esse habere, et consuetus ordo productionis est ut, homine materiam disponente, a Deo creetur materia. Si tamen Deus aliquam animam crearet absque opere hominis materiam disponentis, talis creatio esset miraculosa, utpote *præter consuetum modum* eveniens (1). » Placet his addere domesticam Sylvii auctoritatem. Describens et ipse, juxta inconcussa Angelici dogmata, miraculi qualitates : « Ad hoc ut Miracula censeantur fieri, inquit, *præter ordinem rerum naturalem,* non est satis quod fiant virtute supernaturi (a Deo), sed oportet quod fiant *præter ordinarium solitumque cursum naturæ,* ita scilicet ut in rerum ordine *appareat aliqua dispositio quæ juxta ordinem earum naturalem, requirat debere aliter fueri* (2). » Hanc Veteris Scholæ doctrinam suam fecit magnus Benedictus XIV, in majoris sui de SS. Canonizatione Operis parte qua de Miraculis tractat : « Licet, inquit eruditissimus Pontifex, dari non possit Miraculum quod vires naturæ non excedat, non tamen dici potest quidquid excedit vires naturæ Miraculum esse; cum ad miraculum requiratur nedum ut excedat vires naturæ, sed præterea ut sit *præter ordinem naturæ :* licet enim quidquid est extra ordinem naturæ sit supra vires naturæ, cum natura operari non possit extra ordinem ipsi a Deo præscriptum, non omnis tamen res quæ est supra vires naturæ, est extra ordinem naturæ *a Deo præscriptum.* Exemplum est in creatione animarum rationalium : earum quippe creatio absque dubio naturæ vires excedit cum potentiam infinitam exposcat, *ea vero non est præter ordinem naturæ cum fiat a Deo juxta rerum conditionem,* corporum videlicet sufficientibus organis instruc-

(1) *Comment. ad Summ. Cont. Gentes.* L. III, c. 101.
(2) *Comment. in Summ. Theol.* I, Q. 105, a. 7.

torum ad animam rationalem recipiendam : licet contra creatio et infusio animæ in corpus Adami inter Miracula sit recensenda, utpote infusa in corpus ex terra compactum et nullatenus dispositum ad animam recipiendam, juxta D. Thomam in 2 *Sent. Dist.* 18 q. 1 ad 3, ad secundum : — Quamvis sit præter rationes seminales agentes ad perfectionem effectus, animæ infusio non tamen est præter eas disponentes; dispositio enim corporis ad receptionem animæ... est per virtutem creaturæ collatam. Si tamen sine præcedenti præparatione vel anima infunderetur..., Miraculum dici posset, ut patet in formatione primi hominis (1). »

6. Scholæ testimonia de secunda miraculosi eventus conditione recitavimus. Opportune unam alteramve observationem addiderim ex qua melius eorum sensus declaretur.

Primo itaque ex dictis colligere est requisitum hoc alterum, ut miraculum sit *præter ordinem communem et constitutum* duo secum trahere : 1° quod *causa proxima effectus*, in concreto et consideratis adjunctis suis omnibus, sit ei improportionata juxta insitam suam et connaturalem exigentiam : atque etiam ut in ordine causarum secundarum universo nulla plane existat quæ *ordinatam* et *naturalem* ad effectum virtutem habeat; 2° quod tam in ordine Providentiæ naturalis, sive generalis sive specialis, quam in ordine Providentiæ supernaturalis nulla existat lex sive *norma communis* juxta quam Deus propria sua virtute effectum producere ordinavit, licet etiam ab eo solo fieri possit ac nulla creatura sit quæ illum per se efficere valeat. Quidquid proin juxta regulas statutas ac generales fit, sive a causa *constanter ad talem effectum ordinata*, id omne a theologico miraculorum censu removendum. — Hinc, uti jam animadvertimus, Miracula dici nequeunt non tantum actio Dei creatrix, causæ primæ cum secundis concursus,

(1) *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione* L. IV, P. I, c. I n. 4.

immediata animarum singularum in corpora infusio ac cæteræ causæ primæ operationes quæ *communem naturæ ac Providentiæ ordinem constituunt* : sed etiam miraculis male adscriberentur illa Dei opera quæ ad Providentiam Dei *specialem* pertinent at *normis generalibus* subjecta forent. Quare, ut postea etiam clarius patebit, ad miraculosum ordinem non spectassent varia ista *sensibilis speciei* adjutoria quibus Deus, in statu naturæ puræ, hominum mentes excitare atque adducere potuisset in actualem veritatum naturalium cognitionem : qualia fuissent, *extraordinaria* quædam eventa tum cosmica tum anthropologica et historica. Nam inprimis insolita sive *extraordinaria* ejusmodi eventuum conditio non suffecisset ad constituendum miraculum : ad hoc enim exigitur absoluta effectûs transcendentia supra vires naturæ omnes, ut modo videbimus : neque adeo miraculis accenseri potuissent opera quidem *extraordinaria*, ex *insitis* tamen naturæ viribus derivata. Dein, quamvis particularia ista adjutoria postulassent ut Deus specialem quamdam ordinationem imponeret causis secundis : cum nihilominus, in hypothesi naturæ puræ talia adjutoria hominibus moraliter necessaria forent ut finem suum mere naturalem attingerent : hinc comprehenderentur sub Providentia quidem speciali, sed mere naturali, ac darentur *juxta*, *non præter* naturæ exigentiam. Nequaquam igitur illa Dei interventio, prout sensibili operatione sese manifestaret, supernaturalis vel miraculosa futura fuisset. — Atque item, abstrahendo etiam ab earum *spirituali* indole miraculosum ordinem non ingrediuntur ordinis supernaturalis operationes quæ *secundum regulas generales et constantes* disponuntur, ut actiones Sacramentales, Justificationis et Sanctificationis œconomia etc. (1). — Porro regularem

(1) Cf. Kleutgen : *Theologie der Vorzeit*, II, p. 595. Kilber : *De Deo uno*, c. II a. 5, n. 202, Resp. ad 5 obj. — Havelange : *Ecclesiæ infallibilitas in factis doctrinalibus demonstrata*. Lovanii 1788, p. 200.

istam ac stabilem *causæ* ordinationem ad effectum præcipue spectant theologi ubi requirunt ad miraculum quod sit præter exigentiam sive cursum naturæ. Atque hinc intellexeris nonnulla veterum loca quibus asserunt rationem *insoliti* sive *extraordinarii*, quæ in miraculis exigitur, formaliter attendendam esse *in causa*, minus autem proprie *in effectu*. Sic inter alios docent B. Albertus ac D. Thomas. « Si omni die, inquit prior, resurgerent mortui, nihilominus tamen resurrectio mortuorum esset miraculosa, propter causam nobis insolitam et supernaturalem (1). » Et alibi ita habet : « Etiamsi tota die fieret miraculum, adhuc esset insolitum, quia non fit solito cursu apud causas inferiores (2). » Similiter Angelicus : « Insolitum quod in definitione miraculi ponitur, inquit, non dicit (sc. essentialiter) raritatem facti; sed excludit solitum cursum naturæ : unde si quotidie cæci illuminarentur, nihilominus miraculum esset, quia præter cursum naturalem, qui nobis est consuetus contingeret (3). » — Scilicet hæc *speculative* et *abstracte* verissime statuuntur. Quoniam vero cursus naturæ et connaturalis causarum activitas nobis nonnisi ex effectuum similium repetitione et observatione manifestatur : hinc *de facto* miraculosa et supernaturalia eventa, ut efficaciter assumi possint in doctrinæ revelatæ criterium *atque hominum mentes suapte conditione percellere*, raro tantum produci postulant : ut proin *insoliti* ratio quæ in ejusmodi effectibus adest non tantum in causæ improportione sed etiam in ipsa *effectus raritate* statuenda sit (4). Animadverte 2° requisitum illud miraculosi operis, *ut fiat præter exigentiam naturæ* minime postulare ut sit in

(1) *In* 4 *Sent.* D. 17, a. 12.
(2) *In* 2 *Sent.* D. 18, a. 3.
(3) *In* 2 *Sent.* D. 18, 2, 1.
(4) Cf. Prolegomena p. 24 et R. P. Kleutgen : *Theol. der Vorzeit.* T. II, p. 9.

subjecto dispositio aliqua *positive effectui opposita*, sed satis omnino esse si contingat *præter communem cursum naturæ*. Quod satis fuisset superfluum notasse nisi unus alterve locus apud auctores compareret qui nonnihil in re ista difficultatis habere videatur. Sic Ferrariensis explicans quare Justificatio non sit proprie miraculosa, hoc inde repetit quod « anima rationalis, cum sit ad imaginem Dei facta, secundum naturam suam capax est Dei *per gratiam* et a solo Deo justificatio fieri possit *et propterea non est præter ordinem* naturæ creatæ... idcirco non est dicenda miraculosa (1). » Nimirum justificationem non esse miraculum verissimum est, tum quod non sit opus sensibile, tum maxime quod fiat *juxta normas generales*. Verum si eapropter miraculosa non foret quod adsit in anima rationali passiva quædam ac obedientialis capacitas ad exaltationem supernaturalem quæ quidem a solo Deo in actum secundum possit reduci (hic enim sensus esse videtur Ferrariensis), ea tantum opera jam pro miraculis haberentur quæ *positivam* aliquam repugnantiam in subjecto involvunt. At inde esset ut prophetia, cordis secretorum cognitio atque alia sexcenta ex miraculorum censu delenda forent. Si igitur subobscurum Ferrariensis locum et alia similia nonnulla explicare velis, conjeceris illum respexisse justificationem prout contingit *juxta leges stabiles et communi norma temperatas*, quod miraculis non est proprium. — Dictis etiam inferes idem a scholæ Doctoribus significari dum ad miraculum postulant ut effectus fiat præter constitutum naturæ ordinem et dum volunt ut sit in natura dispositio quæ requirit ut effectus aliter eveniat. Hoc autem observo quoniam ex nonnullorum verbis, ut Ferrariensis, Sylvii etc. concludere quis

(1) *Comment. in Summ. cont. Gent.* L. III, c. 101. — Cf. etiam. D. Th. *Summ. Th.* 2ª 2æ. q. 115, a. 10.

iterum posset exigi in miraculosi eventus objecto dispositionem *positive* et *active* contrariam effectui qui producitur; quod tamen de quibusdam tantum miraculis obtinet, ut paulo post dicetur, neque universaliter asserendum est, cum sufficiat ut effectus vere fiat *præter propriæ causæ ordinem* sive in iis circumstantiis quibus, de lege ordinaria ac secundum constitutum naturæ cursum ipse non fieret. Si tamen minus stricte loqui velis, dicere poteris in iis quæ præter constitutas leges ac consuetum ordinem fiunt, veluti contrariam aliquam inesse, negativo saltem sensu, dispositionem : scilicet, in istis reperitur ipsa generalis et solita constituti cursus præordinatio, quæ *contraria* quasi dispositio censeri potest relate ad effectum miraculosum particularem qui præter eam sequitur. Quod vero nil aliud communiter veteres senserint, quiquid sit de quibusdam eorum locutionibus quæ nunquam a contextu sunt removendæ, illud patet ex citatis Ferrariensis et Sylvii locis in quibus synonimice adhibentur enuntiationes : *fieri præter ordinem propriæ causæ* vel *præter ordinarium solitumque cursum naturæ* et *esse in re unde aliter debeat fieri* vel etiam *esse in rebus aliquid ob quod videatur non debere sic fieri* (1). — Atque hæc quæ diximus de altero miraculosi eventus essentiali requisito satis esse possunt.

6. Tertia miraculi eaque maximi momenti conditio illa est, ut effectus non tantum fiat præter constitutum naturæ ordinem, sed insuper ut fiat supra vires naturæ totius tam creatæ quam creabilis, ita ut a nullius finitæ causæ actione pendeat, sed nonnisi ipsius primæ et infinitæ causæ efficientiæ proportionatus sit.

Et re quidem vera, Miraculum, ut deducere est ex ejus essentiali fine et generalissima notione quam antea exposuimus, huc directe tendit ut exhibeat hominibus

(1) Recole mox citata testimonia.

immediatum ac specialissimum summi Dei testimonium, quo ipse Religionis, pro divina ac revelata propositæ, veritatem infallibili suo suffragio sanciat et palam attestetur, aut hominis cujuspiam sanctitatem vel rem demum quamlibet, proxime vel remote ad Religionis negotium spectantem, solemni ratione comprobet atque declaret : uno verbo, ut loquitur Angelicus, Miraculum propriissime dicendum : « Divinum testimonium indicativum divinæ virtutis et veritatis (1). » Cum autem divina Essentia, in præsenti conditione, immediate nobis patere non possit; hinc quemadmodum in Dei ipsius cognitionem a creatis effectibus manuducimur, ita et ejus consiliorum manifestationem ex opere *aliquo sensibili atque creato, quod relate ad nos habeat rationem signi*, unice deprehendere possumus. Jamvero operum Dei ad extra duplex omnino species cogitari potest : alia enim talia sunt ut proxime effici valeant ex propriis et insitis causarum secundarum viribus, præstante causa prima concursum tantum *generalem* : alia vero in concreto suo statu atque attentis circumstantiis omnibus, in eo qui nunc institutus est naturæ et Providentiæ ordine, a sola causa prima producibilia sunt et directam ejus actionem et efficientiam postulant. Atqui prioris classis opera creata per se assumi nequeunt ut nobis referant specialissimum divinorum consiliorum manifestativum. Cum enim connaturali creaturarum virtuti respondeant, ex se nullatenus ordinantur ut peculiare Dei testimonium nobis exhibeant neque ullam cum eo connexionem in ratione *signi* habere possunt. — Contra, opus sensibile et creatum, at tale quod in sua concreta conditione transcendit vires naturæ omnes, prout hominibus moraliter omnibus ex certa cognitione et experientia innotescunt, atque uni causæ primæ actioni proportionatur, si fieri contingat

(1) *Op. de Potentia.* Q. VI *de Miraculis*, a. 5.

in connexione evidenti cum aliqua Doctrina Deo digna, vel cum veritate qualibet ad Dei cultum quovis modo pertinente, tale, inquam, opus, relate ad nos, vere conventionalem signi rationem habebit, quo divina consilia discere valeamus. Manifestum quippe est, ejusmodi opera, præter constitutum naturæ ordinem et supra vires ejus omnes effecta, *ab intrinseco, directe* et *in ipso actu primo* Dei interventionem supponere atque adeo rationem habere specialissimi *divinæ veritatis vel virtutis manifestativi*. Quemadmodum enim opus quod agens sapientia præditum exerit modo extraordinario atque in aperta connexione cum aliqua veritate vel doctrinæ capite, ex legibus *moralis imputationis*, propriissimum ejus voluntatis signum censetur : ita in Ente infinitæ *sapientiæ* et *potentiæ*, propriissimam *signi* ac indicativi ipsius consiliorum rationem habebit ejusmodi sensibile opus quod per solam et immediatam illius interventionem produci potest, ac manifesto connectitur cum aliqua veritate ad rem religiosam evidenter pertinentem. Quare istiusmodi operum generi quæ non modo fiunt præter exigentiam et constitutum naturæ cursum, sed etiam naturæ totius tam creatæ quam creabilis efficaciam superant, propriissime et in rigore Miraculi notio nomenque convenit. — Utrum vero non quidem directe, sed per accidens et *ab extrinseco*, ut schola loquitur, opera quædam alia, vim creaturæ propriam saltem in actu primo non excedentia, quandoque divinitus assumi possint in divini consilii manifestationem, id suo loco investigabimus.

7. Porro hanc supra naturæ vires omnes transcendentiam in Miraculo requirunt scholæ Doctores universim. Ita Scholasticæ Theologiæ præformator S. Anselmus miracula vocat : « Ea quæ nec natura creata, nec voluntas creaturæ sed solus Deus facit (1). » Anselmo consentit

(1) *De conceptu Virginis.* — L. II, c. 11.

Richardus a S. Victore qui Miraculum describens docet illud *opus esse ipsius creatoris manifestativum divinæ virtutis* (1). Similiter Halensis qui mox citata S. Anselmi verba referens, fuse evincit in iis etiam miraculis quæ Sancti atque Angeli operantur Deum efficientem et veram causam esse habendam (2). At nemo clarius hanc doctrinam proposuit quam D. Thomas. Ostensurus quod unius Dei sit patrari vera miracula : « Respondeo dicendum, inquit, quod miraculum proprie dicitur, cum aliquid fit præter ordinem naturæ. *Sed non sufficit ad rationem Miraculi si aliquid fiat præter ordinem alicujus naturæ particularis.* Quia sic cum aliquis projicit lapidem sursum Miraculum faceret, cum hoc fit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse Miraculum, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ. *Hoc autem non potest facere nisi Deus,* quia quidquid facit Angelus vel quæcumque alia creatura propria virtute, hoc fit secundum ordinem naturæ et sic non est Miraculum. Unde relinquitur quod solus Deus miracula facere possit (3). » Consequentiam veluti ducit ex supra posito principio Angelicus ubi paulo post, sciscitatus utrum Dæmones miracula patrare possint : « Respondeo, ait... dicendum quod sicut ex supra dictis patet, si miraculum proprie accipitur, dæmones miracula facere non possunt *nec aliqua creatura sed solus Deus.* Quia Miraculum proprie dicitur quod sit præter ordinem totius naturæ creatæ sub quo ordine continetur omnis virtus creata (4) » : — Eadem tradit Angelicus in sua *Summa contra Gentes :* Cum enim dixisset Miraculum dici a mirari illudque mirari homines cujus causam non perspiciunt, ita pergit. « Illud ergo

(1) Ap D. Th. *De pot.* Q. VI, a. 2, in corp.
(2) *Summ. Th.* 2, 42. Membr. I.
(3) *Summ. Theol.* I, Q. 110, a. 4, in corp. et ad 4.
(4) *Ibid.* Q. 114, in corp.

simpliciter mirum est, inquit, quod habet causam simpliciter occultam, et hoc sonat nomen Miraculi, ut scilicet sit de se admiratione plenum, non quoad hunc vel illum tantum. Causa autem simpliciter occulta omni homini est Deus. Illa igitur simpliciter miracula dicenda sunt quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter servatum in rebus (1).» Item paulo postea, cum ostendere vellet quod « *solus Deus potest miracula facere* » ita positionem demonstrat : « Quod est sub ordine totaliter constitutum non potest præter ordinem illum operari. Omnis autem creatura est constituta sub ordine quem Deus in rebus statuit : nulla ergo creatura potest supra hunc ordinem operari (2). » Quæ Angelici ratiocinatio hoc præsupposito nititur tota quod antea fuerat demonstratum : Miraculum talem effectum esse qui supra vires sit totius naturæ creatæ et creabilis. Unde ad hæc verba adnotat Ferrariensis « Ad evidentiam hujus rationis, inquit, considerandum est ex doctrina S. Thomæ, I, q. 110, art. 4, quod ad rationem Miraculi non sufficit quod aliquid fit præter ordinem et inclinationem alicujus particularis virtutis creatæ, sed requiritur quod fit præter ordinem totius virtutis creatæ; id est *quod nulla virtus creata illum effectum cum omnibus ejus conditionibus possit efficere.* Constat autem quod particularis virtus creata non potest operari præter ordinem totius naturæ creatæ; cum operetur secundum ordinem et inclinationem suam, qui ordo continetur sub universali ordine universitatis creaturarum a Deo imposito, sicut pars continetur in suo toto, et ideo nulla virtus creata potest Miraculum facere (3). » — Magistri sui sententiam sequuntur atque confirmant nobilissima illa Dominicanæ familiæ lumina et Angelici Doctrinæ interpretes

(1) *Summ. cont. Gent.* L. 3, c. 101.
(2) *Ibid.* c. 102.
(3) *Comment. in Summ. cont. Gent.* ad h. l.

Cajetanus de Vio et ipse Franciscus de Sylvestris. Et prior breviter quidem sed ut solet nervose et dilucide : « Angeli, inquit non possunt propria virtute Miracula facere. Probatur : Miraculum est præter ordinem naturæ creatæ non alicujus sed omnis. Quidquid fit a quacumque creatura virtute propria, non fit præter ordinem totius naturæ creatæ, ergo nullum factum a creatura est Miraculum... quia quidquid fit virtute creata propria fit secundum ordinem illius virtutis (1). » Ferariensem modo retuli : addam heic locum maxime perspicuum, quo veteris Scholæ mentem universæ refert : « Considerandum, ita ille, ex doctrina D. Thomæ *de Potentia*, Q. 6, art. 3, quod ea quæ fiunt mediantibus actionibus naturalibus miracula proprie non sunt, quia ea dumtaxat vere Miracula sunt quæ absque naturalibus actionibus a causa supernaturali fiunt. Unde licet aliqui mirabiles effectus fiant *a substantiis separatis*, mediantibus virtutibus corporeis naturalibus, in quæ virtus corporea secundum se non potest, sicut in operibus artis aliquos effectus mirabiles fieri videmus per aliqua instrumenta quos ipsa instrumenta per se facere non possunt, illi tamen effectus miracula non sunt eo quod *mediante actione virtutis naturalis* fiant (2). » — Veteris Scholæ testimoniis non possum quin, in re sæpius controversa, addam recentiorum doctrinam. — « Dicitur Miraculum, inquit Bellarminus, quod superat vires omnium creaturarum (3). » Et in alio loco : « Vera miracula dicuntur illa quæ a solo Deo fieri possunt, id est quæ non habent causas naturales neque occultas neque manifestas et ideo non solum in conspectu hominum *sed etiam dæmonum et Angelorum* sunt mirabilia (4). » Con-

(1) *Comment. ad Summ. Theol.* I, q. 110.
(2) *Comment. ad Summ. cont. Gent.* L. III, c. 102.
(3) *De notis Ecclesiæ.* L. 4, c. 14.
(4) *De Romano Pontifice.* L. 4, c. 15.

sentit eximius Suarez : « Miraculum ab admiratione dicitur : admiratio autem oritur quando viso effectu causa est occulta. Duobus vero modis contingit causam esse occultam, scilicet per accidens et per se. Per accidens voco, quando non excedit naturales causas, sed ex defectu et imperfectione videntis effectum et ignorantis causam provenit ut miretur. Per se autem occultam voco quæ ita excedit naturales causas ut per se etiam superet naturalem cognitionem intellectus creati. Hujusmodi vero causa propria est solus Deus præsertim ut operans supra omnes naturæ leges et præter modum connaturalem effectui producto. Ut propterea admiratio proveniens ex priori ignorantia non sufficit ad *absolutam* rationem miraculi, sed solum *secundum quid* seu *quoad nos* ut loquitur D. Thomas... De ratione ergo miraculi erit ut causa effectus sit per se occulta quia tunc revera opus est admiratione plenum, quod nomen miraculi importat (1). » Nec secus Em. Pallavicinus : « Miraculum est illud quod est admirabile omnibus creaturis intellectualibus propter sublimitatem suæ causæ omnium captum excedentis (2). — Item Perrerius qui postquam animadvertit Dei respectu nihil miraculum esse posse, pro comprehensiva quam habet rerum omnium cognitione, plura vero hominibus miracula esse posse, eo quod eorum causas ignorent, etsi ista sub universali naturæ ordine contineantur, ita tandem concludit : « Sed vere ac proprie miraculum dicitur id opus quod ideo vere meritoque miraculum est quod omnis naturæ creatæ vim atque potestatem excedit (3). » Atque ad eumdem Scripturæ locum Cornelius a Lapide : « Suppono, inquit, nec dæmones nec magos vere miracula efficere. Miraculum enim est id quod omnem naturæ vim omnemque causarum naturalium, hominum

(1) *De Angelis.* C. 29, n. 10.
(2) *In* I *Sent. Dist.* 2, q. 2, a. 2, n. 6.
(3) *Comm. in Exodum.* Ad. cap. 7, Disput. 5.

et angelorum facultatem superat : possunt tamen facere nonnulla quæ hominum aliarumque rerum naturalium vim superant quæ proinde hominibus mira sunt, non miracula (1). » — Concinit Sylvius : « Ex his, inquit ubi de miraculi conceptu egit, præterea intelligi potest sola virtute divina posse fieri vera miracula, cum ipse sicut solus est totius naturæ ordinisque naturalis institutor, ita solus præter totius naturæ solitum cursum possit operari solusque etiam ipse sit causa simpliciter toti naturæ occulta (2). » Eadem plane repereris apud Bannez (3), de Valentia (4), Gazzanigam (5), Viguerum (6), aliosque complures.

8. Ex allatis testimoniis cernere est quam unanimiter Theologi inter essentialia effectus Miraculosi prædicata reposuerint ejus supra vires naturæ totius transcendentiam. Verum necesse est ut diligenter explicemus requisiti istius naturam et sensum. Imo vero eo vel accuratius hoc nobis præstandum est, quod nonnulli recentiores, cupidius forte quam verius, a veterum sententia nonnihil in ea re recedendum putaveriut. — Itaque, quod ante omnia heic animadvertas, Scholastici Doctores atque in primis D. Thomas, in ea definitione miraculi quam ex eis retulimus, proprie nihil aliud intenderunt nisi ut Miraculum *ontologice* sive *objective*, quale in se ipso existit describerent : minime vero mens ipsis fuit *criterium* sive notas tradere quibus supernaturalia opera ab hominibus dignoscerentur. — Nempe, ipsi hanc suam Miraculi definitionem minime proferunt in illa disciplinæ sacræ parte, quæ de

(1) *Comment. in Exodum*, c. 7, v. 11.
(2) *Comment. in* I *Part. D. Th.* Q. CVI, a. 7.
(3) *Scholastica commentaria in* I, *ad* Q. CVI, a. 7.
(4) *Commentaria theologica.* Tom. 3. De objecto fidei. Disp. I, q. 1. Punct. 4. — Item Tom. I, Disp. 8, q. 3. *De secundo effectu gubernationis divinæ.* Punct. 2.
(5) *Theologia Dogmatica in systema redacta.* Pars prior cap. 5, n. 30.
(6) *Institutiones.* c. 9, § 2, ver. 9.

Fidei *cognoscibilitate* sive de *motivis credibilitatis* agit, ut postea passim Theologorum usu obtinuit, at fere in ea summarum et commentariorum parte qua de potentia Dei atque Angelorum ὀντως considerata disputant, omissa miraculi consideratione *subjectiva*. Quare Cajetanus et Ferrariensis, ut hos tantum appellem, quos cæteri fere sequuntur, ubi supra laudata Magistri sui loca illustrantur, nequaquam de miraculosi eventus recognitione tractant sed unice in ontologica ipsius consideratione consistunt. — Atque illud eapropter notavimus ut præoccuparentur nonnullorum, maxime recentiorum, adversus scholæ definitionem, expostulationes quasi, posita in descriptione Miraculi effectus supra vires naturæ universas transcendentia, impossibile jam foret supernaturalia eventa a naturalibus internoscere, cum nemo sit qui naturæ vires omnes sibi perspectas habeat. Porro quînam tandem ea a factis naturæ dignoscantur, suo loco dicemus. Interea suffecerit notasse nihil ex illa oppositione sequi contra scholasticorum Doctrinam, cum falso supponant mentem ipsis fuisse Miraculi κριτηριον ac notas assignare, ubi in sola objectiva Miraculi quidditate declaranda versantur. Atque hanc esse mentem scholæ et in specie Angelici Præceptoris, discere etiam est ex constanti sacri P. P. Prædicatorum Ordinis doctrina, prout ipsi ex testimonio domestico accepimus. Neque mirum cuipiam videatur asserrere nos aliud esse formalem rei definitionem, aliud ejus criteria sive discerniculum subjectivum. Sane ipsæ rei notæ ex ejus natura atque essentialibus attributis dimanant : nihilominus hæc non possunt simpliciter cum ea confundi, cum inter ea distinctio saltem logica sive rationis ratiocinantis intercedat. Ita, exempli causa, hominis essentia sive homo ὀντως spectatus est quidem animal rationale : at vero hæc ipsa hominis essentia nobis innotescit ex variis signis, ut sunt sermo, actionum ad finem directio, indifferentiæ libertas, et cætera id genus. Atque consi-

mili plane ratione effectus, naturæ facultatem omnem vincens, nobis manifestatur ex nonnullis criteriis quæ postea fuse a nobis decribentur, ex quibus, per modum consequentiæ, ipsius transcendentia colligitur. Ut adeo optimo jure possit quis inter notas miraculi constitutivas effectus supra naturam universam superminentiam collocare, quin tamen intendat hanc effectus transcendentiam *directe* tanquam criterium assignare, ex quo miraculum subjective recognosci ac dijudicari possit.

9. At posito jam quod descriptio Miraculi passim a schola tradita accipienda sit de Miraculo præcise *in objectivo suo statu considerato*, declarandum restat quisnam conditionis istius germanus sensus habendus sit, sive quanam ratione intelligi debeat illa miraculosi effectus supra vires naturæ totius transcendentia? Dicendum itaque requisitum illud multiplici ratione intelligi posse. Nam primo effectus aliquis creatus vires naturæ superare potest aut *quoad ipsam operis substantiam*, aut *quoad effectionis modum*. — Nimirum, operis quidditas talis esse potest, ut secundum se totam arguat infinitam in agente perfectionem atque omnipotentiam : vel licet opus ipsum hujusmodi infinitam potestatem haud requirat, attamen *modus* illud hic et nunc patrandi omnem creatam vim ita vincit ut nonnisi causæ primæ ac omnipotenti tribui debeat. Sic, exempli gratia, realis vitæ in emortui hominis cadavere reditus, cordis secretorum vel rerum futurarum certa præcognitio, morbi certo incurabilis instantanea curatio, expeditum ac universale in elementa dominium etc., talia opera sunt quæ *secundum suam substantiam* omnem creaturarum vim excedunt atque causam infinitæ potentiæ ac sapientiæ postulant. Sed morbi non incurabilis ad solum Thaumaturgi jussum sanatio, atque alia id genus sanationis portenta vires excedunt naturæ, non quoad substantiam operis, si quidem nonnunquam medicorum arte

efficiuntur, neque supra naturam dici debeat connaturalis corporis sanitas; nihilominus tamen naturam vincunt *quoad effectionis modum :* creatam quippe facultatem superat, in instanti, pro agentis arbitrio atque ad merum ejus jussum difficiles perfici curationes quæ de lege statuta, nonnisi sensim et non sine adhibitis mediis contingunt. Age, ut Miraculi, etiam propriissime ac in theologico rigore sumpti notio salvetur, perinde est si effectus utrolibet modo omnem naturæ capacitatem transcendat. In utraque enim hypothesi propria eventus causa solus Deus esse potest. Ergo, in concreto suo statu, opus tale tandem est ut, posito quod evidentem habeat connexionem cum aliqua doctrina vel cum veritate quapiam cæteroquin Deo non indigna, induat relate ad nos veram rationem divini manifestativi, sive specialissimi testimonii ab ipso Deo hominibus exhibiti. Sive igitur quoad suam substantiam solam, sive quoad effectionis modum, certo superet effectus vim creaturarum omnem, vere Miraculum erit. Atque illud clare docet Angelicus atque cum eo Schola universa. Namque, ut postea fusius dicetur, post quam Miraculosa opera distribuisset in miracula *quantum ad facti substantiam* seu *quantum ad id quod fit*, uti ipse loquitur, atque in Miracula *quantum ad subjectum in quo fiunt*, tertiam addit classem : nempe miracula *quoad modum*. « Sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febri curatus absque curatione et consueto naturæ processu in talibus; ut cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, ut factum est ad preces Samuelis et Eliæ. *Et hujusmodi*, ait S. Doctor, *tenent infimum locum in miraculis* (1). » Ex quibus verbis cernis D. Thomam inter vere miracula recensuisse ea etiam opera creata, quæ non sui substantia quidem, sed effectionis modo vires naturæ

(1) *Summ. Th.* I, q. 105.

vincunt. Porro Angelici mentem sequuntur Theologi omnes.

10. At secundo effectus qui sive substantia, sive modo vires naturæ transcendit, divinitus produci potest aut *immediate* et *exclusive*, sola divinæ omnipotentiæ applicatione, actu creativo vel creativo actui æquivalente; aut *mediate* et adhibitis causis quibusdam secundis, quas Deus ipse, pro omnipotenti sua virtute, per semetipsum elevat ad effectum ad cujus productionem neque ex se ipsis, neque etiam ex ullo creati agentis cujuscumque influxu sese extendere valerent. — Et re quidem vera, in altero hoc casu, de quo unice ambigi possit, non utitur prima causa causis secundis ceu principiis effectui *ulla ex parte* proportionatis, sed illas assumit ceu *materiale* effectus instrumentum atque in actum educit earum *potentiam obedientialem*, præter et supra omnem earum facultatem, non modo *actualem* sed etiam *virtualem*. Ergo effectus ipse, in concreto spectatus, reapse vincit omnem *naturæ totius* facultatem, non corporeæ modo, sed etiam incorporeæ sive spiritualis, neque minus personalem et supernaturalem Dei interventionem supponit quam ea Miracula quæ *actu creativo* vel *creativo æquivalente* directe causari ponuntur. Atque hoc ipsum, quamvis non dedita opera varias miraculosæ operationis facies ibi expendat, luculenter tradit Angelicus : « *Potest* (Deus), inquit, *præter hunc* (constitutum et ordinarium) *ordinem agere cum voluerit : puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis* (en prior miraculi species, resultans ad exclusivam ac directam causæ primæ interventionem) — *vel producendo aliquos effectus, ad quos causæ secundæ non se extendunt* » (1). — Profecto ex ipsa disjunctivæ ratione vides alteram ejus partem intelligendam de effectibus a Deo productis, *adhibitis quidem causis secundis*, cum in priori parte actum

(1) *Summ. Th.* I, 2. 105, in córp.

fuisset de iis effectibus quos patrat *sine ipsis*, directo omnipotentiæ suæ exercitio. — Neque objici debent verba supra allata Ferrariensis (ad n. 7) quibus negat miraculis proprie accensenda spirituum mirabilia quæ ipsi efficiunt suo in res corporeas influxu (1). Nam in primis nos agimus de operibus, non quidem a superioribus substantiis quæ intra naturæ ambitum continentur effectis, sed solum de iis quæ a Deo, qui solus supra naturam finitam universam est, productis : dein, spirituum portenta de quibus Ferrariensis et cæteri cum eo Scholastici agunt, habent seminale et virtuale fundamentum in ipsa materiæ corporeæ atque inferioris creaturæ conditione objectiva, et oriuntur formaliter partim ex materiæ potentia insita, partim et maxime ex superveniente spirituum activitate. Contra ista portenta de quibus post D. Thomam heic agimus, non habent illum naturale in agente creato quolibet fundamentum, quin adest tantum in natura *potentia obedientialis* ad illos. Egregie illud ostendit Suarezius. Probaturus namque Angelos non valere Miracula theologice dicta patrare, sic loquitur : « Probatur, inquit, ex supra dictis, de illorum potentia activa ad extra, quia nihil possunt facere sine interventu et apparatu naturalium causarum... Unde solum possunt materiam transmutare *secundum aliquam naturalem capacitatem*, non vero *secundum potentiam obedientialem*. Ac denique hanc ipsam transmutationem, si sit ad formam præter motum localem, facere non possunt per se et sua virtute, sed *tantum applicando agens*, quod virtutem habeat *naturalem* ad talem formam introducendam, ergo nullum verum miraculum facere possunt (2). » — Unde paulo post, insistens eisdem principiis, notat Doctor Eximius vero aliquo sensu miraculum dici posse *quidquid excedit virtutem causarum visibilium et corporalium*.

(1) *Comm. in Summ. cont. Gent.* L. III c. 102, ad finem.
(2) *De Angelis.* c. 29, n. 9.

At vero hoc ita interpretatur, ut nostram expositionem prorsus statuat. Nimirum, cum spiritus nihil sua mirabilia patrare valeant, nisi ex usu corporeæ et visibilis naturæ, ipsa hæc illorum opera non egrediuntur naturalem et insitam visibilium agentium potestatem : proinde ea quæ, saltem seminaliter, intra illorum connaturalis virtutis terminos non concluduntur, a nullo spiritu fieri possunt ac solius Dei omnipotentiæ permissa sunt, ut adeo stricte miracula sint habenda. En verba Suarezii : « Quia hinc, ait (ex impotentia radicali *visibilium* agentium ad aliquod opus) evidenter concluditur etiam esse (effectum) *supra omnem virtutem angelicam*, cum hæc non possit, nisi applicando naturales et corporeas causas activas passivis, hujusmodi effectus sensibiles efficere. » Et addit : « Unde cum Augustinus et S. Thomas dicunt posse dæmones efficere aliquos effectus supra totum ordinem naturæ corporeæ, non intelligunt supra totam virtutem naturæ corporeæ, sed per *ordinem* intelligunt illam applicationem et concursum corporalium causarum, qui per communem cursum naturalium agentium eveniret, *si ab Angelis non immutaretur.* Cum autem hæc immutatio *per solum motum localem* fieri possit, ad veritatem miraculi non sufficit, ut explicatum est (1). » Quem Suaris locum vel eo magis adduximus, quod nonnulli fuerint qui vaga quædam ipsius verba a reliquo contextu sejungentes, asseruerint ipsi satis fuisse ad miraculum theologice sumptum, si effectus transcendat vim naturæ corporeæ, non tamen virtutem spirituum. Porro quinam intelligendus ea in re sit Suarezius et quam belle cæteris scholasticis consentiat lector jam dijudicet. — Interea vides miraculis in primis accensenda opera sive quoad substantiam sive quoad modum supernaturalia quæ Deus immediata suæ omnipotentiæ applicatione producit, neque

(1) *De Angelis.* c. 29, n. 10.

minus ea quæ patrat mediantibus causis creatis, vi potentiæ earum obedientialis ac illimitati sui in res omnes dominii. — Exemplum ejusmodi Miraculi *mediati* ponit ipse Angelicus in multiplicatione ea panum et piscium quam referunt Evangelistæ (1). Nimirum observat non fuisse necessarium ut istos cibos Christus actu creativo de nihilo eduxerit, sed satis fuisse si ipse eorum elementa, in natura jam præexistentia, pro omnipotenti Verbi virtute quæ cum sacra ejus humanitate unita erat, ordinaverit, debite ea composuerit et evolverit. Ita quoque idem miraculum explanat scriptor recens, licet forte modo nimis decretorio suam explicationem proferat (2). Porro ejus

(1) *Summ. Th.* III, Q. 44, a. 4, ad. 4.

(2) Sic scribit D. Pauvert : « Le pain est composé d'eau, de gluten et de fécule amylacée; les bases de ces principes immédiats sont au nombre de quatre : l'oxygène et l'hydrogène, l'azote et le carbone. Or l'air atmosphérique contient à l'état de combinaison ou de mélange ces quatre principes ; car la vapeur d'eau mêlée à l'air contient l'hydrogène : l'acide carbonique renferme le carbone, et l'air a l'azote pour composant, tous les trois combinés avec l'oxygène. Le pain pour se multiplier a donc trouvé tous ces éléments dans l'air; *le pouvoir transformateur*, *au lieu de résider dans le germe de l'orge*, a été immédiatement produit (melius : exercé) par le Sauveur. Il pouvait bien lui conférer cette puissance, puisque, comme Verbe créateur, il a doté tous les germes de leur force d'assimilation. Comment ne pourrait-il pas faire par lui-même ce qu'il fait exécuter durant le laps des siècles par ces millions de germes qui se développent et prennent grosseur et longeur, en démêlant dans le sol, dans l'air et dans l'eau les éléments similaires qu'ils convertissent en leur propre substance? De même pour les poissons : presque tous leurs principes immédiats, sang, gélatine, fibrine, huile ou graisse ont toujours pour base les quatre corps cités plus haut. Un pouvoir assimilateur peut donc les démêler dans l'atmosphère ; il n'y manque qu'un seul élément un peu important, le carbonate de chaux; encore toutes les familles de poissons comprises dans l'ordre des cartilagineux, tels que pétromisons, raies, squales, etc., sont privées de calcaire. En d'autres termes, un grain d'orge qui pèse cinq centigrammes, après six mois de végétation pèsera cent grammes en y comprenant les racines, les tiges, épis et grains qu'il a produits. Où a-t-il pris l'excédant de sa substance primitive? Dans l'air et dans le sol, ou si le sol les refuse, dans l'air seul. Un œuf de poisson pèse à peine un milligramme : le poisson qui en sort pèse après trois années au moins un kilogramme : d'où vient cet accroissement? Où en a-t-il trouvé la matière? Dans l'air, dans l'eau et dans les substances qu'elle charrie. Ce que l'orge et le poisson ne font que lentement et sous l'action du temps, le Sauveur l'a fait instantanément. Cette instantanéité et cette appli-

verba in subducta nota referendo, intendimus tantum hypothesim ipsam quam exposuimus exemplo illustrare. Utrum enim *de facto*, sive in hoc Christi portento, sive in aliis prodigiis quibuscumque, *actus creativus* intervenerit, an tantum *actus ordinativus* quo præexistentia elementa *divinitus* ac supra vim creaturæ cujuslibet, in certam aliquam rationem disposita fuerint, hoc, ut ingenue quid sentiam loquar, universali saltem regula, determinari nequit.

12. Post dicta patet multiplex sensus quo intelligi potest miraculosi operis supra naturæ vires transcendentia. Verum nefas foret hanc Disquisitionem claudere nisi pauca etiam notaverim de nonnullorum sententia qui maxime post Bonnet et Houtteville, sæculi præteriti apologetas, arbitrati sunt sufficere ad Miraculum si, in ipso ambitu *Legum Naturæ*, normæ quædam reconditiores existant, ad quarum efficientiam extraordinaria quædam eventa sive Miracula subsequantur. De ea sententia prout a citatis auctoribus proposita fuit, suo loco dicam. Attingam heic tantummodo generalissimum hypothesis aspectum. Quæritur itaque num ad miraculi verificationem satis sit effectum hoc modo supra naturam esse ut debeatur *extraordinariæ cuidam legi cosmicæ* cujus effectus Deo disponente, de facto connectitur vel cum revelatæ Doctrinæ propositione vel cum alia divini alicujus consilii manifestatione qualibet ?

Respondeo aliud de ista suppositione dici posse, considerata Dei voluntate absoluta, ut ajunt, aliud vero considerata voluntate Dei ordinata et actuali ordine Providentiæ. Quippe, fingere possumus, absolute loquendo, quod Deus reposuerit in intimum, ut sic loquar, natura-

cation directe de sa puissance constituent le miracle. » *Vie de N. S. J.-C.* Paris, Bray. 1867 I, p. 275. — Videsis etiam Cl. Ringseis. *Rede bei der Versammlung des cath. Vereins Deutschl.* an. 1861, p. 89. Ap. Sepp. *Jésus Christ. Études sur sa vie et sa Doctrine*, Trad. Se Foi, I, p. 310.

lium agentium fundum legem aliquam sive dynamicum principium, vi cujus, ex positivo suo decreto, producantur eventa extraordinaria, ubi scilicet revelata aliqua doctrina hominibus proponenda, vel divina consilia eis manifestanda forent. Quippe in casu, ex Dei voluntate, effectus, in se spectatus, nonnisi mere naturalis esset neque ei supernaturalem conditionem quidquam conferret ejus raritas. Eventus enim omnino deberetur insitæ causarum secundarum activitati, verum hæc ita a rerum conditore temperaretur, ut in actum prosiliret nunquam, nisi cum divinæ doctrinæ vel consiliorum communicatio aliqua hominibus foret afferenda. — Verum, quod illico notandum venit, quamvis *causa* eventus in hac hypothesi nonnisi mere naturalis existeret, tamen constans ipsius *connexio* cum propositione veræ et supernaturalis Doctrinæ *naturali* rerum ordinationi adscribi non posset, sed prorsus specialem Dei Providentiam postularet, imo vero talem quæ *præter exigentiam* atque proin *supra vires* ipsius naturæ foret. Quod enim insitæ activitatis, qua causa secunda ex suis intrinsecis principiis ornatur, *exercitium* actuale *præcise* connectatur cum divinorum consiliorum manifestatione, hoc sane ex sola natura non est, prout illa in naturali suo statu consideratur. Per se enim naturæ phenomena omnino concluduntur intra *ordinis physici* ambitum neque *constantem et exclusivam* cum ordine morali connexionem ullatenus habent. Quare illa effectus *naturalis* cum doctrinæ Revelatæ propositione habitudo non vaga, sed perfecta atque determinata, Dei consilium seu ordinationem importat quæ nequaquam juxta constitutum naturæ ordinem consequeretur sed præter illum contingeret. — Nec dicat quis potuisse absolute loquendo sapientissimum Numen, res ita ordinasse, ut sibi mutuo responderet hinc causarum secundarum activitatis exercitium, illinc ipsa consiliorum suorum manifestatio. Nam imprimis hoc non tollit rationem allatam : talem Dei dispositionem, fore præter

ordinis cosmici cursum atque adeo supernaturalem, saltem *quoad modum*. Dein ejusmodi *Occasionalismus* nihil rem in casu explicaret. Quippe Miracula explicite a thaumaturgis in signum suæ divinæ missionis perhibentur : ergo non sufficit ut coram hominibus producantur, sed insuper ut eorum præcognitio penes Thaumaturgum sit, cum tamen lateat homines reliquos omnes. At sane ista notitia effectus legi huic arcanæ debiti nequit adesse Thaumaturgo nisi ei divinitus tandem reveletur, in quo sane *Miraculum intellectuale* sive *Prophetiam* habes. Vides, nisi desipiendum sit, supernaturale stricte dictum jam redire, vel in hac ipsa recentiorum hypothesi. — Sed quam multa impediant quominus huic sententiæ consentiamus, patebit si illam consideres attento actuali Providentiæ ordine, sive, ut ajunt, sub *Providentia Dei ordinata*. In primis enim, Scripturæ sacræ, ex quibus Supernaturalis æconomiæ ordo et tenor in primis repeti debent, hanc hypothesim non modo non commendant, sed ipsi plurimum obsunt. Equidem, de *essentia* sive *notione* Miraculi sacra pagina non disserit. Verum suffecerit eam evolvisse, ut pateat Miracula *divinæ* et *supernaturali* interventioni a sacris scriptoribus directe et constanter tribui. Age, non est putandum, perpetuo sensibus dubiis, imo et fallacibus Scripturas esse refertas. Sed 2° neminem fugit talem esse indolem eventuum quæ Miraculis de facto accensentur, ut nullatenus alicui principio deberi possint, quod mere naturale sit. Ecquis eo venerit ut credat vitam mortuo posse restitui, sanitatem ægrotanti ad jussum alterius subito redire, cibos repente in immensum multiplicari, cordium secreta patefieri ex latente aliquo *naturæ* principio, non addito superioris causæ interventu? Quare dixerim, factam suppositionem non modo speculative esse inutilem, verum etiam ad miraculi notionem explicandam minime recipi posse de voluntate Dei ordinata et in præsenti

Providentiæ œconomia, prout ejus cognitionem ex positivis documentis accepimus quæ catholico theologo omnis speculativæ inquisitionis normæ sint oportet. Ad hæc 3° illi sententiæ repugnat etiam Philosophorum et Theologorum Doctrina de *legum Cosmicarum harmonia* et *universi adspectibilis fine.* — Natura quippe legibus constat hierarchicis quarum *mutua connexione* ordo exsurgit et pulchritudo mundi. At vero, augescente in dies legum istiusmodi cognitione, metuendum ne vel lex ista, antea ignota, cui subsecutus supponitur effectus a Thaumaturgo allegatus tanquam doctrinæ criterium, tandem resciri jam a physicis incipiat. Porro inde nutaret facti, in ratione criterii valor probativus, orta inter homines suspicione, Thaumaturgo affuisse fortassis altiorem naturæ peritiam, indeque anticipatam notitiam legis a coævis ignoratæ. Cui quidem exceptioni quid serii reponant, fateor, ego non perspicio. Quod enim quis forte dicat, posse, providente Numine, caveri ne legis istius extraordinariæ cognitio hominibus contingat, hoc sine ulla specie veri, credo, adstrueret. Deus quippe naturam permisit disputationi hominum. Quin theologorum certa doctrina est, finem creationis ultimum in accidentali et extrinseca Dei gloria reponi, ex divinarum perfectionum manifestatione coorta. Quo melius igitur ordinis universi seriem atque varias leges homo perspectas sibi habuerit, eo etiam major accidentalis Dei gloria fuerit. Non est proin exspectandum ut Deus mundi leges humanæ menti occultet. Existimem quod si quis hæc omnia secum perpendat, difficulter addmittat Deum tam incerto criterio supernaturalem doctrinam et consiliorum suorum manifestationem fore commissurum. Malim certe veterum notionem seu miraculum proprie dictum admittere quam hypothesim, prima fronte speciosam, revera tamen supra modum implexam, atque, ut arbitror, falsam. — Norim, ut neque istud omittam, unum

vel alterum D. Augustini locum esse qui hisce recentiorum opinamentis nonnihil accedere videatur. Nempe postquam definisset S. Doctor naturâ inesse rebus veluti certos quosdam fines ac numeros ex quibus omnis eorum virtus dimanet, quærit utrum hoc ipsum extendi debeat ad eventa miraculosa? Huic suæ quæstioni affirmative respondet : « Utrumque illas (sc. res creatas) habuisse, ut hoc ex eis facturum esset quod factori placuisset. Si enim, pergit, illo modo dixerimus (i. e. si dixerim tantum rebus inesse *naturalium operationum* semina), incipiet contra ipsos (puta numeros, seminales rationes) factum videri non solum etiam illud de aqua vinum, sed et *omnia miracula* quæ contra naturæ usitatum cursum fiunt... Restat ergo ut ad utrumque modum habiles creatæ sint sive ad istum quo usitatissime temporalia transcurrunt, sive ad illum quo *rara* et *mirabilia* fiunt, sicut Deo facere placuerit quod tempore congruat (1). » Et rursum addit : « Elementa mundi hujus corporei habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de ipso fieri possit vel non possit. Ex his velut primordiis rerum omnia quæ gignuntur suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque et decessiones sui cujusque. Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo vel de homine pecus. Super hunc autem motum (*al.* modum) cursumque rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id quod in eis non posuit, ut de his fieri vel absque ipso possit. Neque enim potentia temeraria sed sapientiæ virtute omnipotens est, et hoc de unaquaque re in suo tempore facit quid ante in ea fecit ut possit. Alius est ergo rerum modus quod illa herba sic

(1) L. VI *de Genes ad litter.* c. 13.

germinet, illa sic, illa ætas parit, illa non parit. homo loqui potest, pecus non potest. Horum et talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concretæ. Ut autem lignum de terra excisum, aridum, perpolitum sine radice ulla, sine terra et aqua repente floreat et fructum gignat, ut per juventam sterilis femina in senectute pariat aut asina loquatur, et si quid ejusmodi est, *dedit quidem naturis quas creavit ut ex eis et hæc fieri possent.* Nec enim ex eis vel ille faceret quod ex eis fieri non posse ipse præfigeret, quoniam se ipso non est nec ipse potentior. Verumtamen alio modo dedit ut hoc non haberent in motu naturali sed in eo quod ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subjaceret (1). » Hactenus Augustinus. — Porro non diffitendum plura esse in eo textu quæ primum satis favere videantur hypothesi quam modo impugnavimus. Huc in primis spectant verba : « Neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est, et hoc de unaquaque re in suo tempore facit *quod ante in ea fecit ut possit.* » — « Ut autem lignum de terra excisum... et si quid ejusmodi est (sc. miraculosum), dedit quidem naturis quas creavit ut ex eis et hæc fieri possent. Neque enim ex eis vel ille faceret quod ex eis fieri non posse ipse præfigeret. » Equidem diceres Augustino ratum fuisse eventa supernaturalia in ipsa rerum natura causam suam habuisse. Sed observa duplici pacto intelligi posse Miraculosum eventum in rebus seminali ratione præexistere *positive*, inquam ac *negative* sive *passive*. Primum fieret si propria effectus præternaturalis ratio in causa naturali præexisteret : alterum, si nihil in rebus esset, quod actu obstet supernaturali effectui. Atqui, quamvis obscurior forte sit una alterave vocula, altero tamen modo intelligendum Augustinum esse satis

(1) L. VI *de Genes ad litter.* c. 13.

constat ex iis textus locis quæ rem definitive exponunt, ut ex ejus initio et rursum ex fine. Primo namque, explicaturus quomodo res universæ habeant in se causales quasdam rationes ad miraculosos etiam effectus, hoc ita explicat: « *Ut hoc ex eis facturum esset quid factori placuisset.* » Idem rursum adstruit, ubi diserte opponens rerum ordinationem naturalem miraculosis effectibus, de his sic loquitur : « Verum tamen alio modo dedit ut hoc non haberent in motu naturali, sed in eo quo *ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subjaceret.* » Utroque hoc loco potentiam quam vocant *obedientialem* clarissime indigitari nemo non videt. Docet Augustinus, exponente Petavio (1) res finitas, ex hoc ipso quod a causa infinita tum in essendo, tum in agendo pendeant huic ipsi adæquate subjacere : hinc posse Deum in ipsis agere quidquid sibi visum fuerit. Ut adeo ipse miraculosus ac supernaturalis ordo aliquod fundamentum seu, si mavis, aliquam præviam prædispositionem in creaturis habeat. (de hac quippe *harmonia* perpetuo heic agit sanctus Doctor). Hæc porro prædispositio est ipsa creaturarum ad Deum subjectio, quam scholastici *potentiam obedientialem* vocant. Concludo allatum Augustini textum expositæ modo sententiæ nihil favere. — Interea nobis retinenda videtur mens veterum : Miraculum eventum esse qui vere superet vires naturæ totius, neque intra naturalium legum sphæram ullo pacto concludatur.

13. Tandem, inter speculativas illas de Miraculi notione deque ejus supra naturam trancendentia disquisitiones, recensenda etiam hypothesis de effectu sensibili quem Deus ipse producere ponitur, non quidem in actum educendo *potentiam obedientialem* creaturarum, at varia ratione

(1) *De Deo Deique proprietatibus.* L. V, c. 7, n. 13 sqq. Adesis etiam von Schäzler : *Natur und Uebernatur*, p. 94, sqq.

commiscendo et adhibendo causas secundas sive, ut ajunt, *applicando activa passivis*, atque ita mirabilia opera patrando quæ expeditam agentium naturæ facultatem superant. Verum hanc hypothesim melius solvemus postquam dixerimus de virtute Spirituum ac varia ratione qua in aspectabilem mundum agere valent. Quare ad finem sectionis insequentis de ea re dicemus.

14. Ex dictis etiam sequitur, præter intrinseca attributa quæ hactenus descripsimus, Miraculum ex sua destinatione essentiali, connexum esse cum aliquo supernaturalis œconomiæ capite cujus argumentum existat. Ista autem eventûs miraculosi cum supernaturali œconomia connexio aut *explicita* esse potest, quod contingit ubi Thaumaturgus miraculum exprésse proponit tanquam definitæ cujuspiam veritatis argumentum; aut etiam *implicita*, prout *ex adjunctis* colligitur, ut cernere est in miraculis quibus Dei servorum sanctitas declaratur, v. g. visionibus, extasibus etc. — Miraculum igitur, in theologico rigore, definietur effectus sensibilis et extraordinarius qui excedit exigentiam ac vires naturæ totius et ordinatur ad divinorum consiliorum comprobationem moralemque hominis institutionem.

§ III.

DE EFFECTIBUS CAUSARUM SECUNDARUM QUI SECUNDARIO ASSUMI POSSUNT IN DIVINORUM CONSILIORUM MANIFESTATIVUM, SIVE DE MIRABILIBUS SPIRITUUM OPERIBUS.

1. Hactenus diximus de operibus quæ præter constituti ordinis exigentiam ac supra naturæ totius facultatem, in confirmationem revelatæ Doctrinæ vel in manifestationem divini alicujus consilii, proxime vel remote ad supernaturalem œconomiam pertinentis, producuntur. Ac dictis constare potest hisce supernaturalibus operationibus propriis-

sime atque ab intrinseco rationem *miraculi*, hoc est divinorum consiliorum manifestativi convenire, cum immediatam et personalem Dei interventionem in aspectabili universo arguant, atque adeo æquivalenter contineant specialissimum divinæ auctoritatis suffragium, quo divinæ voluntatis ordinatio infallibili ratione hominibus declaretur. Sed præterea inquirendum restat num, certis quibusdam casibus, effectus quidam sensibiles qui per se et in actu primo creaturarum saltem superiorum insitam capacitatem haud superant, item assumi non possint in divinæ veritatis vel virtutis manifestativum, atque adeo vi illius extrinsecæ et adventitiæ ad primam causam relationis quam in casu induunt, reputari ac dici *Miraculi quoad nos?*

Porro objectivum hujus disquisitionis fundamentum facile in eo constitui cernis, quod præter naturam corpoream atque rationalem, docente Fide ac ratione suadente, novimus existere superiores quasdam substantias, nulla materiali concretione constantes, quæque summum inter creata entia gradum tenent. Verum, ut mox enucleatius dicemus, pollent ejusmodi Spiritus intelligentia maxima, virtute præpotenti : aliunde vero, nequeunt homines, inferioris conditionis creaturæ, eorum efficaciæ ambitum adæquate rescire. Hinc vero est ut relate ad nos, illorum opera plane alterius speciei esse videantur ac illa quæ ex naturæ facultate produci solent. Proin, veluti ex ipsis rerum visceribus, suboritur quæstio satis in re nostra gravis, scilicet num ejusmodi opera licet per se intra naturæ ambitum conclusa, per accidens tamen assumi divinitus non possint, ut penes nos munere fungantur *divini manifestativi*, casu videlicet illo quo cum doctrinæ religiosæ propositione *in ratione criterii* connecterentur? Age, ut huic Quæstioni pro debito satisfaciam primo quidem brevi compendio cogam quæ a probatissimis

scholæ magistris circa connaturalem spirituum potestatem traduntur, quo nobis natura operum mirabilium quæ in mundo aspectabili elicere valeant quantum satis est, innotescat : dein ejusmodi mirabilium ad divina consilia manifestanda habitudinem examinabimus.

2. Itaque, ut Scholastici docent, Spiritus quamvis in se ipsis simplicissimæ atque plane immaterialis naturæ sint, varios tamen eosque sensibiles effectus agere valent in mundo corporeo. Illam vero spirituum ad physicos effectus potestatem explicant ex duplici virtute qua illi insigniuntur, altera *subjectiva* et *immanente*, altera *objectiva et ad extra dimanante*. Nimirum, quod ex Scripturis sacris et ex ipsa philosophia novimus, adest illis tum virtus quam dicunt *loco motivam* quatenus se ipsos ad varia spatii loca citissimo motu tranferunt, tum virtus *impulsiva*, quatenus valent, varia ratione, in materiam corpoream agere atque ejus constitutiva elementa, compluribus prorsus casibus, immutare sive realiter sive saltem apparenter. De utraque paucis ad rem nostram dicendum. — Porro, quod subjectivam Spirituum ad locum spatiumque habitudinem spectat, notandum eos quidem non posse in loco existere *circumscriptive*, sive secundum dimensionem extensivam, quæ tantum naturis corporeis competit trina dimensione præditis; possunt tamen existere in loco *definitive*, qui ubicationis modus nil aliud connotat nisi *indistantiam entis* ab aliquo certo corpore et istius cum illo coexistentiam. Ratio vero positiva hujus asserti in eo est quod sexcenties Scripturæ asserunt Angelos esse in cælo, Spiritus expelli ab energumenorum corporibus vel mitti in animantium greges, etc., quibus aperte respectus Spirituum ad locum indicatur. Ratione etiam idem confirmatur, cum nihil in spirituali natura sit, quod huic præsentiæ locali repugnet. Sane, si quid ei obstaret, spirituum immaterialitas foret. Atqui nulla inde difficultas. Namque, ut

arguit de Lugo (1), Deus qui infinite simplex et spiritualis existit, ubique tamen præsens est, nec per potentiam ac sapientiam tantum, verum et per essentiam rebus universis intime coexistit : item animæ separatæ locis corporalibus adsunt, in inferno, Cælis vel Purgatorio. — Quin indistantia ab alio ente atque utriusque ad invicem propinquitas non involvunt contactum quantitativum vel aliquid quod materialem et circumscriptivam in loco existentiam supponit, sed solam simultatem aut cœxistentiam entium distinctorum in eodem spatio, quæ omnia spirituum conditioni optime conveniunt. — At vero quod ex dictis sequitur, spiritus *definitiva* hac quam diximus ratione determinato tantum loco coexistere dicendi sunt. Entium namque actiones et effectiones eorum naturam consequuntur. Jamvero spirituum in loco existentia non est nisi eorum cum ente alio quopiam activa coexistentia. Cum itaque spirituales illæ substantiæ finitæ naturæ sint, finita etiam eorum activitatis sphæra erit, ultra quam extendi nequeunt, neque localiter præsentes esse. Quare definitiva spirituum præsentia ad determinatum tantum spatium coarctatur, quod eorum quidem virtuti ac perfectioni commensuratum sit. Verum quamquam per se spiritus determinato tantum spatio secundum se totos præsentes coexistant, attamen pro vi sua *motiva* successive, at citissimo impetu, plura loca occupare valent. Quod ita perspicue ex Scripturis docemur ut sine errore negari non possit. Sic dicuntur in eis spiritus *venire*, *accedere*, *circuire*, *intrare*, *ambulare*, *exire* (2), quæ omnia vim loco motivam manifeste supponunt. Imo, ut notat Vasquez (3), dici hæc non possunt nisi de entibus quæ movent se ab intrinseco et per propriam suam activitatem. — Ac ratio constat : nam Spiritus sunt

(1) *Theologia Scholastica* L. III, *de Angelis*. Disp. V, c. 1, n. 8.
(2) Cf. *Matth.* IV, XII. *Joh.* XIII, *Luc.* I, 7, I *Pet.* V, etc.
(3) *Comment. in* I P. D. Th. Disp. 188, c. 7.

entia *viventia* ac cæteris creaturis multo perfectiores. Jamvero radicale viventium attributum est posse se ab intrinseco ad suas operationes movere. Ergo negari nequit spiritibus facultas qua successivo et citissimo motu varia loca occupent. Hæc vero facultas plane maxima est, eo quod simplicissimæ illæ substantiæ, nulli concretioni materiali obnoxiæ, loci ac spatii limitibus sive *materialibus* et *quantitativis* obstaculis impediri nequeant. Hinc enim est ut moveantur sine ulla resistentia vel ex parte sui, vel ex parte corporis vel spatii medii vel demum ex parte corporis cujuscumque. Atqui distantia in se ipsa, liberata ab obstaculis tum medii tum ipsius mobilis nequit velocissimo motui obsistere entis subtilissimi atque materialis compositionis prorsus expertis. Sive itaque cum pluribus Theologis (1) teneas spiritus moveri posse velocius in infinitum, hoc sensu ut nullum hujusmodi augescentis velocitatis terminum agnoscant præter suam voluntatem; sive magis cum Vasquez (2) et aliis, requiras in eis certum tempus ad determinata spatia percurrenda, verum manet spirituum celeritatem in hisce motibus prorsus esse summam ut maximas etiam distantias brevissimo tempore conficere dicendi sint. — Hujus velocissimæ motionis exempla afferunt Scripturæ in Angelo qui Prophetam Habacuc in ictu oculi a Judæa transtulit Babyloniam (3), in Ezechiele quem subito portavit Angelus in Jerusalem (4), in Satana qui assumpsit Christum in templi pinnaculum et in altissimum montem (5), in Philippo quem Spiritus

(1) Cf. Platel. *Synopsis Theol.* De Angelis. c. VI, n. 347 sqq. — S. Th. *Summ. Th.* I. q. 53, a, 3 ad 1.

(2) Ubi supra.

(3) *Daniel* c. 14, 35. Cfr. *Comment B. Pererii ad. h. l.* — Edit. Colon. Agripp. p. 241.

(4) *Ezech.* 8, 3.

(5) *Matth.* 4, 5, 8.

subito de via deserti tulit in urbem Azotum (1), ut alia mittam.

5. Sed præter habitudinem istam ad locum *subjectivam* diximus agnoscendam etiam esse Spiritibus vim quamdam *impulsivam* atque *ad extra dimanantem* qua in ipsas corpora multifariam agere valeant. — Sane hanc spiritus virtutem palam tribuunt Scripturæ : his quippe docemur ab illis identidem assumi corpora eaque moveri de loco in locum, ut contigit in angelis iis qui apparuerunt Abrahæ (Genes. 18) et Loth (Genes. 19), in Raphaele Tobiæ comite (Tob. 5), in plerisque etiam veteris Testamenti Theophaniis, item in Angelis qui transtulerunt Habacuc et Ezechielem, in dæmone qui Christum Dominum deportavit in pinnaculum templi, in Angelo qui sepulchri ostium mulieribus removit (Matth. 28), in eo qui Petrum liberavit e custodia (Act. 5. 19) etc. — Porro, uti notat etiam Suarez (2), varia ista Scripturæ loca minime intelligenda sunt de operibus a spiritibus patratis quatenus divinæ virtutis mere *instrumenta* existunt : nam nihil in his omnibus est quod *nativas* spirituum immaterialium vires excedat. Quamvis enim distincte non assequamur modum quo ista mirabilia spiritus efficiunt, compertum tamen nobis esse debet superiores ejusmodi substantias ea omnia eminenter præstare posse quæ inferiores sive corporeæ naturæ pro suo modulo etiam agunt.

4. At enimvero ex utraque illa quam diximus facultate plurimis modis spiritus agere possunt in materiam corpoream atque effectus omni ex parte stupendos elicere. Ex communi auctorum doctrina, illius virtutis effectus sunt maxime sequentes. Possunt inprimis spiritus unire sibi corpus in cujus forma hominibus appareant. Et sane, ut animadver-

(1) *Act. Ap.* 8; 39, 40. — Cfr. *Commentar. Ill. Beelenii* ad. h. l. Ed. II, p. 239. ubi refellit eos qui Philippi discessum naturaliter tentant explicare.

(2) *De Angelis* : L. IV, c. 27, n. 2.

tit Patel, ad corporis hujusmodi assumptionem, hæc tria tantum requiruntur : 1° ut spiritus secundum suam substantiam intime sit præsens corpori, 2° ut illud contineat ne dissolvatur, localiter moveat, certo loco sistat et speciali influxu dirigat, 3° ut in eo aliquid operetur eoque utatur tanquam corpore suo (1). — Itaque ad hanc corporis assumptionem non requiritur alia spiritus cum corpore unio nisi præsentiæ localis, nequaquam vero unio quam dicunt *hypostaticam*. Attamen non mere phantastica talia spirituum corpora esse communis sententia tenet, cum nihil impediat quominus spiritus, pro mira sua arte, ex variis substantiis aliquam formam conflent quæ sensibus humani corporis figuram referat. Sed præterea licet in assumpto corpore nequeant spiritus exercere actiones quas dicunt *vitales quoad substantiam* seu quæ exigunt præsentiam principii vitalis corpus immanenter informantis, ut sunt varii sensationum actus ; valent tamen exercere actus *vitales quoad modum* sive tales qui proxime oriuntur ex principio mechanico neque per se requirunt principium vitæ, ut sunt, verbi causa, motus locales progressivi, vocis formatio, variæ impressiones tactus etc. Vides posse spiritus, licet non vitaliter, in assumpto corpore progredi, apparenter mechanicos sensuum actus exercere, ut palpebras movere, articulatos sonos proferre, specietenus manducare atque alia id genus sexcenta. Uno verbo omnes actus producere valent, in corpore assumpto, qui absolute non requirunt intrinsecum vitæ principium. Imo addit. Em. de Lugo, quod cæteroquin nonnisi dictorum corollarium sit, posse spiritus ex propria sua virtute assumere corpus emortuum ut in eo coram hominibus appareant (2) : ad hoc satis esse, ut pro singulari sua peritie

(1) *Op. cit. de Angelis*, n. 320.
(2) *Theol. Scholast.* L. III. *De Angelis*, Disp. IV, c. II.

et agentium naturalium cognitione, cadaver consolident illudque sustineant et quadam vitæ apparentia donent. Quæ omnia per se et theoretice loquendo haud transcendunt vim spirituum naturalem.

5. Hæc quidem de facultate Spirituum quod spectat actiones quas exercere possunt in assumpto a se corpore. At paucis etiam indicanda alia stupenda opera quæ efficere valent, multiplici sua actione in corpora ac varia mundi elementa. — Nimirum, ut diximus, essentialia superiorum substantiarum attributa sunt immaterialitas, invisibilitas, agilitas; his accedit altissima rerum cosmicarum atque earum virtutis cognitio, potestas quoque maxima ad innumeras in ea immutationes producendas, applicando, ut ajunt, *activa passivis*. Usu autem istarum facultatum possunt Spiritus corpora gravissima celerrime de loco suo auferre, eorum partes dissociare, conjungere, mille in modos immutare; stupenda magnetismi, lucis, caloris, electricitatis phænomena excitare, atque aëris procellas cœlique immutationes producere. Applicatione etiam suæ virtutis tam *loco-motivæ* quam *impulsivæ* valent res vel homines e videntium conspectu derepente auferre, statuis aliisque rebus inanimatis veluti animam addere et motum, imo vero et loquelam. Possunt etiam animantibus specietenus talem agendi modum tribuere qui entium rationalium actiones imitetur. Rursus valent multiformes rerum imagines figurasque effingere, adeo ut videntibus illusio creetur perfectissima : ex usu ac commixtione subtilissima agentium creatorum, humores corporis immutare et inde morbos vel procurare vel expellere atque hominum sortem et fortunas mirum in modum tam fauste quam infauste afficere. Item valent sensus sic afficere ut subjecto varia spectacula et repræsentationes contuendæ exhibeantur. Quin hujusmodi repræsentationum ope, non modo possunt turbare hominum

phantasiam, sed eis quoque communicare species rerum sibimetipsis ignotarum atque, ad tempus, miram doctrinam elargiri rerumque absconditarum et futurarum conjecturalem saltem cognitionem. Sane multiplex illa Spirituum potestas non modo rationi probatur, at innumeris etiam Sacrarum Litterarum testimoniis declaratur. Non commemorem magorum Pharaonis mirabilia, virgas suas in colubra vertentium, aquas sanguine commutantium *per incantationes Ægyptiacas* (1) quæ portenta procul dubio Spiritibus malis adscribenda erant : notæ etiam Satanæ in Jobum ejusque familiam et bona vexationes (2); occisio centum octoginta quinque millium Assyriorum ab Angelo peracta (3), internecio primogenitorum Ægyptii (4), mors septem Saræ viris a dæmone illata (5). — Hæc satis esse possunt (6).

6. Hanc quam descripsimus Spirituum facultatem ad mirabilia admittunt Theologi et Philosophi omnes. Quod enim stabilire conatus est Jacobus Serces, Minister Angelicanus, Spiritus nulla pollere potestate in mundi visibilis elementa, et omnia portenta quæ dæmoni tribuuntur, veteratorum artibus adscribi oportere, hoc vel ipso fatente auctore (7) omnium sæculorum existimationi contradicit. Equidem non secus de vi Spirituum sensere

(1) *Exod.* c. 7. — (2) *Job.* 1, 16, 19, 2, 7. — (3) *Isai.* 37, 36.
(4) *Exod.* 13. — (5) *Tob.* 6.

(6) Qui uberius de spirituum potestate, quod spectat mirabilia in aspectabili universo edenda, edoceri cupit, adeat maxime inter veteres Suarez : *de Angelis* L. 4 et *de Vera Religione.* L. 2, del Rio: *Disquisition magicar.* L. II passim (auctorem doctum sed multo nimis credulum). — Item opus Sweertsii, Doctoris Lovaniensis : *de potestate angelorum* in *Synopsi quæst. Theologic.* I, p. 476, Castaldum : *De potestate Angelica.* T. I, Bened. Pererium, in opere *de Magia.* — Atque inter recentiores : Hl. Haij, Ep. Edimburg : *La doctrine de l'Ecriture sur les miracles.* Paris 1808 T. I, c. II. Influence des Esprits dans le monde matériel et visible. — de Mirville : *Des Esprits et de leurs manifestations.* — des Mousseaux : *La Magie au 19e siècle. — Les hauts phénomènes de la Magie.* — Posteriores tamen auctores nimis credulos se exhibent nec satis criticam artem in suis disquisitionibus adhibent.

(7) *Tractat. de Miraculis.* Oxonii, 1729, Diss. I.

Malebranchiani et Cartesiani complures. Nempe volunt agens *finitum* quodvis destitui quacumque vi *agendi ad extra*, quæ sit præter leges generales universi. Cujus asserti hæc ratio eis sit, quod necessaria et plane essentialis connexio existere debeat inter agentem et ejus actionem; ut proin, si agenti creato competeret facultas agendi ad extra præter constitutas mundi leges, nunquam posset, nec a Deo quidem ipso, impediri (1). Sed ecquis non videt conciliari optime insitam causarum secundarum activitatem cum earum ad primam hanc causam subordinatione quæ sane haud minus eis essentialis sit quam ipsa earum congenita activitas. Quare earum facultas agendi ad extra usque conditionata est, nimirum causæ infinitæ moderamini et imperio per omnia subjecta. — Cæterum hoc Malebranchianorum assertum nonnisi corollarium est theoriæ de causis *occasionalibus* : eapropter enim denegant Spiritibus *propriam* actionem ad extra quod putent entia singula reciproco quodam influxu in sese mutuo influere et universi harmoniam constituere. Hujusce commenti falsitatem ostendere non est hujus loci (2). Profecto incassum contra communem doctrinam de insita Spirituum ad mirabilia facultate ista afferri satis ex dictis patet.

7. Sed his pro rei gravitate prænotatis, veniendum jam ad dubitationem quam supra posuimus. Nimirum hæc Spirituum connaturalia opera talis sunt indolis ut, relate ad homines quos Spirituum virtutis limites latent, plane mirabilia appareant, ac talia quæ vires naturæ passim cognitæ undequaque transcendant. Quocirca ut tradunt unanimiter Scholæ Doctores, relate ad nos, haud secus portenta videntur ac illa opera quæ solus Deus supra vires naturæ totius producit : inde ea etiam dicunt *miracula late*

(1) Cf. Legrand. *Dissertat. sur les miracles.* Ap. Migne. *Cursus Script. Sacr.* T. XXIII, p. 1110.

(2) Cf. Tongiorgi. *Ontologia*, L. II, c. V, a. 5.

sive *miracula quoad nos* vel *secundum quid*. Hinc vero, suapte sponte nascitur quæstio num quamdoque Spirituum mirabilia assumi etiam non possint in rationem divinorum consiliorum manifestativi vel saltem confirmativi; quatenus scilicet per ea vel authenticitas doctrinæ pro divina ac revelata propositæ demonstratur, vel homines cujuspiam probetur sanctitas, vel demum indubia ac solemni ratione declaretur veritas quæpiam ad divinum cultum quovis modo pertinens?

8. Porro ut secundum theologicum rigorem hæc quæstio solvi possit, animadvertendum sedulo est aliter esse sentiendum de mirabilibus Spirituum operibus si illa in se ipsis considerentur et absolute, aliter si respiciantur relative ad eum qui jam viget Providentiæ naturalis ordinem. Nempe ab una parte ratum est Spiritibus ex sua intrinseca conditione adesse potentiam ad hæc innumera portenta in mundo corporeo exercenda quorum pleraque indicavimus. Sed ab alia parte, constituta simul hierarchica creaturarum subordinatione quæ in præsenti existit Providentiæ ordine, Spiritus ut cæteræ creaturarum classes, in sua propria serie, Deo ita volente, conclusæ remanent, neque pro suo arbitrio sese cæteris entium sphæris valent immiscere, ut cum schola docent Angelicus (1) et Suarezius (2). Hoc enim postulat necessario Dei Providentis, Entis, inquam, infinitæ sapientiæ et sanctitatis notio. Supremi quippe provisoris est ut creaturis a se conditis proprium suum locum in universi constitutione assignet quem nec transgredi nec immutare sine ipsius jussu vel licentia possint, cum secus ipse mundi ordo atque harmonicus concentus omnino periret, imo vero periclitaretur sæpius æterna animarum salus atque ipsa summi Numinis gloria externa qui Creationis totius fines ac Providentiæ normæ

(1) Op. *de malo* Q. 6, art. 9 ad 2, et art. 10 ad finem.

(2) *De superstitione*. L. II, c. 16 ad titulum : *An opera magiæ sint præstigiosa an vera?* n. 14.

existunt. — Atque, ut res ista veluti ob oculos ponatur, Spiritus, de quibus in præsenti agimus, omnino duplicis sunt classis : boni quippe ac mali. At profecto turbanda mundi œconomia ac labefactanda animarum salus, si ultro libereque suam virtutem in materiam corpoream exercerent, Spiritus nequam : cum enim in malum sint confirmati, suis præstigiis animarum perniciem procul dubio anhelarent eisque vel ementitam religionem vel alias perversas falsitates cohonestare studerent : homines vero quibus, principio saltem, nulla via plerumque esset eorum portenta a veri nominis miraculis secernendi, invincibili errore in malum abriperentur. Atque ita non humanæ modo res sed et æterna quoque salus infensorum Spirituum ludibrio ac inimicæ voluntati paterent expositæ. Dicendum itaque aut Deum infinite sanctum suas creaturas prorsus in manu Satanæ relinquere, quod absit; aut ipsi necessario debitum incumbere frænandi malorum Spirituum naturalem ad portentosa opera facultatem, ne illa utantur præterquam Ipso jubente vel tolerante. — Pulchre magnus Augustinus : « Firmissime tamen credendum, inquit, omnipotentem Deum omnia facere posse quæ voluerit, sive vindicando, sive præstando, nec Dæmonem aliquid operari *secundum naturæ suæ potentiam*, (cernis Augustinum agere de *naturali* dæmonum virtute) quia et ipsa angelica natura est, licet proprio sit vitio maligna, nisi quod ille permiserit, cujus judicia occulta sunt multa, injusta nulla (1). » Magistro suo consentit Angelicus : « Dictum est enim, ita ille, in I Libro, quod natura corporalis *naturaliter* obedit ad motum localem, unde et Diabolus omnia causare potest quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possunt, nisi virtute divina reprimatur (2). » — At idem,

(1) *De Civit. Dei.* L. 18, c. 18.
(2) *Summ. Theol.* Ia, 2æ, Q. 80, art. 2 in corp.

servata proportione, dicendum de bonis Angelis. Equidem sua mirabilia coram hominibus isti non exhiberent nisi ad bonum : attamen cum causæ particulares et diversi cum humano ordinis sint, nequeunt pro nutu in mundo corporeo intervenire. Ut enim scribit magnus Benedictus : « Natura Angelica dignior est ac sublimior, ac altioris ordinis ac humanæ supereminet, nec in servitio, obsequio et cultu hominum inferioris gradus et dignitatis occupatur nisi ex imperio Dei. Et quamvis Angeli boni multa præbeant hominibus beneficia, cum tamen hic ordo in hujusmodi beneficiis præstandis jam sit constitutus, nec variari aut immutari debeat vel possit nisi Deus qui illum condidit aliter disponat; hinc fit ut quando variatur per dispositiones extraordinarias, variatio haberi non possit, nisi a Deo laxante leges et ordinem a se inter homines et Angelos decretum et constitutum (1). » Benedicto in ea conclusione præiverat jam Suarez : « Observandum est, inquit, aliud esse loqui de potestate Angeli, ut sic dicam, absoluta : aliud vero de eadem potestate ut divinæ voluntati subjecta ejusque obligationibus obligata. Priori modo fatendum est posse Angelos multa ex his quæ in argumento sumuntur efficere et plura alia. Possunt enim Angeli, *si nudam facultatem naturalem spectes*, animalia occidere,... montes transferre et similia quæ per violentem motum localem fieri possunt. Posteriori autem modo non possunt. Et ideo *cum ordo universi certis Dei legibus definitus sit*, simpliciter universi ordinem invertere non valent. Nam Sancti Angeli divinis ordinationibus ad nutum parent, nec ab eis discordare possunt aut volunt. Mali autem Angeli quamvis eis reistere cuperent, non valerent et ideo tantum nocere possunt quantum eis permittitur (2). » — Horum itaque omnium conclusio huc redit,

(1) *Op. cit.* L. IV, c. 6, n. 12.
(2) *De Angelis* c. 27, n. 6.

9. Ex dictis hactenus, intelligere est *analogiam* simul ac *distinctionem* quæ inter Miracula stricte dicta atque mirabilia Spirituum opera intercedit eorumque in ratione divini manifestativi atque in primis revelatæ doctrinæ Criterii respectivum valorem. Nimirum, in eo conveniunt mirabilia per se insitæ Spirituum virtuti proportionata, cum eventibus quæ superant omnem creaturarum, etiam incorporearum facultatem quod, in certis casibus, certum ac infallibile divinæ virtutis vel veritatis testimonium exhibere valeant, quod ex modo dictis constat. At simul multum differunt utrumque operum genus. Nam 1° : Miraculum proprie tale excedit vires et exigentiam naturæ totius atque non aliud in rebus fundamentum habet præter *potentiam earum obedientialem* sive subjectionem causæ primæ ut in illis faciat quæcumque non intrinsece repugnant : Mirabilia autem Spirituum superant tantum vires agentium inferiorum, et veluti fundamentum habent in materiæ proprietatibus quibus Spiritus, applicando activa passivis, ad sua opera utuntur. Hinc 2° Miracula excedunt naturam in sua objectiva et intrinseca ratione, mirabilia eam tantum superant apparenter, sive ex audientium vel conspicientium ignorantia, ut docent cum D. Thoma et Ferrariensi Scholastici universim. 3° Miraculum theologice sumptum habet relate ad nos rationem divinorum consiliorum manifestativi *in ipso actu suo primo,* nam ex se ipso excedit naturæ totius capacitatem sive *quoad substantiam,* sive *quoad modum,* atque stricte supernaturale est. Mirabile vero naturam corpoream superat *in actu secundo* tantum, quatenus absoluta Spirituum potentia agendi in aspectabili hoc universo non jam deducitur in actum sine Dei speciali jussu vel licentia. Unde 4° Miraculum habet rationem divini manifestativi *immediate, ab intrinseco et per se ;* atque facta cujuslibet Providentiæ ordinis hypothesi, ut dictis patet : Mirabilia autem huc assumuntur *per accidens* et *ab extrinseco,* quatenus in

præsenti rerum conditione actu non exercentur sine extraordinaria Dei dispositione. Quamvis itaque utraque illa operum species infallibile Dei testimonium hominibus referre valeat, nihilominus, in theologicæ considerationis rigore, temere confundi non debent : maxime cum scholæ magistri et Theologi universim illam distinctionem religiose retinuerint. Usque enim verum manet, incommunicabile divinorum consiliorum manifestativum et adæquatum supernaturalis Revelationis criterium operibus objective supernaturalibus sive Miraculis stricte dictis proprie contineri, mirabilia vero Spirituum huc secundario tantum et extrinsece assumi.

10. Post illa quæ tum superiore sectione, tum in præsenti diximus, pronum sit solvere quæstionem quæ speculative heic moveri posset. Scilicet quæri potest num pro miraculoso habendus foret effectus mirabilis quem ipse efficeret Deus, non quidem in actum reducendo *potentiam creaturarum obedientialem*, de qua hypothesi suo loco dictum fuit, sed applicando facultatem connaturalem ipsis rebus insitam atque concurrendo cum ea ad effectum quem elicere non possent dum sibi relictæ manerent : ut, exempli causa, si Deus in corporibus cælestibus stupendos effectus lucis vel electricitatis pruduceret, adhibendo pro sua altissima sapientia et potestate ejusmodi corporum insitas vires easque vario modo applicando et ordinando, ad eum nempe modum quem separatis substantiis seu Spiritibus proprium esse vidimus? — Respondendum, speculative loquendo, tale portentum, in theologico rigore, non proprie *Miraculis*, sed *mirabilibus*, ut vocant, effectibus accenseri. Per se enim producitur opus secundum naturalem capacitatem causæ secundæ. Nam, quod notes, non agitur heic de effectu qui efficitur adhibitis quidem causis secundis sed tantummodo materialiter, atque ita ut ipse Deus illas elevet ad operationem quam

ex eis *nullum creatum agens etiam spirituale* elicere valeret : quo casu reduceremur ad hypothesim supra positam de effectibus divinitus productis mediantibus causis secundis, *vi potentiæ earum obedientialis* (p. 121). Verum respicimus in præsenti opus quod Deus per se facere ponitur, applicando *activa passivis* atque juxta illum modum operandi quem proprium spiritibus diximus, qui continetur totus exercitio facultatis tum loco-motivæ, tum impulsivæ quam antea descripsimus. In ea autem hypothesi effectus non est adæquate præter naturæ exigentiam ac vires. Quamvis enim patretur in casu ab ipso Deo, non fit formaliter ab illo ut causa omnipotens existit, sed ut causa inadæquate tantum suam virtutem applicans. Tale proin opus assumi in divinum manifestativum procul dubio posset : in rigore tamen non miraculum, sed mirabile esset habendum. — Equidem casus quem in altero hoc distinctionis membro posuimus, satis speculativus est. Nam de facto vix intellexeris Deum per se ipsum atque adhibitis insitis creaturæ visibilis facultatibus, effectum operari quem spiritus finiti consimili modo producere etiam valerent. Quippe sapientissimi Entis est, qui omnia disponit cum pondere et mensura, illa extraordinaria mirabilia quæ propriæ spirituum virtuti proportionata sunt, eisdem peragenda permittere, ac sibi in operibus ad extra, illam agendi rationem reservare quæ infinitæ potentiæ agenti competit. Quare, ad operandum præter communem rerum ordinem in altero hoc casu, Deus uteretur nostra sententia, vel potentia creaturæ obedientiali, vel creatorum spirituum ministerio, Quin illam spiritualium substantiarum operam fore a Deo adhibendam, persuadet œconomiæ universalis ratio, juxta quam, ut docet Angelicus (1) creaturæ spirituales mediæ inter Deum et homines existunt, quæ ipsius consiliorum tes-

(1) Cf. *de Potentia*, Q. VI, art. IV.

timonia, certis casibus, ad nos deferenda habent. Si tamen juxta theologicum rigorem loquendum sit, cum data distinctione respondendum putamus (1). — De varia ratione qua conceptus Miraculi tum theologice et rigorose sumpti, tum miraculi secundum quid intelligi potest satis dictum est.

Corollarium quo hactenus disputata in summam contrahuntur. Ex dictis amplitudo ordinis *miraculosi* patere potest. Constat igitur formaliter, proprie et primario iis operibus quæ sunt præter exigentiam ac supra vires naturæ totius : sive naturæ facultatem superent *quoad effectus substantiam totam*, sive *quoad ipsum effectionis modum*, sive rursum opus *substantia* vel *modo* supernaturale efficiatur a Deo *immediate*, nullo adhibito naturali agente, adeoque actu vel creativo, vel creativo æquivalente et exclusivo divinæ omnipotentiæ exercitio ; sive effectus a Deo causetur, adhibitis naturalibus quibusdam agentibus creatis, addito tamen ipso primæ causæ concursu speciali, qui ipse naturæ totius facultatem et exigentiam omnem transcendat. Verum, in præsenti Providentia, ordo Miraculosus, in ratione divini manifestativi, *secundario* et *ab extrinseco* constituitur etiam ex mirabilibus operibus Spirituum, quatenus, actione sua sensibili, interveniunt in mundum aspectabilem atque varia portenta efficiunt ad divini alicujus consilii manifestationem vel fidei probationem, ipso Deo, præter constitutum universi ordinem, hanc spirituum interventionem vel jubente vel tolerante. — Ut proin ordo miraculosus latius sumptus sive complexus operum quæ infallibile Dei consiliorum signum ad nos deferunt, complectatur tum opera quæ solus Deus ac causa prima præter constitutum naturæ ordinem patrare potest, tum opera mirabilia spirituum. — Hinc si danda sit definitio Miraculi *theologice* et *univoce* sumpti, illud in concreto suo statu describi po-

(1) Cfr. de hac ipsa conclusione Suarez : *de Angelis*, L. IV, c. 39, n. 11.

terit : *Effectus sensibilis, qui transcendit exigentiam et facultatem naturæ totius.* — Si vero exhibenda sit definitio miraculi *analogice* accepti, Miracula dicentur : sensibiles et extraordinarii effectus qui, in præsenti Providentia, *sive in actu primo, sive saltem in actu secundo* et spectata concreta eorum connexione cum Doctrina pro supernaturali proposita, excedunt exigentiam ac facultatem causarum secundarum omnium et proxime pendent ab ipsa primæ causæ vel efficientia, vel saltem tolerantia aut jussione. — Atque in eo quidem analogico et laxiore sensu vocabulum *Miraculum* sæpe adhibetur in Christiana Demonstratione et practicis questionibus quæ de probativo miraculi valore apud apologetas moventur.

§ IV.

DE MIRACULORUM DIVISIONE AC GRADIBUS.

1. Ex iis quæ superiore paragrapho disputavimus, vidimus miracula excedere vires creatæ naturæ totius, juxta multiplicem sensum quem exposuimus. Jam vero ex *ipsa ejusmodi excessûs ratione* gradus sive divisio Miraculorum maxime generalis deduci potest. — Porro de ipso illo *fundamento* magnitudinis sive graduum Miraculi ita scribit Ferrariensis : « Circa magnitudinem Miraculorum, inquit, considerandum quod non est idem dicere aliquid esse majus opus Dei et illud esse majus miraculum. Potest enim esse majus opus Dei et tamen minus erit miraculum. Nam dicitur majus opus Dei quod est nobilius et excellentius et magis divinam virtutem manifestat : dicitur autem majus miraculum quod magis rationem miraculi participat in hoc quod aliquod a Deo fiat et quod in re sit aliquod ex quo videatur quod aliter fieri debeat. Non inconvenit autem quod aliquid sit excellentius altero et magis virtutem

divinam manifestet, et tamen minus habeat de ratione miraculi, ut puta quia non est in natura creata *unde debeat aliter fieri*, cum ad illud nullum ordinem habeat natura activa creata, sed ipsum sit supra ordinem omnium producibilium a natura. Sic dicimus creationem universi et justificationem impii esse majora opera divina quam sit sanatio subita alicujus a febre, licet ista sanatio sit magis miraculum, utpote magis de ratione miraculi habens. Propter hoc inquit D. Thomas, Sum. Th. 1ª 2ᵉ, Q. 113, art. ultimo ad primum, quod quædam miraculosa opera sint minora quam justificatio impii in quantum ab bonum quod fit, plus tamen habent de ratione miraculi; intellige, quia habent quidquid ad rationem miraculi pertinet, justificatio autem hoc tantum habet de ratione miraculi quod a Deo fit qui est causa secundum se nobis occulta (1). »

2. Juxta hæc sua principia, a Ferrariensi modo exposita, priorem Miraculorum divisionem describit Angelicus. Et primo quidem animadvertit nullam esse graduum diversitatem in Miraculis quatenus respicitur eorum causa, quæ, cum ipse Deus sit, nullam omnino neque majorem neque minorem in his efficiendis difficultatem experiri potest : addit vero ejusmodi gradus diversitatem in Miraculis reperiri si in effectibus attendatur ipsa quantitas excessus sive transcendentiæ supra naturæ vires. « Dicitur aliquid Miraculum, ait, per comparationem ad facultatem naturæ quam excedit. Et ideo secundum quod magis excedit facultatem naturæ, secundum hoc majus miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter. Uno modo *quoad substantiam facti :* sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest. Et ista

(1) *Comm. in sum. cont. Gent.* ad L. III, c. 101.

tenent summum gradum in miraculis. Secundo, aliquid excedit facultatem naturæ non quantum ad id quod fit sed *quantum ad id in quo fit :* sicut rescuscitatio mortuorum et illuminatio cæcorum et similia. Potest enim natura causare vitam sed non in mortuo. Et potest præstare visum sed non in cæco. Et hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ *quantum ad modum et ordinem faciendi :* sicut si aliquis subito per virtutem divinam a febri curatur absque curatione et consueto processu naturæ in talibus, ut cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliæ. Et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis (1). »

(1) *Summ. Th.* I, Q. 19. A. 8 in corp. et *Summ. cont. Gent.* L. 3. c. 101, item comm. Cajetani et Ferrariensis ad h. l.—Opportune notes huic divisioni suæ qua S. Doctor miracula distinguit in *Miracula quoad substantiam* et *Miracula quoad modum* non contradicere Summæ locum qui ita sonat : « Omne donum gratiæ hominem elevat ad aliquid quod est supra naturam humanam : quod quidem potest esse dupliciter. Uno modo quantum ad substantiam, sicut miracula facere et cognoscere occulta et incerta divinæ sapientiæ : et ad hos actus non datur homini donum habituale (intellige in actuali Providentia). — Alio modo est aliquid supra naturam humanam quantum ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, sicut diligere Deum et cognoscere eum in speculo creaturarum, et ad hoc datur donum gratiæ habituale ». (2ª 2æ, Q. 171. a. 2 ad 3). — Videtur heic Angelicus omnia miracula habere ceu supernaturalia *quoad substantiam.* Sed nota minime in præsenti occupatum fuisse S. Thomam in consideratione graduum miraculi. Nempe unice hoc ostendere vult quosdam esse effectus pertinentes ad Ordinem Supernaturalem qui, licet nullum habeant in ipsa natura rationali vestigium ac prærequisitum, tamen in ea prædispositiones aliquatenus habent, quatenus ipsa naturæ inclinatio, licet alio et infinite diverso modo, in idem objectum tendit in quod etiam tendit vis gratiæ. Sic, v. g., natura rationalis seu homo ex pura etiam natura tendit in Deum *qua auctorem naturæ,* cognitione et amore : in quantum vero elevatur supra naturam pariter tendit in Deum,qua auctorem gratiæ et supernaturale Bonum per lumen fidei et gratiæ auxilia. Quum igitur eadem tendentia materialiter spectata adsit tum in ordine naturali, tum in ordine gratiæ, hinc dona gratiæ quibus dicta analogia et conditio inest vocat S. Thomas supernaturalia *quoad modum* et reservat nomen donorum *supernaturalium quoad substantiam* iis donis gratuitis quæ nullam analogiam, ne quidem materialem, in natura habeant. Vides in hac partitione respicere S. Thomam ad supernaturalium cum naturalibus analogiam, nequaquam ad eorum supra vires naturæ transcendentiam. « S. Thomas vult significare ibi, inquit in hunc locum Em. de Lugo, discrimen inter actiones

3. Age, ad primum illius miraculi divisionis gradum cum variis auctoribus referre possumus robur supernaturale Samsonis, fulgorem faciei Mosis post ejus cum Deo colloquium, solis in cœlo stationem ad verba Josue, Nativitatem J. C. ex Virgine illibata, ejus transfiguratio-nem in monte Thabor, ipsius redivivi ad discipulos ingressum, januis clausis etc. His jungit etiam Spagni (1) duplicem illam panum et pisciculorum multiplicationem, de qua notat S. Thomam ipsam non fuisse factam « per modum creationis sed per additionem extraneæ materiæ in panes conversæ (2); » item huc refer rerum substantiales conversiones, donum Prophetiæ etc. Secundi gradus Miraculorum exempla dat ipse S. Thomas in allato superius loco : ex his igitur sunt vita restituta homini emortuo, visio cæco reddita, generatio in uxore sterili, expulsio dæmonis a corpore obsessi, cum nulla vis creata sit quæ hominem liberare valeat a dæmone qui ipsum permissione divina obsesserit (3) et similia prodigia. Demum ad tertium gradum passim referunt Auctores sanationes omnes subite factas ad nutum Thaumaturgi, dummodo tamen fuerint sanabiles, nam si incurabiles sint pertinerent ad gradum secundum : huc etiam referenda maris ad verba Christi subitanea tranquillitas pluviæque per

miraculosas quales sunt suscitatio mortui et prophetia ex una parte, et actus credendi, diligendi etc. ex alia. Discrimen autem est quod nec illæ priores nec aliæ illis similes fieri possunt a natura, et ideo eas appellat supernaturales quoad *substantiam* : at vero istæ posteriores, licet cum illo modo supernaturalitatis (intrinseco quidem et essentiali) non possunt fieri a natura, possunt tamen fieri *aliæ similes in modo tendendi ad sua objecta* et ideo has dicit solum esse supernaturales *quoad modum*, non tamen negat (n. b.) illum modum esse de quidditate horum actuum. Ita explicat S. Thomam Bannes, infra Q. 24, a. 2, in fine, cum aliis Thomistis (*de Fide*. Disp. 9, S. 2, n. 38). » — Cfr. R. P. Kleutgen, *Theologie der Vorzeit*. II. *Theol.* vol. 4e Abhandl. p. 552.

(1) *De Miraculis*. C. I, art. 7.

(2) *Summ. Sheol.* III, Q. 44, a. 4, ad. 4.

(3) Cf. *Summ. Theol.* I, Q. 105, a. 8. Cfr. Em. Brancat. de Lauræa *In* 3 *Sent.* Disp. 20 *de Miraculis*.

Eliam orantem concitatio etc. — Quod autem vix monuisse oportuerit, fieri certe potest Miraculosum aliquod eventum plures ex hisce gradibus in se complecti. Sic, ut alia mittam, exemplum miraculi ad secundum simulque ad tertium gradum referendi habet Spagni in cæco quem Christus Dominus sanavit, ex imposito oculis ejus luto, atque alia id genus complura (1).

4. Cum priori illa Miraculorum divisione multum affinis alia illa est quam sæpius etiam proponit Angelicus Doctor quamque magno quoque consensu Theologi receperunt. Dividunt nempe Miracula in *Miracula supra*, *contra et præter naturam* (2). — Et miracula quidem *supra naturam* ea sunt quæ a naturæ viribus fieri non possunt aut absolute, aut saltem in eo subjecto in quo fiunt. Exemplum ponit Benedictus XIV in resuscitatione filii Viduæ per Eliam facta, in cordis arcanorum revelatione, in prophetiis, cæci illuminatione (3) etc. — Miracula *contra naturam* ea sunt quæ fiunt cum in natura remanet dispositio *positive* et *active* contraria effectui, v. g. hiatus et elevatio aquarum ad jussum Mosis dum Hebræi sicco vestigio transiere mare Erythræum; regressio umbræ in horologio solari Ezechiæ ad preces Isaiæ, etc. Idem etiam, dicendum de igne non comburente pueros Hebræos in fornacem a Nabuchodonosore conjectos; de aqua Jordanis cursum subito inhibentis etc. Tandem Miracula *præter naturam* ea censentur quæ substantia sua capacitatem naturæ haud excedunt, sed potius *modo* et *circumstantiis* temporis, subjecti etc. Vides ad hæc opera reduci quæ supra diximus Miracula *quoad modum*. Exempla occurrunt in subita scaturigine ranarum per universam

(1) *De Miraculis*, P. I, art. 7, p. 15.

(2) *In* 2 *Sent.* D. 18, Q. I, a. 3 in corp. — Q. disput. *de Potentia Dei*. Q. 2, a. 2 et q. 6, a. 1 in corp.

(3) *De Beat.* etc. L, 4, p. 1, c. 1, n. 9.

eamque vastissimam Ægypti regionem; in manu Jeroboam repente arefacta cum Prophetam Eliam vellet interficere; in aqua Zelotypiæ cujus haustu convincebantur uxores adulteræ (1). — Sed ipsum Angelicum audiamus : « Dicendum, inquit, quod circa ea quæ Deus miraculose facit, talis solet adhiberi distinctio quod quædam dicuntur fieri *supra naturam*, quædam *contra naturam*, quædam *præter naturam*. *Supra naturam* quidem, quantum in illum effectum quem Deus facit natura nullo modo potest. Quod quidem contingit dupliciter : vel quia ipsa forma inducta a Deo omnino a natura induci non potest, sicut forma gloriæ quam inducit Deus corporibus electorum, et sicut etiam Incarnatio Verbi; vel quia, etsi talem formam possit (natura) in aliquam materiam inducere, non tamen in istam. Sicut ad causandam vitam natura potest, sed quod in hoc mortuo vitam causet hoc facere non potest. *Contra naturam* esse dicitur quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum quem Deus facit. Sicut quando conservavit pueros illæsos in camino, remanente virtute comburendi in igne; et quando aqua Jordanis stetit, remanente gravitate in ea; et simile est quod Virgo peperit. *Præter naturam* autem dicitur Deus operari quando producit effectum quem natura producere potest, illo tamen modo producere non potest; vel quia desunt instrumenta quibus natura operatur : sicut cum Christus convertit aquam in vinum (Jo. 2.) quod tamen natura aliquo modo facere potest...; vel quia est in divino opere major multitudo quam natura facere potest, sicut patet de ranis quæ sunt productæ in Ægypto; vel quantum ad tempus, sicut cum statim ad invocationem alicujus curatur, quem natura non statim, sed successive et in alio tempore, non in isto curare posset, et sic accidit in Miraculo inducto de socru

(1) Cf. Viguerum. *Op. cit.* cap. 9, § 2, *de modo operandi in Miraculis.*

Petri, unde patet quod omnia hujusmodi, si accipiatur et *modus* et *factum* facultatem naturæ excedunt (1). »

5. Dividunt etiam Miraculum in *immediatum* ac *mediatum*. Sic cl. Dobmayer : « Si *modus* attendatur, ait, Miraculum (est) vel *immediatum*, dum omnipotentia sola vel mediis supernaturalibus adhibitis agit. — Vel *mediatum*, dum Deus ministris et rebus naturalibus *singulari modo præformatis* utitur (2). »

6. Ex dictis de amplitudine Ordinis Miraculosi, late sumpti, colligitur Miraculorum divisio in miracula *absoluta* et *relativa*. Miracula *absoluta* vocant nonnulli opera præter naturæ ordinem et exigentiam a solo Deo patrata. *Relativa* dicunt *Spirituum Mirabilia* quæ in ipso mundo aspectabili Deo specialiter jubente vel permittente exercentur (3). Huc recidit divisio apud Scholasticos occurrens, in *Miracula Simpliciter* et *Miracula quoad nos*, quam ita refert Ferrariensis : « *Simpliciter miraculum* dicitur quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ per virtutem secundum se a quocumque intellectu creato incomprehensibilem... *Quoad nos* dicitur Miraculum, cum aliquid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam, licet in se cognoscibilis et comprehensibilis sit ab intellectu creato (4). »

7. Alia tandem Divisio, a multis etiam tradita, Miracula partitur prout constant vel *mera substractione subjecti ab influxu certæ cujusdam naturæ Legis* in casu peculiari, vel *communicatione positivæ cujusdam formæ in subjecto*. Prioris generis miracula forent, judice Ill. Haij (5) si imperante vel deprecante Thaumaturgo, aquæ fluminis immotæ et

(1) *Op. de Potentia*. q. 6 de miraculis. A. 2, ad III.

(2) *Systema Theologiæ Catholicæ*. II. Solisbaci. 1808. p. 378. — Cf. supra, p. 110.

(3) Cf. Ill. Haij, Ep. Edimburg. *La Doctrine de l'Ecriture sur les miracles*. Trad. franc. 1808. T. I. p. 36.

(4) *Comm. in Summ. cont. Gent.* L. 3. c. 102.

(5) *Op. cit.* T. I, p. 11 sqq. et p. 105.

erectæ consistant (non obstante lege gravitatis), vel sol cursum retardaret (invita gravitationis norma), etc. Alterius speciei miracula habes in vitæ collatione homini emortuo, in futurorum eventuum revelatione, in actuali manifestatione arcanorum cordis, in collato supernaturali vigore corpori et similibus sexcentis, in quibus non præcise subtrahitur tantummodo subjectum ab actuali influxu cosmicæ cujusdam Legis, sed augetur positivæ alicujus formæ communicatione, ad quam nulla proportio naturaliter illi inexistit. Ista divisio vel, si mavis, consideratio opportune statuitur ad miraculorum possibilitatem elucidandam, ut postea videbimus. Plura vero portenta occurrunt in quibus utraque miraculi ratio inest.

8. Demum si non jam formalem Miraculorum rationem, at potius materiale eorum constitutivum exterioremque faciem consideres, dividi possunt in *Miracula physica* quæ in mundum materialem ejusque elementa vario modo contingunt : in Miracula *intellectualia*, quæ propriissime constant supernaturali rerum absconditarum manifestatione *menti humanæ* facta quam nomine *Inspirationis* et *Prophetiæ* appellant : in *Miracula moralia*, quæ eventibus continentur præter constitutum humanæ naturæ ordinem effectis, prout attenduntur leges ethicæ et normæ quibus experientia et observatione teste, tam individuorum hominum quam societatum et cœtuum actiones temperantur. Quale miraculum cernitur in prima Christianæ Religionis propagatione, invicta Martyrum virtute ac in primis in ipsa Religione Christi objective considerata, prout cum omnibus suis notis respicitur (1). — His vero præcipuas miraculorum divisiones eorumque gradus exposita habes.

(1) Cfr. Ill. D. Deschamps, Archiep. Mech. *Entretiens sur la Démonstration catholique de la révélation chrétienne*, p. 67 et passim.

§ V.

EXAMEN NONNULLARUM MIRACULI DEFINITIONUM QUÆ APUD ALIQUOS AUCTORES OCCURRUNT.

Nolim hoc Disputationis nostræ caput quo de Miraculi conceptu deque ordinis miraculosi amplitudine ac gradibus diximus claudere, quin aliqua adjiciam de nonnullis Miraculi definitionibus quæ identidem a christianis scriptoribus allegatæ fuerint et nonnullam animadversionem exposcere videntur.

1. Andreas Spagni, in theologico Commentario quem scripsit de miraculis (1), Suarezio vitio vertit quod doceat ad miracula « sufficiens esse si superent omnem naturalem virtutem causarum *visibilium* et *corporearum* (2), » cum tamen S. Thomas et Schola universa requirant in miraculoso effectu theologice sumpto, transcendentiam supra vires naturæ totius, id est causarum tam materialium quam spiritualium, ut supra exposuimus. — Verum severior quam verior sit ista Spagni censura. Nam, uti obiter jam monui (3), statim post ea quæ recitavimus verba, pergit eximius Doctor dicere spiritus *ex nativa sua virtute* nullum mirabile portentum patrare posse in mundo visibili, *nisi applicando activa passivis*, adeoque nisi adhibita materia corporea eaque, pro egregia sua arte, varium in modum disposita. Si igitur ponas effectum talem esse qui neque potentia saltem remota virtute materiæ corporeæ aliquatenus præcontineatur, ad illum producendum nullus spiritus, nulla pura creatura propriis viribus valere possit. Atque eo sensu legitime dixeris ad Miraculum formalissime sumptum, *necessarium* et *sufficiens* esse si effectus superet omnem naturalem virtutem *corporalium agentium*.

(1) *De Miraculis*, P. II, art. 8, n. 1, Romæ 1776, p. 53.
(2) *De Angelis*, c. 29, n. 10.
(3) Cf. supra, p. 111, ex quibus mens Suarezii plane innotescit.

Iloc enim ipso a nullo etiam *spirituali* agente fieri poterit, sed ab unius causæ primæ efficacia pendebit totus. — Patet autem hæc omnia intelligenda esse de mirabilibus quæ Spiritus ex *insita sua virtute* patrant de quibus unice heic agit Suarezius. — Jamvero sic explicandam ejus mentem esse compertum nobis sit, nisi Doctorem eximium secum committere cupiamus. Quippe in toto eo capite, unde hæc ejus verba desumpta sunt, in eo est ut veterum de Miraculo definitionem propugnet atque ad ejus verificationem transcendentiam statuat *supra vires finitas omnes*. « Verissime et rectissime, ait, dicitur Angelos non posse facere miracula et ratio facile redditur ex supra dictis quod materia non obedit Angelo ad nutum. Item ex eo quod potentia Angeli finita est; ad facienda autem quæcumque *ex sola voluntate et potestate facientis* requiratur infinita et omnipotens virtus (1). » — Si hæc considerasset Spagni, non imposuisset Suarezio sententiam cui is nequaquam adstipulatur.

2. Minus accurata est definitio miraculi quam habet S. Clarke quam memoro eo quod satis animos eruditorum suo tempore occupavit. Statuit ille nullam materiæ corporeæ inesse propriam virtutem seu activitatem : quæcumque vero in natura aguntur, ea vel immediate fieri a Deo vel mediante spirituum immaterialium ministerio; adeoque naturæ vires nihil esse nisi effectus uniformis Dei actionis et influxus in mundo physico. Addit cosmicas leges seu cursum naturæ vocari abusive hanc Dei actionem prout sese exserit consueto modo; miraculum vero dici operationem sive Dei ipsius sive spirituum *extraordinariam*. Hinc miraculum ab illo describitur prout est « effectus *consueto* naturæ ordini contrarius ab alicujus entis intelligentis homineque superioris insueto interventu productus (2). » — Facile quisque

(1) *De Angelis*, L. c. n. 5.
(2) *Tract. on the exist. of God.* c. 19.

viderit nimis singularem in re nostra esse mentem viri eruditissimi. Nam in primis scientæ empiricæ plane contradicit ubi materiæ vires inesse nullas adserit. Equidem aliquo modo temperari posset hæc Clarkii expositio, ut ipsi dum de miraculi possibilitate agemus, suo loco notabimus : at profecto prout ab auctore proponitur recipi nequit, cum vim activam omnem materiæ abjudicet. Ad hæc, cui persuadeat Clarkius quæcumque in natura fiunt, illa contingere ex actione Spirituum prætermundanorum? Nonne in hoc asserto humanæ activitatis negatio est? — Quin, vel hoc etiam dato, ex mente Clarkii, vix alia differentia existit inter Miraculum et eventum naturalem nisi eventûs *extraordinarius* caracter. Hoc autem minime sufficere ex dictis liquet. Demum, minus accurate descriptionem suam ad illa eventa Clarkius extendit quæ nonnisi ab extrinseco et late miracula sive Dei manifestativa dicuntur. Hinc ejus definitio, propter suam generalitatem et obscuritatem haud minus dæmonum præstigiis competit quam Angelorum mirabilibus. Imo si Clarkii definitionem recipias, miracula dici possent varia Magorum Ægypti portenta atque dæmoniaca portenta quælibet.

5. De notione Miraculi sententiam singularem proposuit Houtteville in opere : *La Religion chrétienne prouvée par des faits* (1), cujus doctrinam evolvit Carolus Bonnet in libro : *Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme* (2). — Nempe Houteville polemice agens cum B. Spinoza existimavit ab isto negari Miraculorum possibilitatem, eo quod ea haberet pro factis quæ naturæ legum violationem secum traherent, cum tamen illas leges plane immutabiles reputaret. Hinc excogitavit auctor orthodoxus novam argumentationis formam ex qua, veluti argumento ad hominem, adversarium conficeret. En ejus ea de re verba : « Mais je ne puis consentir à

(1) Tom. I, L. I, c. 6.
(2) Capp. 5 et 6.

quitter cette objection (naturæ leges immutabiles esse), sans prier le lecteur de se prêter au nouveau moyen que je vais ouvrir pour la résoudre. Reprenons le raisonnement de Spinoza : Les lois de la nature ne sont que les décrets de Dieu ; j'en conviens. Or les décrets de Dieu ne peuvent pas changer; parce qu'il est immuable; je veux encore en convenir. Donc les lois de la nature ne peuvent changer; j'accepte la conséquence. Donc le miracle est impossible, parce que le miracle est contraire aux lois de la nature, voilà ce que je nie. Et pour faire voir que je puis le nier à ce vain sophiste, c'est qu'en raisonnant sur les mêmes principes, sans les adopter, il est facile de le réduire à désavouer sa propre conséquence. Je n'ai pour l'y contraindre qu'à supposer *les plus grands prodiges liés avec les décrets établis de Dieu pour le gouvernement de l'univers.* Dans cette hypothèse, où les miracles seront une suite de l'harmonie générale, il sera vrai que les lois de la nature ne sont que les décrets de Dieu. Il sera vrai que les décrets de Dieu ne peuvent changer. Il sera vrai que les lois de la nature ne souffrent point d'interruption, et il sera vrai cependant que les miracles sont possibles, contre la thèse formelle de Spinoza (1). » — Audiamus jam quonam pacto auctor evincat Miracula inter ipsum naturalis ordinis ambitum contineri. Nempe probandi initium ducit ab axiomate inter Malebranchii discipulos celebratissimo : non esse sine ratione multiplicandas divinas operationes. Jam si Houttevillio credas, nihil obstat quominus Miraculosi eventus inter ipsas leges naturæ concludantur : « D'où vient donc, rogat, que les prodiges ne seraient pas compris et préétablis dans l'ordre général de la nature, à peu près comme les êtres organisés sont préparés et contenus dans le premier individu de leur espèce?

(1) *Op. cit.* L. c.

Pourquoi enfin les mêmes lois qui suffisent à tant de productions admirables, seraient-elles insuffisantes pour les miracles dont le spectacle à quelquefois étonné l'univers? Quelle différence y découvre-t-on, *si ce n'est que ceux-ci sont plus rares, celles-ci plus communes?* En donnant à la matière le degré juste de mouvement qu'elle devait avoir dans tous les siècles, on conçoit que Dieu a pu déterminer de telle sorte la loi des communications, qu'en tel temps, par exemple, le monde a dû voir telle guérison, telle éclipse, telle résurrection. Encore une fois la chose est possible, elle ne renferme, elle n'offre rien d'absurde. Que dis-je d'absurde? elle est digne de Dieu, conforme à l'idée que nous avons de sa conduite et de sa grandeur. J'aperçois ainsi, adjungit Auctor, que le grand ouvrier pourrait avoir caché dès le commencement, dans la machine de notre monde, certaines pièces et certains ressorts qui ne devaient jouer qu'au moment que certaines circonstances correspondantes l'exigeraient. Je reconnais donc qu'il serait possible que ceux qui excluent les miracles de la sphère des lois de la nature, fussent dans le cas d'un ignorant en mécanique, qui, ne pouvant diviner la raison de certains jeux d'une belle machine, recourrait pour les expliquer à une sorte de magie ou à des moyens surnaturels... Par exemple, je conçois facilement qu'en vertu d'une certaine prédétermination physique, la densité de tel ou tel corps a pu augmentir ou diminuer prodigieusement dans un temps marqué; la pesanteur n'agir plus sur un autre corps; la matière électrique s'accumuler extraordinairement autour d'une certaine personne et la transfigurer; les mouvements vitaux renaître dans un corps où ils étaient éteints et le rappeler à la vie; des obstructions particulières de l'organe de la vue se dissiper et laisser un libre passage à la lumière (1). » — Sed quo melius hanc

(1) *Ibid.*

suam miraculi explicationem suadeat, objectionem aliquam ei opponit ipse auctor. — « Une difficulté reste seule, inquit. Le spinosiste me dira : si les miracles sont enveloppés à titre d'effets dans le plan des lois universelles, vous les dégradez du merveilleux, vous leur enlevez leur destination et leur autorité. Ils ne seront plus que des évènements naturels, incapables par eux-mêmes d'entrer en témoignage; ils ne prouveront pas plus que les autres phénomènes. » Voici ce que je réponds : Je n'ai point dit que les miracles soient les suites des lois *générales, ordinaires et connues.* Le spinosiste me le fait supposer contre l'évidence formelle de mes termes. Je lui soutiens, il est vrai, que les prodiges sont des effets inséparables de l'action des lois divines établies pour le gouvernement du monde; mais je n'ai garde de prétendre, qu'ils soient une suite *des lois connues.* Je dis qu'ils naissent de celles qui nous sont cachées, ou bien, de la combinaison de celles-ci avec celles que nous connaissons. C'est parce que nous ne savons pas tout et que nous n'ignorons pas tout aussi, que nous jugeons si diversement des effets. Nous appelons *naturels* ceux qui dépendent des causes connues; *miraculeux* ceux dont nous sentons que le principe nous est caché. Les miracles sont merveilleux, parce que l'esprit humain ne saurait en fixer la cause précise. Ils conservent leur autorité, parce que, soit qu'ils dépendent, soit qu'ils ne dépendent pas des lois générales, ils ne peuvent être prévus, non plus que produits par un être borné. Pour rendre ceci plus sensible, supposons que la guérison de l'aveugle-né de l'Evangile fût une suite des lois naturelles, comme je l'ai dit; elle n'était pas moins un effet singulier et prodigieux. Je le démontre par ce raisonnement. Un miracle dans sa notion correcte est un fait rare, dont la liaison avec sa cause surpasse nos connaissances, et destiné à être le signe, la preuve ou la confirmation de

quelque vérité. Or telle est la guérison de l'aveugle-né dont parle l'Evangile. Elle est donc un prodige. Je vais plus avant. Je maintiens que ce fait, tout enveloppé que je le suppose dans les lois naturelles et générales, démontrait également la mission divine de Jésus-Christ. Il est aisé de le comprendre par cette question : Lorsque Jésus-Christ ouvrit les yeux de l'aveugle-né, savait-il qu'en conséquence du mouvement imprimé à la matière, la vue devrait être rendue à cet homme en tel temps, ou ne le savait-il pas? Répondez juste à mon alternative. Si vous dites, qu'il le savait, je vous demande : le savait-il par lui-même, ou si c'est Dieu qui le lui avait révélé? Vous dites : il le savait par lui-même; Il connaissait donc ce que l'on suppose être au dessus des connaissances humaines. Vous répondez : il le savait, parce que Dieu le lui avait révélé; Dieu concourait donc aux œuvres de Jésus-Christ; et dans ces deux suppositions je vois le prodige. Tout au contraire s'il l'ignorait, je continue de demander, comment, à point nommé, les lois générales secondaient si bien sa parole, disposaient si bien les évènements avec un rapport si juste à ses desseins, et justifiaient si fidèlement ses promesses, sans le tromper, sans le démentir jamais? Il n'y a point de réponse à cette question, et le prétendu philosophe que j'attaque n'aurait pu s'en sauver que par de frivoles discours, où il ne serait pas entendu lui-même (1). » — Ex his quæ citavimus vides statui ab Houtteville unicum causarum naturalium ordinem, at ea ratione a causa prima dispositum ut ab eo dimanent tum effectus consueti naturæ, tum eventus extraordinarii qui ipsi proprio nomine veniunt Miraculorum. Porro sententiam præcitati auctoris suo etiam modo resumpsit Carolus Bonnet apologeta genevensis (2). Verum

(1) *Ubi supra.*

(2) In opere supra citato : *Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme*, c. 5, a. 6.

theoriam quam effectibus tantum physicis seu prodigiis *naturæ physicæ* ille applicaverat, hic ad miracula omnia extendit ac contendit signa quælibet adscribenda esse arcanis quibusdam naturæ legibus. In eo tamen ejus sententia aliquantum discrepat a doctrina Houtevillii quod autumet duos a Deo constitutos esse naturæ ordines, quorum unus cursum naturæ consuetum continet, alter cursum extraordinarium sive Miraculosum. — Vides in utriusque auctoris sententia Miraculum definiri effectum naturæ extraordinarium ex occulta lege sive ex occulto naturæ ordine, Deo ita res comparante, promanantem. Jam ita veluti in unam redacta utriusque auctoris doctrina, nonnullæ animadversiones criticæ pro nostro instituto de ea faciendæ sunt. — Et primo, quod polemicum hujusce sententiæ scopum attinet, satis apparet parum adversus Spinozæ et Pantheistarum impugnationem sua argumentatione lucraturum fore Houtevillium. Equidem conveniunt ambo in admittenda legum naturæ immota firmitate et immutabilitate, sed eo ducuntur ex principiis plane diversis. Pantheista enim Judæus ejusque sequaces eapropter volunt immutabiles esse naturæ leges quod illas habeant pro necessaria evolutione Divinæ Essentiæ quæ sese diversimode in variis universi entibus *realizat* et exserit. Ergo illa naturæ immutabilitas quam adstruunt Pantheistæ illi *intrinseca* et *essentialis* est ac necessitatem metaphysicam habet. Contra leges universi eapropter immutabiles ponunt Houtteville et Bonnet quia eas tales condidit summus mundi Rector, libero suæ voluntatis decreto, ut proin earum immutabilitas mere extrinseca sit dicenda atque ad positivum Dei decretum consequens. Si igitur rem in rigore sumas, præcipuum suum intentum adversus pantheistam hominem minime assequuntur eruditi auctores, neque illam naturæ immutabilitatem quam urget Spinoza eodem sensu accipit quo eam ii intelligunt. Notandum 2° ab utroque quem citavimus

Apologeta illud incredulis dari quod nequaquam eis erat concedendum; scilicet probationem extrinsecam divinæ Revelationis esse conclusam intra ordinis *naturæ* limites : cujus asserti falsitatem ubi de criteriis Revelationis et Miraculi essentia, juxta Scholæ mentem egimus, jam præoccupavimus. Dein, quod præcedenti errori affine est, neque dicendum erat leges naturæ esse immutabiles: nam cum leges naturæ nil aliud sint nisi ipsum creatorum agentium activitatis exercitium constans atque uniforme, istiusmodi leges ipsam causarum secundarum conditionem sequuntur. At natura creata non est dicenda immutabilis, nam est contingens tota. Ergo neque ejus operandi modus simpliciter necessarius et immutabilis censendus est. — Equidem hæc omnia velut œconomia usi adversus homines qui naturam immutabilem legesque ejus immotas usque clamabant proposuere clarissimi hi Apologetæ : in hoc tamen zelosius quam felicius egerunt. — At 3° etiam dicendum, fundamentum, cui hæc omnia innituntur tam ruinosum esse, ut plane nullum haberi debeat. Sane, in eo jacet totum, Deum non plures operationes nec plures causas adhibere ubi sufficit una. Sed præcise in hoc res est, num contineri possint miraculosi effectus eodem genere causarum quo naturæ eventa? Speciale ac positivum et propriissimum divinæ voluntatis, testimonium profecto nequit concludi eadem specie operationum quibus exsurgit ordo constitutus et communis naturæ, uti supra, dum miraculi conceptum descripsimus, ostensum fuit. Vanum igitur, imo falsum in re nostra axioma pro ratiocinii basi ac nervo accepere auctores quos retulimus. — Imo timendum ne axioma illud ad effectus etiam illos sensim traheretur qui, ex certa Ecclesiæ definitione, nonnisi operationi proprie supernaturali tribui possunt, ut sunt illa omnia quæ ad Sacramentorum œconomiam atque Elevationis ordinem universim pertinent. Nam et

hæc principio extraordinario, creatæ tamen ac naturalis conditionis, juxta ista placita aliquis facile adscriberet. Quin ad hoc viam non satis præcludit ipse Car. Bonnet dum asserit fieri potuisse ut charisma prophetiæ ex speciali cerebri attemperatione, movente tamen ac regente Deo, derivetur, ac Christi ex Virgine nativitatem naturali modo posse explicari (1). Verum si eousque pergant Fidei Apologetæ ut naturæ tribuant effectus quos ipsæ Scripturæ et Ecclesia definitive unius Dei efficientiæ referunt, quomodo supernaturalis ordinis existentiæ provisuri sint jam non liquet. — Ut non addam, quod ante jam animadversum fuit, ex nulla lege cosmica, ex nulla motus materialis communicatione explicari unquam posse mortui resuscitationem, cordis arcanorum et futurorum eventuum revelationem, atque alia miracula sexcenta. 4°, Sed, quod maximum etiam momentum Christiano Apologetæ habere debet, nemo est qui non videat descriptionem Miraculi qualis ab Houtteville et Bonnet tradita fuit, non posse conciliari cum Scripturæ Sacræ et Traditionis in re nostra doctrina. Ecquis negabit ceu opera Dei solius referri Veteris Novique Fœderis Theophanias, Prophetarum Visiones, ipsam librorum sacrorum inspirationem, Miracula demum universim? Nonne exhibet Spiritus Sanctus incarnatum Dei Filium in Beatæ Virginis utero *obumbrante eam Spiritus Sancto?* Nonne Christus suam voluntatem tanquam signorum quæ patrabat adæquatam causam profert? : *Quid est facilius dicere, dimittantur tibi peccata an dicere, Surge et ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terris dimittendi peccata, ait paralytico : Tibi dico, Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.* (Luc. 5; 23). — Huc

(1) En ejus verba : « L'on conçoit que Dieu a pu préparer de loin dans le cerveau des prophètes des causes physiques propres à en ébranler, dans un temps déterminé, les fibres sensibles suivant un ordre relatif aux événements futurs qu'il s'agissait de représenter dans leur esprit. » *Palingénésie.* T. II, p. 17.

etiam spectant illæ Christi locutiones : *Volo, mundare.* — *Epheta*, i. e. adaperire — *Lazare, eveni foras* cæteraque id genus innumera. Neque profecto existimet quis adeo verbis ludere Scripturam divinitus inspiratam ut perpetuo Dei voluntati immediatæ referat opus quod in causis naturalibus, licet extraordinariis, physice prædeterminatum erat.

Adde tandem non parum infirmari ex ista doctrina ipsam ordinis empirici certitudinem. Nimirum analogia quæ, post debita experimenta extare præsumitur inter effectus physicos eorumque causas quæque scientiæ naturalis fundamentum est, in ea sententia plurimum vacillat. Scilicet, ut arguit Cl. Legrand, Doctor Sorbonicus, « illa analogia plane destruitur, si cum Houtevillio supponas præter leges generales communicationis motuum (1), ex quibus experientia constanti et observatione cognoscitur sequi illos effectus qui *naturales* vocantur; alias esse admittendas generales etiam, ex quarum harmonia mechanica prodirent identidem effectus qui *miracula* appellantur, seu effectus alii et oppositi prioribus in iisdem circumstantis physicis. Aërem esse gravem, esse elasticum experimentis multis compertum est. Sed experimenta illa de omni aëre fieri non potuerunt : quapropter cum ex iis experimentis deducantur gravitas et elasticitas aëris, consectarium illud generale et merito admissum non habetur nisi vi analogiæ. Quis vero esse possit illi analogiæ locus, si cum Houtevillio admitterentur leges aliæ generales et mechanicæ ex quibus naturaliter sequeretur in iisdem circumstantiis physicis quasdam aëris partes aliquando nec esse graves, elasticas? Nunquam sane posset certo exspectari talis effectus physicus in illis circumstantiis physicis in quibus universi secure talem effectum physicum exspectant. V. g. qui ignem suscitant,

(1) De his communicationis motuum legibus in specie agit Houttevillius. Cf. ejus verba, p. 154.

ab eo exspectant urendi vim, calorem, lumen in iisdem circumstantiis physicis. Sed data Houttevilliana hypothesi, juxta jam sunt aliæ leges generales et mechanicæ, ex quibus naturaliter sequerentur in iisdem circumstantiis physicis alii effectus omnino oppositi, ut proin ustio, lumen ab igne suscitato secure exspectari non possent (1). » Vides in illa sententia physicæ sive empiricæ certitudinis fundamentum haud parum infirmari. — Cæterum quod existimavit Houtteville, non parum firmari suam de miraculi essentia sententiam ex systematibus philosophorum qui suo tempore florebant, quique enixe contendebant Deum, ceu causam perfectissimam simplicissima ratione opera sua ad extra temperare, in eo deceptus est. Nam vel ipse Malebranchius, licet de miraculis subobscure nec exacte loquatur, negavit ea esse *legum generalium* effectus, quum confessus sit illa derogationem istiusmodi legibus involvere (2). Plane idem docuit Leibnitzius (3). Nec secus Wolfius qui tenet miracula esse « motus contrarios legibus motus, ac posse fieri propria virtute a solo Deo qui potest facere ea quæ vim naturæ universæ excedunt (4). » Atqui ii tamen sunt Philosophi quos in sui systematis patrocinium appellavit Houtevillius. — Porro hæc quidem sunt quæ in sententiam Houttevillii et Bonnet animadvertenda habemus. Ea vero opportunitate usus, non possum quin notem minus feliciter a nonnullis auctoribus exprimi verum opinionis quam heic impugnamus sensum. Nimirum a recentioribus quibusdam traducuntur apologetæ illi tanquam tales qui miracula *omni ex parte* paris con-

(1) *Dissertatio de Miraculis.* Prostat ap. Migne. *Cursus Script. Sacræ* T. XXIII, p. 1106.

(2) « Rien ne se fait dans le monde qui ne prouve ce sentiment que Dieu agit par des causes générales, *si l'on en excepte seulement les miracles.* » *De la nature et de la Grace*, D. I, art. 59.

(3) *Essai de Théodicée*, p. 249.

(4) *Theologia naturalis*, P. I, § 364, 361, 360, etc. — Cf. Legrand. *Op. cit.* Ap. Migne, l. c. p. 1108.

ditionis cum physicæ naturæ eventibus facerent. Equidem, ratum hoc sit de sententia satis specie affini a nonnullis Germaniæ rationalistis theologis propugnata, maxime a Twesten (1), Krause (2), aliis, quibus miraculum mere effectus est ethicæ cujusdam et extraordinariæ facultatis quæ fatali explicatione, in certis quibusdem adjunctis, effectum suum in morali et religioso ordine exserit (3) : at vero nequeunt istis commentis omnino æquiparari opiniones quas heic retulimus. Verum quidem est quod, in horum Apologetarum sententia factum ipsum quo miraculum *materialiter* inspectum constat, haud minus contineatur sub ordine naturæ quam reliqua physica eventa, quod sane vitio clarissimis viris verteris. Attamen, quod sedulo notandum, in hypothesi quam impugnamus, *præter eventum* quod nonnisi materiale miraculi dixerim, considerauda etiam *supernaturalis Revelatio* qua, præter omnem mentis humanæ exigentiam, Thaumaturgo in casu communicatur ipsa eventus cognitio (4) : hæc quippe talis est ut a solo Deo repeti possit. Unde non male quis fortassis dixerit mutari in ista hypothesi *miraculum* cum *prophetia :* at certe, modum is excederet qui mira-

(1) *Dogmatik.* I, pp. 336 sqq. 343. — (2) *Religions philosophie*, p. 723 sqq.
(3) Cf. Denzinger : *Op. cit.*, p. 373 sqq.
(4) Clare hæc intellexeris ex verbis præcitatis Houtteville : « Je maintiens que ce fait, inquit, tout enveloppé que je le suppose dans les lois naturelles et générales démontrait également la mission divine de J.-C. Il est aisé de le comprendre par cette question : Lorsque J.-C. ouvrit les yeux de l'aveugle-né, savait-il qu'en conséquence du mouvement imprime à la matière, la vue devrait être rendue à cet homme en tel temps, ou ne le savait-il pas? Répondez juste à mon alternative. Si vous dites qu'il le savait, je vous demande : Le savait-il par lui-même, ou si c'est Dieu qui le lui avait révélé? Vous dites : il le savait par lui-même. Il connaissait donc ce que l'on suppose au dessus des connaissances humaines. Vous répondez : Il le savait parce que Dieu le lui avait révelé; Dieu concourait donc aux œuvres de J.-C.; et dans ces deux suppositions, je vois le prodige (p. 154). — Quibis cernis non nude ab his apologetis considerari factum physicum, sed ejus quoque supernaturalem revelationem religionis præconi factam, sive notitiam legis istius cosmicæ ex cujus actione miraculosum eventum repetunt, quæque, cum extraordinaria plane existat, nonnisi divina revelatione Thaumaturgo communicari potest.

culum cum eventu naturali ab hisce scriptoribus simpliciter et omni ex parte confundi autumaret. Quidquid sit, cernis ipsos Auctores, ex rerum natura, tandem adigi ut *supernaturalem* eventûs, quem in se mere naturalem ponunt revelationem admittant : quæ procul dubio ex legibus communicationis motuum nequit derivari. — Malim igitur veterum mentem retinere, non orthodoxiæ tantum, verum etiam soliditatis et uniformitatis gratia.

5. Sæculo recens elapso, ut animadvertit Ill. Meignan, miraculum plerumque ab Apologetis descriptum fuit ceu legibus naturæ *contrarium*. Omnium fere resumpsit mentem Cl. Bergier quo nemo felicius neque etiam doctius rem christianam adversus pseudo-philosophos, infausta illa tempestate, defendit. « Dans le sens exact et philosophique, ait, un miracle est *un évènement contraire aux lois de la nature* et qui ne peut être l'effet d'une cause naturelle (1). » Equidem nolim esse λογομαχος. Metuam tamen nonnihil periculi subesse huic formulæ qua miracula naturæ legibus contraria quis diceret. Optime prælaudatus auctor : « Il y a dans les termes de la définition du 18e siècle, inquit Ill. Meignan, telle expression qui, mal comprise, répugne à certains esprits. Bergier disait : un miracle est un fait contraire à la nature. Le mot *contraire à la nature* semble impliquer l'idée d'un désordre, d'une anomalie, d'une contradiction de l'action créatrice. On s'empare du mot, on en abuse et on conclut que dans le cas du miracle, Dieu n'agirait pas harmoniquement avec lui-même (2). » — Sane ut jam notavimus, leges naturæ atque adeo natura ipsa non sunt nisi complexus creatorum agentium, prout uniformi ac constanti ratione exserunt suam essentialem activitatem; aliunde, creati et finiti entis conditio est

(1) *Dict. de Théol.* ad v. miracle.
(2) *Les Evangiles et la critique.* Paris 1867, p. 47 sqq.

subesse actioni et influxui causæ primæ et infinitæ : proinde, ubi Deus directa sua interventione, causarum secundarum atquæ naturæ legum cursum constitutum immutat, quod fit per miraculum, non *contra naturam,* sed si philosophice loquendum sit, prorsus, *secundum naturam* agit. Quare *contrarietas* stricte dicta, in talibus effectionibus non existit sed apparens tantum et mere exterior. Huc faciunt verba Augustini : « Quomodo est enim contra naturam quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti utique conditoris conditæ rei cujusque natura sit (1). » Quamvis igitur his de verbis minime sit movenda, retinuerim tamen scholæ definitionem ceu magis rerum veritati conformem : Miraculum effectum esse extraordinarium qui sit præter exigentiam ac supra vires naturæ.

6. Nostris quoque diebus viri nonnulli gravissimi ita de Miraculo scripsere ut potius rhetorice ab illis Miraculosum ordinem describi putes quam theologice. Sic non nimis ad unguem premenda quæ habet Cl. Deutinger, ubi ait primam apparitionem vitæ vegetativæ, multoque magis regni animalis atque humani *miraculum* fuisse. Non putem hoc sibi in eo loco proposuisse eruditum virum ut miraculum philosophice describeret (2). Equidem esto quod ista cosmica phænomena, ubi primum in mundo contigerunt, maxime mirabilia fuerint : nequeunt tamen a Theologo vel speculativæ inquisitionis homine pro Miraculis haberi. Nam, ut cætera mittam, si illa atque similia stupenda divini creatoris opera Miraculis accenseantur; cum primum tandem ipsam rerum conditarum naturam et conditionem constituant, tam parum supernaturale opus Miraculum jam foret dicendum, ut potius ad primam rerum

(1) *De civitate Dei,* L. 21, c. 8, n. 2.

(2) *Renan und das Wunder.* — Ein Beitrag zur christlichen Apologetik. — Munchen 1864. Litterarisch artistiche Anstalt der J.-C. Gotta'schere Buchhandl., p. 104.

et naturæ considerationem referendum esset. Istud vero quantam rerum confusionem inducat lector dijudicet. Similia de miraculo scripsit Dr Sepp qui conceptis verbis asserit primam plantarum germinationem miraculum fuisse eo quod hoc eventum opponeretur legibus naturæ tunc existentis (1). — Neque illa ex philosophica miraculosi eventus consideratione dicta existimem. Nam cuinam, quæso, legi naturæ, opponebatur hoc germinationis phænomenon, ut in eo exemplo tantum me contineam? An legibus vitæ vegetativæ? Sed illæ tum prius exoriebantur, et earum vi effectus producebatur. An aliis legibus sive statui entium hactenus existentium? Sed si hoc sufficeret ad existentiam Miraculi quidquid primum in mundo appareret, foret miraculum : quin et miraculi status in dies mutaretur, cum illud quod primum admirabile existebat, jam consuetus et quotidianus eventus fieret. — Nimirum ad vere miraculum, oportet quod fiat præter illud quod ipsa subjecti natura *objectiva* et ordo naturæ totius postulat. Inde enim admirationis constans et stabilis atque operis supernaturalis ratio derivari tandem poterunt, cum secus miraculosi ordinis conceptus et sphæra vicibus pateret continuis. Demum eventus miraculosus in ratione divinorum consiliorum manifestativi adhiberi nequit, nisi supponatur constituta ex integro natura universa, cum tunc demum quid juxta ejus cursum ac leges contingat, quid vero præter illas fiat judi-

(1) « Toute organisation supérieure suppose l'intervention d'un esprit organisateur; là où la vie se manifeste, il faut admettre un principe spirituel vivifiant et partant le miracle. La pierre du chemin se mettrait à pousser des branches et à se couvrir de fleurs et de fruits, évidemment nous y verrions un miracle. Ce n'en est plus un pour nous qui connaissons les lois de la végétation, de voir germer la plante, mais il fut un temps où la plante germa pour la première fois, et ce phénomène, en opposition avec les lois existantes alors (!), était un miracle. Un miracle encore, et qui a cessé de l'être, c'est quand, le règne animal créé l'homme parut et fit entendre sa voix au milieu des cris articulés des animaux. *Ce fut alors le plus grand miracle, mais ce n'en est plus un aujourd'hui.* » — *Jésus-Christ. Etudes sur sa Vie et sa Doctrine.* T. I, p. 303. Trad. de M. de Sainte-Foi.

care possis. Verum, arbitrer ab illis apologetis declaratam fuisse rationem sive modum juxta quem intelligenda sit Miraculi *causa genetica* sive originalis et efficiens, non vero elementa ejus constitutiva ac formalia. Nempe ut actus creationis atque prima vitæ in terris manifestatio ex directa actione causæ liberæ et infinitæ tandem explicari debet; ita et miraculum sive supernaturale eventum ab ejusdem primæ causæ influxu directo et personali suam originem repetit. Quo sensu etiam hanc expositionem intellexisse mihi videtur Dr Hettinger (1), in celebrata sua Fidei christianæ Apologia. Fatendum tamen in his theologicum rigorem desiderari nec satis effectus miraculosi supernaturalitatem in tuto poni. — His vero de Miraculi essentia ad Scholæ Christianæ mentem, præmissis, ad considerationem causæ efficientis et ministerialis Miraculi est transeundum.

CAPUT IV.

DE MIRACULI CAUSA EFFICIENTE ET MINISTERIALI.

1. Quæ supra de Miraculi notione juxta Scholasticos disputata sunt, solutionem parant quæstionis hujus quam de causis miraculi inscripsimus. — Quippe vidimus Miraculo essentialiter contineri, ut verbis loquar Angelici, *manifestativum divinæ veritatis vel virtutis.* Involvit proin miraculum, in ratione signi sive criterii, essentialem relationem ad ipsum Deum quatenus vel supernaturali ratione consilium aliquod hominibus manifestat vel veritatem quampiam credendam eis proponit. Ut igitur debita existat proportio et analogia inter ejusmodi signum et

(1) *Apologie des Christenthums.* Der Beweis des Christenthums. Freiburg im Breisgau. 1867, 3e aufl. p. 165.

ipsam supernaturalis Providentiæ ordinationem cujus argumentum refert, requiritur ut miraculo, *incommunicabili* et *ontologica ratione* competat ratio *operis supernaturalis* ac *divini* quod, cum a sola infinita et omnipotente causa effici possit, virtuale et infallibile ejus testimonium haberi debeat. Quemadmodum proin, in ratione signi naturalis, sigillum Regis proprium ejus voluntatis indicativum censetur neque signum ministri nisi per accidens atque vi ipsius Regis dispositionis huc inservire potest : ita nonnisi opera solius Dei potestati proportionata connaturalia et incommunicabilia ipsius consiliorum signa æstimari poterunt. Quare neque opera naturæ extraordinaria, neque etiam prætermundanorum agentium portenta, quantumvis stupenda sint, imo vero licet in præsenti Providentia hominibus non sint exhibenda absque Dei interventione, *propriam* et *adæquatam* divini manifestativi rationem habent. Per se enim plane naturalia sunt neque adeo cum divinorum consiliorum supernaturali manifestatione *essentiâ suâ* connectuntur. Quanquam igitur assumi secundario possint spirituum mirabilia ut hominibus divina consilia declarent, huc tamen tantum ab extrinseco ac indirecte diriguntur. Verum proin manet, in hypothesi divinæ Revelationis et supernaturalis manifestationis universim, propter ipsam probationis analogiam, opus aliquod exspectari et requiri quod ontologice supernaturale sit, sive ab intrinseco et in ipso actu primo vires excedens naturæ totius tam creatæ quam creabilis quodque a solo Deo, virtute incommunicata et efficiente produci possit. — Porro hanc conclusionem suæ doctrinæ de absoluta miraculi supra naturam transcendentia quam supra exposuimus sic deducit Angelicus : « Quod est, inquit, sub ordine constitutum, non potest præter ordinem illum operari. Omnis autem creatura est constituta sub ordine quem Deus in rebus statuit. Nulla ergo creatura potest supra hunc ordinem operari, quod est miracula

facere (1). » Ad quæ verba præclare Ferrariensis in Commentario : « Constat, inquit, quod particularis virtus creata non potest operari præter ordinem totius naturæ creatæ, cum operetur secundum ordinem et inclinationem suam, qui ordo continetur sub universali ordine, universitati creaturarum a Deo imposito, sicut pars continetur in suo toto, et ideo nulla virtus creata potest miracula facere : secundum hoc procedit hæc ratio. Unde et illa propositio quam assumit S. Thomas, scilicet *quod est sub ordine totaliter constitutum, non potest præter illum ordinem operari,* intelligitur ad hunc sensum, quod si aliquid secundum omnem suam virtutem sub aliquo totali ordine tanquam pars illius ordinis contineatur, illud non potest præter illum totalem ordinem operari : oppositum enim implicat contradictionem. Si enim aliquid sua virtute operetur præter aliquem totalem ordinem, sequitur ut secundum suam virtutem extra totum illum ordinem sit, cum operetur id ad quod nulla virtus in illo ordine contenta se potest extendere : et sic si ponatur aliquid in aliquo toto ordine contentum posse præter totum illum ordinem operari, ponitur idem secundum suam virtutem in aliquo ordine esse et non esse in illo ordine (2). » Solus igitur Deus miraculi *causa principalis* sive *proprie efficiens* existit.

2. Hanc vero conclusionem sacra Pagina et Traditionis sensus aperte firmant. Huc facit inprimis Psalmus 135 quo celebrat Psaltes Regius Dei magnalia tum in creationis operibus exhibita, tum etiam in prodigiosis eventibus ostensa. « *Confitemini*, inquit, *Domino qui facit mirabilia magna solus* (v. 3). » Ista magna mirabilia, ut notat Muisius, accipienda de illis quæ mox per distributionem in sacro textu sequuntur (3), ut intellexit jam D. Augustinus (4).

(1) *Summ. cont. Gent.* L. 3, c. 102. — (2) *Commentar.* ad citat. caput
(3) *Commentar. litteralis et historicus in omnes Psalmos Davidis*, T. II, pp. 527, sqq. — (4) *In Ps.* 135.

Jamvero in citato loco, post commemoratam providentiam Dei naturalem, supernaturalem ejus circa Hebræos Providentiam multis exaggerat David. Scilicet meminit maris Erythræi divisionem et Hebræorum per medios fluctus transitum, datum per invia deserti iter, devictos divina ope reges distributamque populo terram promissionis. Porro quemadmodum animadvertit Suarezius (1), vox illa *solus,* in eo loco, ab effectione Miraculorum excludit quamlibet creaturam. Atque idem propter universalem vocabulorum sensum dici etiam potest de locis parallelis : *Benedictus Dominus qui facit mirabilia solus* (2) et : *Mirabilia opera altissimi solius* (3). Huc quoque refert Suarezius appellationem *Deus Virtutum* quæ occurrit in Psalmis 23, 46, 67, 79, 83, etc. Idemque evidenter etiam confirmant loca ubi tribuuntur Deo miracula per ejus præcones patrata. Exemplo sit illud Exodi : *Extendam enim manum meam et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis quæ facturus sum in medio eorum* (4). — Hinc ipse Moses post demersos maris Erythræi fluctibus Ægyptios ita canit : *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia? Extendisti manum tuam et devoravit eos terra* (5). Et Psaltes regius : *Obliti sunt Deum,* inquit, *qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro* (6). Hinc quoque de portentis ab Apostolis patratis scribit Evangelista : *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* (7). Quæ omnia propriam et efficientem miraculi causam in solo Deo reponunt.

3. Patrum etiam unanimis mens est Deum ceu unicam miraculorum causam principem esse habendum. Id sexcenties inculcat Augustinus, cujus unicus nunc locus suffecerit :

(1) *De Angelis,* L. IV, c. 39, n. 6. — (2) *Ps.* 71, 18. — (3) *Eccl.* 1, 4.
(4) *Exod.* 3, 20. — (5) *Exod.* 15, 11. — (6) *Ps.* 105, 21. — (7) *Marc.* 16, 17.

« Porro autem quæcumque miracula sive per angelos sive quocumque modo ita divinitus fiunt... fieri ipso Deo in illos operante credendum est (1). » Idem asserit Theodoretus : « Miraculorum editiones quæ a Sanctis fiunt, divinas esse et ideo regium vatem jure dicere solum Deum maximorum miraculorum opificem esse (2). » S. Basilius, explicans Ps. 135, notat : « Multa ibi mirabilia poni, utpote quæ et faciat, et miranda et magna et *quod solus faciat* (3). » Et de eodem Psalmo dicit S. Chrysostomus : « Duo, ait, ponit, quæ sunt eximia; et quod facit et quod solus faciat. Hæc autem dicta sunt ut inter eum et dæmones ostenderetur discrimen et distinctio (4). » Vides doctrinam scholæ de absoluta transcendentia miraculi theologice ac proprie dicti supra vires naturæ omnes in sacra Scriptura et Patribus firmissime radicari.

4. Secunda dignitatis ordine causa cujus efficientia in ordine ad miraculosam operationem consideranda venit, sacrosancta Jesu Christi Dei et Hominis humanitas est. Christum Jesum, in confirmationem doctrinæ a se annuntiatæ signa innumera effecisse, supra vidimus. Verum, ex analogia Doctrinæ et constanti Scholæ suffragio, certo conficitur istiusmodi Miracula nequaquam ab Ipso producta fuisse ex insita virtute humanæ suæ naturæ, quasi eorum causa efficiens fuisset; neque etiam illa a Christo effecta fuisse vi solius unionis *formaliter* ac *præcise* sumptæ, sed propter unionem per modum *consequentiæ* sive ex *virtute supernaturali* humanæ suæ naturæ collatæ ratione unionis, ita quidem ut illa virtus miraculorum, propter unionis hypostaticæ meritum, communicata fuerit benedictæ ejus Humanitati tanquam *causa instrumentali*, non vero tanquam *causæ principali* sive efficienti proprie dictæ. — Diximus primo

(1) *De civitate Dei*, L. X, c. 12. — Cf. etiam *Serm.* 316, in solemnitate S. Stephani.

(2) *In Ps.* 135. — (3) *In Ps.* 135. — (4) *In eumd. Ps.*

Christi Humanitatem propria et connaturali sua virtute non potuisse Miracula operari. Cujus asserti, ut monet Doctor eximius, non is sensus est, quod Christi humana natura atque in specie ejus anima miraculosos effectus non potuerit patrare sine ullo superioris causæ influxu. Nam cum omnimoda in agendo independentia unius causæ primæ incommunicabilis proprietas existat; hinc vel in suis connaturalibus operationibus, creata Christi Humanitas Deo sive causæ primæ subdebatur, nedum in supernaturalibus ac miraculosis independens suæ actionis principium existeret. « Hoc enim modo, ajt Suarez (ea nempe omnimoda independentia), non solum gratiam, vel supernaturalia opera, verum nec naturales ipsas actiones poterat Christus per humanitatem operari; quia ut supra dictum est et in illa operabatur *ut causa secunda*, indigens influxu primæ causæ (1). » Quare, quando dicimus Christum, qua hominem, miraculorum quæ patravit non fuisse causam principalem, hoc intelligimus de causa principali « eo modo quo causa secunda habet in *suo ordine*, sufficientem virtutem ad effectum producendum (2). » Dicimus, inquam, Christi humanitatem, donatam etiam condebito sibi causæ primæ concursu, non extitisse miraculorum *causam proprie efficientem* atque ab intrinseco proportionatam effectui, sed *ministerialem tantum ac instrumentalem*, quatenus a Verbo divino, cui in unitate personæ unita erat, ad ejusmodi operum effectionem assumeretur atque elevaretur. — Videlicet, quod fidei caput est, humana Christi natura a natura ejus divina in ipso composito theandrico suis essentialibus attributis per omnia distincta remansit. Proindeque, per unionem hypostaticam, attributa divinæ naturæ minime prædicanda de natura Christi humana in abstracto,

(1) *De Incarnatione*. D. 31, s. 4, n. 1.
(2) Suarez. *Ubi supra*.

sed in concreto, seu prout illa attenditur qua substantialiter subsistit in unitate Personæ Verbi, quod perpetuo Ecclesia docuit sive contra Eutychianos ac Monophysitas, sive contra Lutheranos (1). Inde vero consequitur Christi animam, qua talem, non habuisse attributum *omnipotentiæ* simpliciter. Potentia enim attributum est naturæ, imo vero ab ipsa natura qua activa tantum ratione condistinguitur, adeoque « sicut in Christo duplex natura post unionem remansit, ita et duplex potentia : ergo potentia humanitatis non est potentia divinitatis et consequenter nec potest esse omnipotentia simpliciter, quia hæc tantum est una et multiplicari non potest (2). » — Quoniam igitur opera quæ sunt supra vires creatorum ac finitorum agentium universim, *connaturaliter* fieri nequeunt nisi ab omnipotentis virtutis causa, inferre est Christum, qua hominem, non patrasse Miracula tanquam causam principalem ac proprie dictam efficientem, sed tanquam *causam ministerialem*. « Cum ergo, inquit Suarezius iterum, in omni opere miraculoso quasi abrogentur et rumpantur naturæ leges, nulla virtus creata potest hoc modo ut *principale* agens operari, sed solus ille qui est supra omnes leges naturæ creatæ (3). »

5. Quin imo, quod alterum assertum erat, neque vi solius unionis formaliter ac præcise sumptæ, hæc potestas miraculorum Christi humanitati obtigisse videtur. Nam, ut exponunt Durandus (4) et Suarez (5), si sermo sit de operibus ordinis physicis, humana Christi natura, ex ipsa unione nihil incrementi accepit *quantum ad naturalem agendi facultatem*. Ratio hujus asserti hæc est quod in

(1) Cf. Dion. Petavium. *De Incarnatione*. L. III, c. 6, L. X, c. 7.
(2) Suarez. *De Incarnat.* Q. 13, art. 4, Disp. 31, sect. I, n. 3.
(3) *De Incarnat.* ubi supra. Sect. IV, n. 2.
(4) *In mag. Sententiar.* Dist. 14, Q. 5.
(5) *De Incarnat.* Disp. 31, s. I, n. 4.

omni agente, proprium agendi principium *natura* est, *subsistentia* vero tantum ut conditio habetur ad operationem requisita. Atqui in Christo, humanitas retinuit omnes suas proprietates essentiales : ergo ejus humanitas vi unionis *formaliter* sumptæ non est reddita intrinsece potentior ad opera ordinis physici. Dico : *ad opera ordinis physici;* neque enim trahenda conclusio ista ad *opera ordinis moralis* cum in eis, ut Suarez etiam animadvertit (1), ipsa unio per se etiam considerata permultum influat atque dignitatem aliquam conferat *moralem* quæ habeat rationem *meriti* penes eum cujus sit opera istiusmodi æstimare. At secus est de operibus *physicis* quæ attenduntur secundum seipsa et secundum facultatem agentis, prouti in se respicitur. — Verum, etsi ex unione per se spectata non obtingat Christo hæc potestas ad efficienda miracula, nihilominus ipsa unio hypostatica vera ratio est *ob quam* illa Christi humanitati fuerit collata. Quod ipsum sequitur ex præcedentibus. Per se enim natura Christi humana non habet hanc virtutem ex se neque ex ipsa unione formaliter et præcise, ut modo dictum est : relinquitur proin ut illam acceperit *per virtutem aliquam supernaturalem* illi ratione ipsius suæ unionis cum Verbo obtingentis. Et sane, ut notat Doctor eximius, nulla forma melius et proprius poterat Christo potestatem miraculorum communicare quam Verbum Divinum et omnipotens quod cum ipsius humanitate substantialiter uniebatur. Dicendum itaque videtur ab ipsa persona Verbi, naturæ humanæ Christi in illa subsistenti supernaturalem illam virtutem fuisse communicatam. — Doctrinam hanc omnem sic complectitur S. Thomas : Quærens scilicet *utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu creaturarum*, animadvertit dupliciter considerari posse Christi animam. « Uno modo, ajt, secundum propriam naturam et vir-

(1) Suarez. *De Incarnat.* Disp. 31, sect. I, n. 4.

tutem, sive naturalem, sive gratuitam; alio modo prout est instrumentum Verbi sibi personaliter uniti. Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam et virtutem, potentiam habuit ad illos effectus faciendos qui sunt animæ convenientes; puta, ad gubernandum corpus et ad disponendos humanos actus et etiam ad illuminandum, per gratiam et scientiæ plenitudinem, omnes creaturas rationales ab ejus perfectione deficientes *per modum quo hoc est conveniens creaturæ rationali.* Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi sibi uniti, sic habuit *instrumentalem* virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad Incarnationis finem, qui est instaurare omnia, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt (1). »

6. Verum de ipsa hac Christi supernaturali potestate nonnulla a Theologis disputantur quæ breviter heic contrahemus, cum ad eos proprie spectent qui debita opera circa Incarnationem occupantur. Primo itaque inquirunt quandonam illa virtus miraculorum Christo concessa fuerit? Docent communiter Theologi quod illa in actu primo, et quoad ipsam facultatem, data fuerit Christo a primo instante Incarnationis. Cum enim illa virtus ad unionem fuerit consequens, existere debuit statim ac illa actu paracta fuit. Quoad usum vero et in actu suo secundo tum demum extitit, cum primo miraculum Christus patravit, sive id locum habuit dum aquam mutavit in vinum sub nuptiis Canæ, sive tunc publice hac potestate primum usus fuerit, quod sentire videtur D. Thomas (2). — Optime omnium Suarezius : « Sed quæres, inquit, quando fuerit hæc virtus data humanitati Christi? Respondetur breviter ipsam facultatem quasi in actu primo datam esse

(1) *Summ. Th.* III, q. 13, art. 2, in corp.
(2) *De Inc.* D. 31, s. 2, n. 5.

ab instanti Incarnationis, quia, ut dixi, est quasi proprietas consequens unionem... At vero quoad usum, non constat quando hac potestate uti incœperit. Quanquam enim Joh. 2, dicatur miraculum illud convertendi aquam in vinum fuisse initium signorum Jesu, tamen non inde certo constat illud fuisse omnino primum opus miraculosum quod in hac vita operatus est sed solum fuisse primum publicum miraculum quo cœpit gloriam suam manifestare et doctrinam suam confirmare (1). » — Alterum quæsitum est, quamdiu duratura sit in humana Christi natura hæc gratia miraculorum? Respondent illam duraturam esse semper, et nunquam ea privandam esse Christi humanitatem : cum enim unionem consequatur, cum illa perseverat in æternum. Idque vel eo verius quod in ea virtute nulla reperiatur cum beatudine essentiali repugnantia. Nam, ut post Angelicum docet Suarezius (2), omnes miraculosi effectus sive gratiæ gratis datæ dimanant a benedicta illa Christi humanitate. Ex eo enim quod Christus mediator factus fuerit Dei et hominum, constitutus est causa meritoria non tantum omnis gratiæ et justitiæ, sed etiam omnis virtutis supernaturalis hominibus deinceps concedendæ. — Demum quæritur num illa gratia miraculorum in Christo fuerit per modum habitus an per modum transeuntis actionis tantum? Ad quod dicendum gratiam miraculorum habuisse Christum ratione prorsus singulari ac nulli puræ creaturæ communicata, nempe *per modus habitus*. Etenim habitus nota caracteristica in eo est quod quis facultate utatur pro lubitu suo et arbitrio. Jamvero talem a Christo habitam fuisse miraculorum virtutem Scripturæ tradunt, ubi miracula ab ipsius arbitrio plane stetisse enarrant. Exemplum habes, inter sexcenta, in leproso homine acclamantem Salvatori :

(1) *Summ. Th.* III, q. 43, art. 3.

(2) *Ubi supra.* Disp. 31, sect. 2, n. 8. — Cf. etiam *Summ. Th.* 3 p. q. 52, a. 2, et q. 56. Videsis Cajetanum, in commentario ad h. l.

Domine, si vis; potes me mundare, cui respondet Christus : *Volo mundare* (1). Atque idem etiam videtur Scriptura significare ubi refert Christum antea orasse quam Lazarum a morte revocaret, *propter populum qui circumstat* (2), non utique propter se. — Et ratio theologica facile constat. Nam, quod sæpius diximus, virtus ista Christo concessa fuit vi supernaturalis charismatis quod ad unionem est consequutum. At unio hypostatica aliquid permanens dicit : ergo et ipsa hæc virtus miraculorum non transeuntem aliquam actionem sed *habitum* constituere dicenda est. « Hæc virtus miraculorum, ait Suarez, fuit in Christo homine permanenter *per modum habitus*, in quo alios Prophetas seu homines sanctos superavit; alii enim non habent hanc potestatem quasi habitualem, ut illa, cum voluerint, uti possint, sed solum *per modum cujusdam actionis transeuntis* interdum illam recipiunt... » Et assertum probat inprimis ex Concilio Ephesino dicente *carnem Christi esse vivificatricem propter unionem ad Verbum;* » in quibus verbis, inquit, satis significatur et unionem ad Verbum esse radicem hujus potestatis, et utrumque esse æque permanens in Christi humanitate. Secundo (probatur), quia voluntas Christi hominis, etiamsi humana sit, est tamen voluntas divinæ personæ, ergo oportuit ut semper esset efficax, quantum absolute vellet; atque adeo ut haberet potestatem operandi miracula suæ voluntati subjectam (3). » Hucusque ille.

7. Porro de illa Christi ad miraculosa opera virtute inquisitum etiam a veteribus fuit num dicenda sit *instrumentalis physica* ac potius *instrumentalis moralis*. Dicunt causalitatem physicam illam vi cujus agens effectum producit per *realem* et *physicum* influxum quem ipse proprie

(1) *Matth.* 8, 2-3. — (2) *Joh.* 11, 42.
(3) *De Incarn.* D. 31, s. 2, n. 3.

causat : vocant autem causalitatem moralem illam qua causa ministra sive ministerialis aliquo modo *movet causam principalem* ut ipsa effectum producat. — Equidem infinitus sim si argumenta proferre velim quæ pro utraque illa causalitate Christo vindicanda afferunt. Verum hæc enucleatius recensere proprie spectat ad illos qui de Incarnationis œconomia ex professo agunt. Ad hæc si quis æqua lance momenta opinantium æstimet, nullum, opinor, comperiet argumentum quod rem conficiat. Malo itaque lectorem remittere ad subindicatos auctores (1). Cæterum, quod unice ad rem nostram spectat, sive ponas cum Suarezio aliisque Christum hominem fuisse causam miraculorum physicam, sive sentias illum tantum fuisse causam eorum moralem, quidquid tenueris, semper verum manet causam miraculi principalem et efficientem formalem solum Deum existere.

8. Atque de Christi humanitate ad miraculosa opera habitudine hactenus. De Spiritualium autem creaturarum causalitate, post ea quæ antea de earum potestate dicta fuere vix aliquid restat heic animadvertendum. Videlicet illæ propria sua virtute nulla miracula theologice talia

(1) Cf. Suarez : *De mysteriis Vitæ Christi*. D. XXXI, s. III, n. 2. — Citantur ibidem *pro causalitate physica* : D. Thomas, Summ. Theol. P. III, q. 13, art. 1 et 3, ibid. q. 48, a. 6 et q. 52, art. 1 et 2, q. 62, art. 1, item in 1ª 2æ, q. 112, a. 1, ad 2. Affertur rursum Angelicus in 3º L. Sentent. Dist. 14. Q. unic. art. 4 et q. 6, *de Potentia*, art. 4 : item Cajetanus, in *Commentario* summæ ad citata loca, atque ad 1ªm 2æ, Q. 112, art. 1. Paludanus noster in 4, dist. 1, q. 1, n. 32, 51 et sequentibus. Soto, q. 3, art. 5; Capreolus q. 1, art. 3, ad argumenta contra 4 conclusionem et Dist. 13, q. 1, ad argumenta contra 4 conclusionem et in 3, dist. 25, q. unica, art. 3, ad argumenta contra 1 conclusionem; Ferrariensis, l. 3 cont. Gent. c. 56, Vega l. 7 in Tridentinum, c. 11. Driedo noster, Tract. 2 *de captivitate et redemptione generis humani*, c. 2, p. 3, a. 6. Valentia et Sylvius noster, ad præcitata Summæ loca. Bonacina : *de Incarnatione*, Disput. 2, q. 9, p. 3, alii. — Causalitatem autem *moralem* adstruunt Alexander Halensis, in Summa, p. q. 3, membro 3, art. 3; Altisiodorensis 3 p. Summæ, Tract. 1, c. 4, q. 2; S. Bonaventura, in 3, Dist. 13, a. 2, q. 3; Richardus a. S. Victore ibidem; Gabriel, ibidem ad dub. 3; Durandus, dist. 14, q. 4, in 4, et ibidem Scot. q. 1. Vasquez, ad part. 2 S. Thomæ Disput. 57, cap. 3; Platel *de Incarnatione*, c. 3. Becanus, *de Incarnatione Verbi*, c. 10, recentiores communissime quos sequitur etiam Andreas Spagni, in suo Theologico commentario *de miraculis*, Part. 6, art. 3.

patrare valent. Ad rem Suarez qui, cum de spiritibus agit, scribit : « Ipsa materia non eis ad nutum obedit... Unde solum possunt materiam transmutare (sc. commiscere, applicando activa passivis) secundum aliquam *naturalem* capacitatem, non vero secundum potentiam *obedientialem* (1). » Quæ nullam post dicta difficultatem retinent.

9. Sed licet nulla creatura miraculum proprie dictum ceu *causa principalis* efficere valeat, patet tam Angelos quam alias causas secundas universim in miraculosæ operationis *instrumentum* assumi posse. Nempe, potest Deus potestatem quæ sibi proprio jure competit ministerialiter ei creaturæ delegare quæ sibi placuerit, quemadmodum potest rex aliquis absolutus summam potestatem, pro casu peculiari, delegare ministro. Hoc ipsum de Angelis optime probat D. Thomas cujus verba de Spiritibus passim omnibus valent. « Dicendum, sic ille, quod Angeli supra naturalem suam potestatem quam habent agendi, possunt aliquid per donum gratiæ, *in quantum sunt divinæ virtutis ministri*. Et potest dici quod ad miracula facienda angeli tripliciter operantur, uno modo precibus impetrando, qui modus et hominibus et Angelis potest esse communis. Alius modus est secundum quod Angeli materiam disponunt sua naturali virtute ad hoc quod miraculum fiat : sicut dicitur quod in resurrectione colligent pulveres mortuorum qui divina virtute reducentur ad vitam. Sed hic modus proprius est Angelorum, nam humani spiritus, cum sint corporibus uniti in exteriora operari non possunt, nisi corpore mediante, ad quod sunt quodammodo naturaliter uniti. Tertius modus est, quod operentur etiam aliquid coagendo... Nec est mirum si per hunc modum spirituali creatura Deus *instrumentaliter* utitur ad faciendum mirabiles effectus in natura cor-

(1) *De Angelis*, L. IV, c. 39, n. 9.

porali, sicut corporali creatura utitur instrumentaliter ad spirituum justificationem, ut in sacramentis patet (1). » — Hæc D. Thomas de Angelorum potestate ad miracula efficienda quatenus divinæ operationis ministri assumuntur. Idem autem S. Doctor animadvertit hanc potestatem unice Angelis esse agnoscendam, minime vero malis spiritibus. « Ad hujusmodi quæ sunt supra facultatem naturæ ipsorum, ait, eis (dæmonibus) a Deo nulla datur facultas : quia cum operatio miraculosa sit quoddam testimonium divinæ virtutis et veritatis, si dæmonibus quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis haberetur (2). » — At vides in ea argumentatione agere Angelicum de Miraculo *quod a dæmone fieret ad erroris confirmationem.* Etenim secus esset si Deus per dæmonem miraculum produceret ad confirmandum aliquod fidei veræ caput, ad tentandam justorum constantiam vel ad aliquem alium finem se dignum. Posset enim Deus ad talem causam, pro absoluto suo dominio, uti dæmone sicuti rebus cæteris quibuslibet. Atque hoc ipsum non obscure tradit ipse angelicus præceptor. Nam in Summa sua theologica inquirens num dæmonum prophetæ quandoque vera prædicent, respondet ita nonnunquam fieri : « *quando prophetæ dæmonum*, inquit, *dæmonibus instruuntur, aliqua vera prædicant* (3). » Itaque, D. Thoma auctore, dæmones instrumentaliter prophetare possunt et vera hominibus annuntiare. A pari proinde miraculorum instrumenta esse possunt. Ita etiam magistrum suum interpretatus est Sylvius noster. « Absolute loquendo fieri potest, ait, ut Deus ministerio dæmonum utatur in miraculis patrandis, præsertim circa punitiones improborum : quomodo quidam existimant

(1) Op. *de Potentia.* Q. VI, *de Miraculis* art. 4, in corp.
(2) *De Potentia.* Q. VI, art. 5.
(3) 2ª 2æ, q. 172, a. 6 et 7.

plagas Ægypti fuisse a dæmonibus illatas (1). » Unde minus accurate docent nonnulli nullatenus dæmones instrumentalem Miraculorum causam existere posse. — Patet tamen casum hunc fere metaphysicum esse.

10. Porro quod dictum est de Spiritibus, posse illos divinitus assumi tanquam ministros et *causas instrumentales* miraculorum, patet illud asseri etiam debere de creaturis sine exceptione omnibus, idque propter eamdem rationem, supremum videlicet et absolutum *primæ causæ in secundas dominium*. Huic enim correspondet in istis passiva illa et radicalis potentia, vi cujus adhiberi a Deo possunt tanquam instrumenta ejus omnipotentiæ. — Quæ quidem conclusio de hominibus etiam malis ac peccatoribus intelligenda est. Sane subduntur et ii supremo Dei dominio, quare Deus in omnem usum eos abhibere potest qui nullam secum repugnantiam trahit. Jamvero in casu repugnantia nulla existere potest. Nam miraculorum operatio ex iis gratiis est quæ dicuntur *gratis datæ*. Atqui gratiæ hujusmodi conceduntur per se ad commune et publicum Ecclesiæ bonum, secundum illud Apostoli : *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* (2). Hinc opera quibus continentur Gratiæ gratis datæ haud spectant proprie hominis voluntatem sed formaliter terminantur vel ad intellectum, ut de Prophetiæ dono animadvertit S. Thomas, vel ad aliquem physicum effectum, ut idem Angelicus ex S. Hieronymo declarat (3), et locum maxime habet in curationum charismate, linguis, interpretatione cæterisque id genus miraculis. Non est igitur virtus miraculorum ab intrinseco connexa cum *gratia gratum faciente* adeoque in peccatore homine consistere potest.

(1) *Commentar. in Sum.* l. c.
(2) Ep. I *ad cor.* c. 12, 4, 7.
(3) *Summ. Th.* 2a 2æ, Q. 171, art. 1 et Q. 172, art. 4.

11. Sed quo melius etiam intelligatur quonam pacto homo peccator instrumentum miraculi esse possit, nota in opere miraculoso duplicem causam attendi : *principalem* nimirum ac *instrumentalem*. Ex hoc autem est, ut in eo operum genere duplex etiam moralitas adsit, pro duplici eorum principio; atque ita fieri potest ut actus moraliter malus sit, si consideretur causa instrumentalis; rectus tamen et bonus sit, si attendatur causa ejus principalis sive finis quem ista in effectu intendit. Verum, cum causa actus ea proprie sit quæ principalis existit, atque hæc semper rectissima in casu dici debeat; hinc per se non tollitur objectiva operis bonitas ex honestatis defectu in Thaumaturgo. Illud quidem vel eo verius est quod, in ordine causalitatis instrumentalis, circumstantia *Quis* non ita actui intrinseca est, ut ipsum essentialiter constituat, sed potius ei superveniat tanquam *conditio sine qua non*. Nempe causa instrumentalis Miraculi, sive persona operantis, non est censenda *principium quod* operis sed magis *principium quo* sive medium quo causa princeps utitur ad operationem. Quare personæ operantis sive thaumaturgi improbitas non inficit actum *intrinsece*, sed tantum se habet ut *extrinsecum* ejus adjunctum. Atque inde est ut doceant theologi Thaumaturgum charismate accepto abuti posse ad perversos fines, dummodo ii miraculo extrinseci sint, ut si quis, v. g., miraculorum operationem exerceret ad quæstum vel vanam gloriam, et aliunde periculum atque error certo a prudentibus vitari posset. — Equidem nonnulli huic doctrinæ opponunt locum Scripturæ quo refertur cæcum natum respondisse ad Pharisæos, cum Christum pro peccatore traducerent : *Deus peccatores non audit et si non esset hic a Deo non poterat facere quidquam*, itemque Judæos conclamasse : *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere* (1)! Sed hæc difficultatem

(1) *Joh.* 9, 31.

non habent. Certe dici cum D. Thoma (1) potest, in eo loco, scripturas *referre* sensa hominum qui de communiter contingentibus judicant, non positive sententiam de re ipsa ferre. Vel etiam sensus illius loci sit, ut placet Bellarmino (2) et Maldonato (3), per malos fieri non posse Miracula quibus approbetur eorum improbitas. — Cæterum hæc omnia dicta sint pro absoluta rei consideratione. Fatendum namque ordinarie Deum uti instrumentis natura sua ad fines quos ipse intendit dispositis. Quare de communi jure requirunt in Thaumaturgo vitæ sanctitatem. Idque potiori quodam titulo exposcitur, si sermo sit de virtute miraculorum quam minister *ad singularem aliquem actum* a Deo recepit (ut jam obtinet in præsenti Providentia), non vero *per modum habitus*. Nam regulariter præsumendum non est, Deum concessurum esse alicui potestatem miraculorum, ad singularem aliquem actum, si prævideat hominem hac ipsa virtute fore abusurum. Quare morali certitudine tanquam falsus vel certe tanquam suspectus haberi debet effectus, pro miraculoso allegatus, qui adjunctis vel fine aliquid inhonesti secum habeat. — Quæ modo diximus traditioni constant. Scriptura virtutem miraculorum procul dubio agnoscit malis : *Multi mihi dicent in illa die : Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus et dæmones ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et ego confitebor illis quia nunquam novi vos; discedite a me, omnes qui operamini inquitatem* (4). Equidem reponi posset sermonem heic esse de mirabilibus quibusdam Spirituum operibus, non de veri nominis miraculis. At respondere pronum sit verba Christi generalia prorsus esse; ad hæc signa de quibus sermonem habet dici sequuta *ad ipsius*

(1) *Op de potentia*, q. 6, art. 9 ad 5.
(2) *De bonis operibus in part.* c. 6.
(3) *Comm. in Joh.* ad. h. l.
(4) *Matth.* 7, 22.

Christi nominis invocationem. Quapropter communis Patrum et interpretum sententia est, agi in hoc loco de miraculis proprie dictis. — Huc etiam referunt verba Pauli : *Si linguis hominum loquar et angelorum... Si habuero prophetiam, si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum* (1). Neque dicas fingi ab Apostolo impossibilem hypothesim, ut quando dicit : *Sed licet nos aut angelus de cœlo evangelizaverit vobis, anathema sit* (2). Nam inter hæc nulla paritas est. Sane ab Angelo falsitatem doceri repugnat. At contra minime repugnat aliquem charismata *gratis data* habere et sanctitate carere. « Nulla, ut cum Estio nostro loquar, repugnantia est aliquem linguarum aut prophetiæ dono aut notitia mysteriorum atque scientia excellere (quæ ab Apostolo superius nominata sunt), aut in egenos esse profusum aut corpus suum flammis tradere pro Christi nomine, quæ postea nominantur, *et non habere caritatem ;* ita nihil repugnat ex ejusdem Apostoli mente, ut quis habeat *fidem qua montes transferat* et caritatem non habeat (3). » Ex Patribus satis fuerit audivisse Hieronymum : « Virtutes facere interdum non est ejus meriti qui operatur, sed vel invocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, et utilitatem eorum qui vident et audiunt conceditur (4). » — Angelicus autem Doctor de Prophetia scribit : « Non autem ordinatur directe ad hoc quod affectus ipsius prophetæ conjungatur Deo, ad quod ordinatur charitas. Et ideo prophetia posset esse sine bonitate morum quantum ad proprium radicem hujus bonitatis (5). » At idem dici debet de miraculorum

1) 1 *ad Cor.* c. 13 ; 2.
(2) *Ad Galat.* 1 ; 8.
3) *Comment. in Ep. Paul.* 1, Cor. 13.
(4) *In* c. 7, *Matth.* v. 22. — Cf. Joh. Chrys. *Hom.* 13 in Joh. c. 13. S. Greg. M. *Moralium*, L. 20, c. 8.
(5) *Summ. Theol.* 2 2æ, Q. 172, art. 4 et Q. 178. art. 2.

virtute, quæ cum Prophetia convenit in ratione gratiæ gratis datæ. — Suarez vero ostensurus Miraculum non requirere in subjecto sanctitatem ita scribit: « Præterea in operatione virtutum seu Miraculorum id patet; quia in Miraculo Deus est qui principaliter operatur; potest autem Deus uti instrumento quo voluerit, etiamsi homo sit peccator... vel infidelis, sicut utitur homine peccatore vel infideli Sacramentum Baptismi ministrando (1). »

12. Neque secus ad miraculi effectionem uti potest Deus ministerio hominis *infidelis* vel *hæretici*. Ab una enim parte, subjiciuntur et isti supremæ causæ dominio : aliunde vero in talibus operibus fieri potest ut nulla connexio existat inter prodigium et errorem, ut cum agitur de miraculo curationis, de prophetia vel alio quopiam portento quod in casu a nullo prudente haberi potest tanquam falsæ doctrinæ argumentum; vel cum signo comprobatur naturalis honestas morum vel etiam fidei veræ caput. Quare nulla repugnantia in eo sit ut infidelis vel hæreticus in miraculi instrumentum quandoque assumatur. — Hanc autem conclusionem apud plures firmari video ex notissima prophetia Balaami de futura Hebræorum sorte et Messiæ adventu (2); item ex Caiphæ de Christo pro gente morituro vaticinio (3). Verum nonnisi probabile sit argumentum quod ex illa Balaami prædictione sumunt, cum Patres de qualitate istius prophetæ non satis inter se conveniant, aliis cum pro vero propheta, aliis pro dæmonis mago habentibus (4). Quod vero Caïphas dicitur

(1) III Proleg. de Grat, c. 4, n. 11. — Cf. etiam inter recentiores : Gonzales *de Reliquis et veneratione Sanctorum*, ad Cap. *Audivimus*, n. 9; Theophil. Raynaud, *Operum* Tom. 15, in *Heteroclita Spiritualia*, nn. 12 sqq. Contelorius, *de Canonizatione Sanctorum*, c. 20, n. 5 et sqq. et Benedictus XIV, in opere *de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, L. III, c. 44, n. 9 et L. IV, c. 3, n. 15.

(2) *Numer.* c. c. 23, 24.

(3) *Joh.* 11, 49.

(4) Cf. *Diction. Encycloped. Theol.*, auspiciis Welte et Wetzer ad v. Balaam.

prophetasse, neque hoc etiam peremptorium sit ob laxum nimis vocis sensum. Quidquid vero sit ea de re, assertum firmat concors scholæ testimonium. Ita Angelicus plane pro divino miraculo habet illud quod de Vestali Romana fertur, quæ in argumentum servatæ pudicitæ Tiberis aquam in vase perforato vel cribro hausit continuitque; cum, ut ait S. Doctor, nequaquam absurdum sit dicere in commendationem castitatis Deum verum hujusmodi miraculum fecisse (1). Consentit Suarez : Is cum Balaami factum retulisset, sic pergit : « Ex quo loco ulterius potest colligi, non solum *sine gratia gratum faciente*, sed etiam *sine fide* posse aliquem prophetare vel Miracula facere vel dæmones expellere in honorem nominis Christi (2). » Similiter Estius : « Non solum a malis, verum etiam ab Hæreticis et Schismaticis, imo et a Paganis fieri possunt *vera Miracula*, Deo per ea veritatem aliquam ad fidem aut mores pertinentia approbante (3). » Item Castaldus : « Possibile est, ait, Deum supernaturaliter concurrere ad justam defensionem vel ad comprobandam veritatem catholicam (4). » Mitto alios.

13. De communi doctrina, quod spectat ministerialem infidelium et Hæreticorum potestatem ad Miraculosas operitiones, hactenus. Verum, fas mihi non sit hanc quæstionem relinquere, quin nonnulla observem de vero dissidii sensu, quem auctores haud pauci in re nostra extitisse asserunt tum apud Patres, tum etiam apud recentiores nonnullos Theologos. — Nimirum præter antilogias saltem apparentes quas in ipsis Patrum operibus de præsenti argumento occurere modo notabimus (5), disputandi etiam

(1) Op. *de potentia*. Q. 6, *de Miraculis*, a. 5, ad 5. — Videsis etiam *Summ. Th.* 2ª, 2æ, Q. 178, a. 2.

(2) *Prolegomen.* III, *de Gratia*. c. 4, n. 9.

(3) *In mag. sent.* L. II, Dist. 7, § 20.

(4) *De potestate Angelica*. T. I, Dist. 2, art. 3.

5 Cf. *Prolegomena* Cl. D. Massuetii, ex Maurinorum familia, ad opera S. Irenæi.

ansam de illorum mente attulit, sæculo decimæ octavo, lis ista quæ inter Gallos coorta fuit, circa curationes quæ ad sepulchrum famosi Jansenistæ Paris, peragi ferebantur. Hisce enim rumoribus abusa fallax Appellantium secta, signorum suffragio suæ doctrinæ veritatem probari magno clamore jactitabant. Reposuere catholici scriptores, concessa etiam factorum veritate, nihil inde esse cur multum janseniani gloriarentur : signa quippe vel dæmonis virtute nonnumquam contingere neque doctrinam, ab illa ecclesia proscriptam cui vera miracula aderant, ullatenus commendari ex stupendis hisce quæ circumferebantur sanationibus. Responsum vero a Jansenianis, maximo animorum æstu, constantem Patrum, ac traditionis sensum fuisse, Hæreticos nullo unquam casu Miracula producere potuisse : proinde si quis avitæ doctrinæ honor habendus, indubio argumento ex prodigiis istiusmodi ac sanationibus comprobatam Apellantium fidem esse. Quæ concertationes scriptis ac libellis compluribus ab utraque parte agitatæ fuerunt. Expedit itaque quam breviter possimus, mentem Patrum in præsenti negotio elucidare : quod ut melius agamus, recolenda præcipua veterum testimonia quæ utrobique huc allegantur. — Qui Hæreticis absolute negant possibilitatem miracula quælibet edendi afferunt in primis Irenæum qui de Simonis et Carpocratis discipulis notat, nulla ab eis miracula fieri posse. « Super hæc arguentur, ait ille, qui sunt a Simone et Carpocrate, et si qui alii, virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque ut benefici hominibus facientes ea faciant, sed in perniciem et errorem per magicas elusiones et universa fraude... Nec enim possunt cæcis donare visum neque surdis auditum, neque omnes dæmones effugare præter eos qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt, neque debiles aut claudos aut paralyticos curare (1). » Hactenus Irenæus cujus verbis

(1) Lib. 2, *adv. Hær. c.* 37.

in primis gloriati sunt Appellantes. Similiter de absoluta Hæreticorum ad miraculosa opera impotentia opinatum esse dicunt pseudo-Clementem qui adducit B. Petrum sic respondentem Simoni mago. « Ista ergo signa quæ ad salutem hominum prosunt et aliquid boni hominibus conferunt *malignus* facere non potest, nisi in fine mundi tantum. Tunc enim admiscere ei concedetur aliqua etiam de dextris signis, id est ut vel dæmones fuget, vel ægritudines sanet (1). » Haud secus auctor *Responsionum ad Quæstiones Orthodoxorum*. Is quippe interroganti cur charisma miraculorum quod christiani in suæ Religionis argumentum adducunt apud Hæreticos etiam reperiatur, sic respondet : « Si quidem per hæreticos vivos aut mortuos divina gratia illis fungeretur (miraculis), haberet ea res non absurdam dubitationem : sed qui divina miracula in Ecclesiis edunt, sancti sunt Apostoli et Prophetæ et martyres quorum divinis operibus testatur Deus illorum esse Ecclesias per quos miracula perficiuntur, hoc est Orthodoxorum (2). » Quin in ipso concilio œcumenico VI cum Polychronius Monothelita mortuum resuscitare conaretur, nec exitum res haberet, Patres unanimiter exclamarunt, illud mirari neminem debere; fieri enim non posse ut qui contra Spiritum sanctum blasphemaret miraculo errorem firmaret (3). — Sane hisce Patrum locis videtur hæreticis miraculorum potestas plane abjudicari. Verum ex opposito, plurimi Patres sunt qui docere videntur miracula ab hæreticis fieri posse. Ex pluribus citabo præcipuos tantum. Sic Tertullianus recipere videtur hæreticorum miracula, asserit tamen ne flocci quidem ea esse facienda : « Si quidem, inquit, edicens (Christus) multos venturos et signa facturos, et

(1) L. 3 *Recognitionum*, c. 60. — (2) *Quæst.* 100.

(3) Cf. ea de re præter Historias conciliorum librum anonymum : *Traité dogmatique sur les faux miracles du temps*. Paris 1737, p. 257, quod opus in præsenti argumento facile princeps haberi potest.

virtutes magnas edituros, aversionem etiam electorum, nec ideo tamen admittendos, temerariam signorum et virtutum fidem ostendit, ut etiam apud pseudo-Christos facillimarum (1). » Nec secus Cyprianus qui de hæretico quodam dicit. « Sic se Christianum profitetur, quomodo et Christum diabolus sæpe mentitur... Sicut ille Christus non est, quamvis fallat in nomine illius, ita nec Christianus videri potest qui non permanet in Evangelii ejus et fidei veritate, nam et prophetare, et dæmonia excludere et virtutes magnas in terris facere, sublimis utique et admirabilis res est, non tamen regnum cæleste consequitur quisquis in his omnibus invenitur, nisi justi et recti itineris observatione gradiatur (2). » Pariter Hæreticorum portenta agnoscit Origenes adversus Celsum disputans. « Præterea fiebant ubique, saltem in multis locis, miracula. Celsus ipse memorat in consequentibus Æsculapium sanantem et de rebus futuris responsa dantem in urbibus omnibus quæ sacræ sibi erant, exempli causa, iceæ Tricæ, Epidauri, Coo, Pergami : Aristæam Proconesum, Clazomenium quemdam, et Cleomedem Astypalensem (3). » Et magnus Augustinus : « Nemo ergo vobis fabulas vendat, scribit : et Pontius fecit miraculum, et Donatus oravit et respondit ei Deus de cœlo. Primo falluntur aut fallunt. Postremo fac illum montes transferre : contra istos, ut sic loquar, Mirabiliarios cautum me fecit Deus meus dicens : *In novissimis temporibus exsurgent pseudo Prophetæ facientes signa et portenta ut in errorem inducant si fieri potest, etiam electos* (4). Et alibi : « Quod ante dicit Pseudo-Prophetas multa signa et prodigia facturos, ita ut fallant, si fieri potest, etiam electos, admonet utique ut intelligamus quædam miracula etiam sceleratos ho-

(1) *L. 3 cont. Marcionem,* c. 3, n. 18.
(2) *Lib. de Unit. Eccles.*
(3) *Cont. Cels.* L. III, n. 3.
(4) *Exposit. in Johann.* 14. c. 3.

mines facere qualia Sancti facere non possunt. Ita nonnunquam vel schismatici et hæretici per nomen Christi exigunt aliquid a potestatibus quibus honori Christi cedere indictum est (1). » Concinit Anastasius Sinaïta. Narrat quippe ille scriptor vidisse se duo signa patrata per Episcopum ex secta Macedonianorum. « Fui enim, inquit, et aspexi Hæreticum Cyzici quæ est civitas Macedonianorum qui oleam arborem ex loco in quo stabat, in alium locum precationis prætextu transtulit adumbraturam fenestram inanis eorum auditorii. — Et cum aliquis fœnerator vexaret mulierem viduam propter æs alienum mariti et ab ea exigeret non quod debebat, sed longe amplius; hoc cum rescivisset prædictus episcopus hæreticus ejus marito nondum sepulto, cum adhuc efferretur, detinuit lectum in quo jacebat et effecit ut loqueretur et diceret, quantum deberet maritus suo creditori. Hoc autem hæretico mortuo, in ejus quoque monumento, effecta sunt diversa signa et spectra. Propterea ergo non oportet quemlibet qui signa facit, tanquam sanctum admittere sed examinare, convenienter ei qui dicit : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus num ex Deo sint.* Et dicit apostolus : *Tales enim Pseudo-Apostoli operarii dolosi transfigurati in apostolos Domini, neque mirum, ipse enim Satanas transfiguratur in Angelum lucis* (2). Eadem reperies apud SS. Johannem Chrysostomum (3), Epiphanium (4), Isidorum Hispalensem (5), aliosque Patres qui omnes hæreticis agnoscunt potestatem signa ac prodigia patrandi, idque etiam in suorum errorum confirmationem. — Neque minus declaratur Patrum mens de possibilitate portento-

(1) *Lib.* 83. *Quæst.* Q. 79.
(2) *Lib.* 154. *Quæst. et Resp.* Q. 23.
(3) *Hom.* 8 *in Ep. ad Colossenses.*
(4) *Hæres.* 30, n. 7.
(5) *De summo bono.* L. I. C. 25.

rum quæ ab hæreticis fiant ex ratione qua respondent rei christianæ adversariis, ubi isti Christi miracula dæmonum virtuti adscribebant. Nimirum, minime negant Patres ab infideli etiam homine fieri prodigia posse dæmonum ope, quod si asseruissent, certe secum pugnassent, ut ex supra citatis locis patere potest. Verum, ipsa prodigia quæ Christus effecit signis Gentilium et hæreticorum plerumque comparant atque varia ratione evincunt Christi miracula esse, ut cum Augustino loquar, *majora, certiora, clariora* (1) : vel, argumento *ad hominem*, divinitatem non ex miraculis simpliciter in se spectatis, sed prout cum prophetiis connexa erant inferebant, ut egere Origenes (2) Tertullianus (3), Augustinus (4), etc. Cernis Patres vel sua ratiocinandi methodo implicite agnovisse possibilitatem prodigiorum et miraculorum quæ ab infidelibus et hæreticis patrentur.

14. Quanam igitur ratione ea Patrum testimonia intelligenda sunt quæ priore loco retulimus, quibus tantopere ad causæ suæ probationem olim abusi sunt Appellantes et quibus etiamnum abutuntur increduli ad elevandam vim miraculi probativam? Respondemus : Patres quos priore loco allegavimus nequaquam negare hæreticis potestatem mirabilia portenta edendi, sed unice eis abjudicare facultatem patrandi vera ac proprie dicta miracula quæ in confirmationem erroris cederent. Sane si quis tum citata Patrum loca, tum contextam orationem recognoscat, talem eorum mentem fuisse facile deprehendet. Procul dubio nihil aliud sensisse auctorem Responsorum ad Quæstiones Orthodoxorum absque negotio eviceris. Nam idem ille auctor qui hæreticis facultatem negat *divina miracula* patrandi mox eis

(1) L. I, *adv. Gent.* c. 11 et 18. — Cf. etiam citatum Anonymum, c. II, art. II.
(2) L. III, *cont. Cels.* c. 5.
(3) *Adv. Jud.* cap. ult.
(4) *Cont. Faust.* L. 13, c. 14.

agnoscit potestatem *mirabilia opera*, dæmonium opera, efficiendi : « Si in hæreticorum Ecclesiis, inquit, miracula fiunt ut morborum sanationes, et frugum et olei scaturigines, nonne necesse est illos hisce rebus confirmari in errore? — Quemadmodum, reponit, sol oritur in malos et in bonos, pluitque super justos et injustos, id non est ejusmodi ut malos et injustos confirmet in malitia et injustitia, sed præparet ad justas pœnas : ita non confirmat hæreticos in errore quod quædam miracula fiant in eis (1). » Idem dixeris de pseudo-Clemente. Scilicet, ipso initio capitis 60, recipit quidem Simonis magi portenta sed eis suam inutilitatem et scurilem faciem exprobat (2). Nec secus Irenæus. Is enim, tum citato loco tum alibi distinguit inter signa magorum artibus patrata et vera miracula (3). Equidem, non diffiteor, tum pseudo-Clemens, tum Irenæus negant hæreticis facultatem patrandi plura *sanationis* signa quæ Patres insequentes illis tribuunt. Verum notes utrumque illum scriptorem hoc unice de sui temporis hæreticis asseruisse, nequaquam vero regulam descripsisse singulis temporibus applicandam. Porro facile fuerit judicare, primis Ecclesiæ initiis multo magis restrictam fuisse Hæreticorum potestatem ad mirabilia sua opera quam postea fuit. Cavendum enim erat ne fidei hostes operum suorum splendore rei Christianæ irreparabile detrimentum inferrent (4). — At vero nulla etiam

(1) *Resp. ad quæst. Orthod.* Q. V.

(2) *Recognit.* L. III, passim, maxime c. 50, 60 sqq.

(3) *Adv. hæres,* L. II, c. 51, n. 2 et 3. — C. 32, n. 3 et 4. Cf. D. Massuet, Proleg. in opera S. Irenæi, Diss. III, n. 39.

(4) Ad rem præfatus anonymus : « Nous avons d'aussi fortes raisons pour n'admettre point de faux Miracles de la part des Hérétiques dans les premiers siècles de l'Eglise, c'est-à-dire, pendant tout le temps que le don des miracles y a subsisté; je crois même pouvoir établir évidemment ce fait sur l'écriture et sur la tradition. L'écriture nous apprend, que le don des miracles devait être l'apanage de la foi, et la marque distinctive des premiers croyants, d'avec ceux qui ne croiraient pas, c'est J.-C. lui-même qui nous l'affirme : *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, etc.* Pour que cette marque fut sensible et dis-

difficultas oriri potest ex allegata sententia Patrum Concilii VI. Nam quod Polychronio monacho negarunt facultatem miracula patrandi eo quod hæreticus esset : hoc procul dubio ex ipsius eventus adjunctis optime explicatur. Cum enim, *in Monothelitarum erroris confirmationem*, Polychronius pollicitus fuisset mortuum a se exsuscitatum iri, hoc ceu impossibile Patres rejecere : agebatur quippe de miraculo *stricte tali*, quod in erroris confirmationem directe cederet, cum maximo fidelium detrimento. Tale vero miraculum Hæretico in casu permittendum non fore Patres summo jure pronuntiarunt, qua in re unanimi ecclesiæ Doctorum opinioni consentiebant, uti postea videbimus (1). Sane, si hæc consi-

tincte, il ne convenait pas qu'elle pût être contrefaite par ceux qui se disant chrétiens, ne laissaient pas de corrompre ou d'altérer la doctrine de Jésus-Christ. Les Miracles en second lieu, suivant les remarques des Pères, étaient nécessaires à l'établissement de l'église et à la propagation de l'évangile, ils étaient destinés à convaincre les peuples de la sainteté de notre religion et de toute la puissance de son auteur : en un mot c'était alors le temps que la doctrine devait être prouvée par les Miracles ; c'était par cette voie selon les pères, que l'autorité de l'église devait s'établir et s'accroître ; et pour toutes ces raisons il ne fallait pas que ceux qui se paraient faussement du nom de chrétiens, pussent opérer de faux miracles en confirmation de l'erreur : les fidèles auraient pu en être ébranlés, et il était de la sagesse et de la bonté de Dieu, d'épargner une telle tentation à l'église naissante. » *Traité dogm. sur les faux miracles du temps*, p. 86.

(1) Apposite auctor mox citatus de illo hæretico contra Appellantes scribit : « Il (monothelita) ne ressuscita point le mort comme il l'avait fait espérer, personne n'en sera surpris, et nous convenons comme les autres qu'il ne le pouvait pas ; aussi n'est ce point sur quoi l'on nous arrête, mais l'on insiste beaucoup sur la réflexion que fit le Concile à l'occasion de ce miracle manqué, *comme si*, disent les Pères, *il était possible à un homme qui blasphème contre Dieu, de faire des miracles ;* donc disent nos adversaires, voilà un Concile général qui décide que les hérétiques ne peuvent en faire... Le Concile dit que les hérétiques ne peuvent faire des miracles *en confirmation de l'erreur*, mais de quels miracles parle-t-il ? Sans doute, de miracles réels et divins ; non-seulement le mot, *virtutes*, le dit ; mais le sujet et la matière dont il s'agit le demandent : le Concile nie qu'un hérétique puisse faire des miracles, par opposition à l'offre et à l'effort inutile qu'avait fait le monothélite d'en opposer un qui devait être et réel et divin, puisqu'il s'agissait de ressusciter un mort. Nier qu'il puisse faire de tels miracles, est-ce lui contester le pouvoir d'en faire de diaboliques en confirmation de l'erreur ? Le Concile d'ailleurs aurait-il pu dénier ce pouvoir à un hérétique, à un blasphémateur, sans donner atteinte aux prédictions de Jésus-Christ et à celles concernant le dernier antechrist, qui sera le plus grand des blasphémateurs, et qui

deres, facile Patres Patribus conciliaveris. Hæreticis miracula *stricte talia* permittenda fore *in confirmationem erroris*, itemque portenta et mirabilia opera hæreticorum tum magnitudine tum ethico charactere comparari posse cum christianorum miraculis negant universi : nequaquam vero hæreticis abjudicant *mirabilia* præstigia spirituum malorum virtuti proportionata. Quod si apertius Patres quos secundo loco citavimus, potestatem infidelium agnoscant ad mira sua præstigia in erroris etiam comprobationem producenda, hoc inde est quod, progrediente jam tempore, expeditior fuit dæmonis facultas et liberior quam sub ipsis ecclesiæ initiis, quibus vixere Patres qui priori loco allati sunt.

15. Hæc de apparenti Patrum dissidio. Vix autem loquendum de satis consimili inter Theologos nonnullos discrimine. Quippe nonnulli gravis notæ Doctores fuisse perhibentur qui miraculorum potestatem infidelibus et hæreticis videantur abnegasse. Inter eos potissimum citari consueverunt Auctor *Tractatus de Canonizatione sanctorum ad Cardinalem montis Regalis*, Part. 3, c. 5; Malvenda, in suo opere *de Antechristo*, L. 7, c. 15; Theophylus Raynaud, in *Theologia naturali*, Disput. 4, Quæst. 4, art. 6 et omnium maxime Em. de Lauræa, *in commentario ad 3 librum sententiarum*, Disput 20, art. 18 *de Miraculis*. — Verum allegatus dissensus fere in verbis hæret nec ægre Doctores illi invicem conciliantur. Namque, ubi Miracula hæreticorum præstigiis accensenda jubent, eo quod ab ipsis opera vere supernaturalia peragi nequeant, aut de fieri solitis loquuntur, aut agunt de mirandis operibus ab hæreticis in confirmationem erroneæ suæ doctrinæ peractis, de quibus profecto verificatur eorum

pourtant sera de tous les suppôts de satan, celui qui fera de plus grands miracles ? C'est ainsi qu'en suivant la même route que nous ont frayée nos adversaires, nous leur prouvons que le fait de Polychronius, et la réflexion du Concile sur ce fait, ne prouve pas plus contre nous, qu'il prouve contre eux. — *Op. cit.* p. 238.

assertio, cum nequeat Deus vero miraculo cooperari quod inevitabili sorte cederet in probationem falsitatis. — Porro ita esse Auctores illos intelligendos, patere potest vel ex Em. de Lauræa qui fusius rem hanc nostram, citato loco, investigat. Scilicet, ille miraculorum operationem hæreticis potissimum denegat, eo quod ad miracula producenda, opus sit fide supernaturali seu firmissimo mentis assensu in divina promissa. At, ut quisque videt, verissime hæc statuuntur de virtute miraculorum quæ radicatur in supernaturalis Fidei charismate, atque ejusdem fidei merces quædam est, qui quidem ordinarius modus est quo ejusmodi virtus exerceri consuevit (1). Sed præter hunc casum, theoretice saltem, considerandus etiam alius est. Potestas enim miraculorum gratia gratis data existit atque adeo, per se, nullam connexionem essentialem dicit neque cum fide neque cum virtute supernaturali ulla. Allato igitur argumento minime probaveris miracula ab hæreticis fieri non posse — Cæterum, haud nimis absolute accipienda esse verba Em. de Lauræa, ex aliis argumentis quibus ille ibidem pugnat, deduxeris. Nempe ad sententiam suadendam asserit miracula incredulorum et hæreticorum excedere *ordinariam* Dei providentiam, atque, ut alias gratias gratis datas, communicari *fere* membris ecclesiæ Christi. Profecto idem ultro agnoscimus : sed præcise quæstio est num, certis quibusdam casibus et *de jure*, increduli et hæretici nequeant a Deo assumi ad miracula facienda, quod fieri non posse nemo probabit; imo contrarium evincunt argumenta tum intrinseca tum extrinseca supra allata. Imo, cum Em. Auctor afferat in re illa argumenta quæ valent tantum de *Providentia*

(1) Cf. Em. de Lugo. *De Virtute Fidei divinæ*, D. VIII, s. II, n. 27, ubi ex professo agit de supernaturali illo charismate quod *Fidem miraculorum* Theologi vocant.

consueta, patet ipsum implicite fateri illud quandoque saltem et extraordinarie fieri posse. Ex iis porro quæ de Em. de Lauræa sententia diximus, cæterorum etiam mentem recognoscere licet, cum vel iisdem quibus ipse argumentis utantur, vel assertum fere sine probatione proferant, vel demum manifesto agant de miraculis ad erroris confirmationem prolatis, ut ex citatis eorum locis videre est.

16. Porro circa rationem instrumentalis puræ creaturæ ad miraculorum effectionem causalitatis, idem inquisitum a veteribus fuit quod de Christi humana natura : utrum *physica* an *moralis* illa dicenda sit. Quod autem supra monui, nostrâ sententiâ, argumentum nullum occurrere quod quæstionem dirimat, illud ingenue iterum profitebor : ac certe me non pudebit cum Augustino dixisse quod ratio causalitatis creaturæ formaliter competens, ubi ceu ministra miraculorum divinitus assumitur, *nullo modo comprehendi a mortalibus possit* (1). Si tamen opinandum esset, mallem cum *moralis influxus* patronis facere : hic enim ad miraculorum effectionem prorsus sufficit, neque in supernaturali et gratuito ordine aliquid facile admittendum quod peremptoriis rationibus non evincatur. Quidquid vero recipiatur in re satis incerta, Doctrina de Deo *unica miraculoram causa effectrice* usque salva manet. Ut enim animadvertit Suarez, « si aliquando Deus utatur Angelo ut instrumento *physico* ad aliquod miraculum, jam non operatur per naturalem potentiam, sed *per obedientialem* et in illo Deus *principaliter* operatur (2). » Idem docet Benedictus atque addit jura divinæ efficientiæ in opinione influxus physici sarta tecta prorsus servari, eo modo quo vera remanet causalitas Dei uti auctoris Gratiæ in Sacramentis, licet dicatur Sacramenta esse causas physicas

(1) *De Civit. Dei.* L. 22, c. 9.
(2) *De angelis* L. 4, c. 39, n. 12.

Gratiæ (1). « Atque inde est, dicit, quod S. Thomas cum scripsisset, post Gregorium, sanctos nunc miracula operari ex potestate, nunc ex postulatione, mox addat : Utrolibet tamen modo, Deus principaliter operatur qui utitur instrumentaliter vel interiore motu hominis, vel ejus locutione vel etiam aliquo exteriore actu, seu etiam aliquo contactu corporali (2). »

17. Post ea quæ diximus, hoc tandem monendum, donum miraculorum posse divinitus communicari causæ *instrumentali* vel *per modum habitus* vel *per modum actionis transeuntis*. Jamvero, uti supra jam notavimus, animadvertunt vulgo Doctores puræ creaturæ nulli hujusmodi habitum concessum fecisse, atque illud singulare fuisse sacrosanctæ Christi humanitatis privilegium, eo quod potestas Miraculorum in Christo ipsam unionem fecerit consequuta atque ejus perennitatem et perseverantiam participaverit. In puris autem creaturis, virtus miraculorum adest per modum *actionis transeuntis*. Et sane, ut scholastici docent, si homines habitum miraculorum haberent, illa pro arbitrio producerent, quod falsum est. De solo enim Christo legimus quod miracula universa ad simplicem nutum efficeret, ut solemne est eis qui *per habitum* operantur. Ad rem S. Thomas : « Per spiritus angelicos vel humanos imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per eas quodammodo naturæ præsentetur divinum preceptum et sic agant quodammodo spiritus humani vel angelici ut instrumenta divinæ virtutis ad miraculi perfectionem, non quasi aliqua virtute *habitualiter* in eis manente vel gratuita vel naturali in actum miraculaque possint. Sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in sanctis intelligi potest *ad modum formarum*

(1) *Op. cit.* L. IV, c. 2. n. 10.
(2) *Summ. Theol.* 2ª 2æ, q. 178 a. 4, ad 1ᵐ.

imperfectarum quæ intentiones vocantur, quæ non permaneant nisi per præsentiam agentis principalis, sicut lumen in aëre et motus in instrumento, et talis virtus potest intelligi donum gratiæ gratis datæ (1). » Verum quidem est, primis ecclesiæ temporibus, operationem miraculorum fere in Apostolorum arbitrio fuisse repositam, ut sic fides magis facile propagaretur : at nihilominus ista potestas non erat simpliciter miraculorum habitus, sed, ut verbis utar Suarezii, « usus illius potestatis pendebat ex actuali motione prævia Spiritus sancti : non enim poterant apostoli miracula facere pro arbitrio suo, sine ulla limitatione, sed quando miraculum foret opportunum et conveniens ad utilitatem Ecclesiæ et confirmationem fidei... Unde quoties faciendum erat miraculum, oportebat ut Spiritus sanctus mentes eorum specialiter moveret ad judicandum miraculorum effectum expedire, ut dixit D. Thomas, dicta Quæstione 178, articulo 1° ad 1^m^ tam generaliter quam in particulari de Apostolis loquens. Hanc vero ipsam Spiritus Sancti motionem quasi *ex certa lege et promissione habebant*, quoties occasio illam postularet (2). » Porro hujusmodi Dei promissionem agnoscunt communiter Doctores in his Christi ad suos verbis : *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date* (3).

18. De causis et instrumentis Miraculorum *animatis* satis. — Superest ut notem sæpius *inanimata* etiam instrumenta a Deo usurpari ad supernaturalium effectuum productionem. Narrat Scriptura ad Mosis virgæ usum aquas Ægypti in sanguinem fuisse conversas (4), fluctus maris Erythræi divisos in duas partes (5), aquam ex rupe excussam (6). Item aquas Jordanis ex pallii contactu divisit

(1) *Op. de potentia.* Q. VI, *de miraculis* art. 4.
(2) *Proleg.* 3 *de Gratia* c. 5, n. 19.
(3) *Matth.* c. 10, v. 8. — (4) *Exod.* 7, 20. — (5) *Exod.* 14, 16. — (6) *Exod.* 17, 9.

Elias et flumen simul cum Elisæo siccum transmeavit (1). Huc refer etiam hominis demortui resurrectionem cujus cadaver projecerant in sepulchrum Elisæi : *quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo et stetit super pedes ejus* (2). Nec minus huc pertinent Naaman, Syrus, a lepra curatus, ad contactum fluminis Jordanis (3), cæcus sanatus post lotos oculos in piscina Siloë (4) : famosa quoque miraculis piscina Bethsaidæ in qua Domini Angelus descendebat *secundum tempus... et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate* (5). Similiter in libro Actuum legitur : *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur* (6). » — Inter ista memoranda etiam opera miraculosa quæ operatus est Deus ope rerum sacro ejus cultui addictarum; quod toties contigit in arca fœderis, ut cum Dagonis idolum conspectu suo everteret (7), vel sponte ad Israëlitarum castra rediret (8), interemptis quinquaginta millibus populi qui minori eam reverentia fuerant prosequuti (9). His adde celebre ac perpetuum miraculum de *aquis Zelotypiæ* quæ mulieribus adulterii criminis accusatis mortem crudelissimam afferebant, si reæ existerent, nihil vero nocebant, si falso accusarentur (10), et alia complura. — Jam vero, hæc omnia miraculorum instrumenta *subalternata* et *secundaria* dixeris, hoc quippe sensu quod vel propter istiusmodi rerum Dei cultui consecrationem, vel propter meritum ac considerationem Dei servorum quorum memoriam revocabant, ista Miracula divinitus fiebant. Atque vel ex hac unica, eaque nimis elementari observatione, vides quam parum sapiente dignæ sint expostu-

(1) 4 *Reg.* 2, 8. — (2) 4 *Reg.* 13, 21. — (3) 4 *Reg.* 5, 9, 10.
(4) *Joh.* 9, 7. — (5) *Joh.* 5, 4. — (6) *Act. ap.* 19; 11, 12.
(7) I *Reg.* 5, 2. — (8) *Ibid.* 6. — (9) *Ibid.* 6, 19. — (10) *Numer.* 5.

lationes tam Protestantium qui honorem a Christianis hisce divinæ omnipotentiæ instrumentis exhibitum ac fiduciam in ipsa collatam vituperant, quam incredulorum qui ejusmodi miracula asserunt summo Deo prorsus indigna. Sane nemo sanæ mentis sit qui non intelligat Deum talia instrumenta minime adhibere ceu auxilia quædam ad miraculorum effectionem, sed illis unice uti tanquam symbolis quibus declaret suam omnipotentiam et sapientiam. Hæc namque magis commendatur, cum absolutum ejus dominium in naturam universam manifestatur, adhibitis etiam mediis quæ maximam, si insitas tantum vires consideres, cum effectu miraculoso, improportionem retinent (1).

CAPUT V.

DE CAUSA FINALI MIRACULORUM DEQUE EORUM CUM ORDINE ELEVATIONIS HABITUDINE.

1. Quamvis miraculosorum eventuum finem haud ægre ex hactenus dictis intuleris, paucis tamen quæ sparsim, pro rerum occurrentium exigentia, disputavimus heic sunt recolenda. Accurata quippe miraculi finis determinatio summæ utilitatis est ut proprius miraculosorum eventuum character statuatur, nec parum etiam confert ut certa ponatur norma, ex qua ab extraordinariis effectibus naturæ ac Spirituum malorum mirabilibus internoscantur.

2. Porro, dum de miraculorum fine disputamus, sive de eo quod sibi in miraculorum productione summus Deus proponit, illud ab initio monendum, duplicem finis esse rationem; distinguendus quippe finis absolutus sive *simpli-*

(1) Cf. J. J. Rousseau, *Lettres de la Montagne*, L. 3, qua acerrime Miracula Christianorum impugnat ex usu inanimatorum istiusmodi instrumentorum.

citer ultimus ac finis relativus et *secundum quid* tantum ultimus. Finis *simpliciter ultimus* et absolutus illud bonum est ad cujus consequutionem agens omnes suas operationes ordinat tanquam media ad ipsum, quique ipse nulli alii fini subordinatur. Finis autem *relativus* ac *secundum quid* ultimus ille est ad quem peculiaris tantum entium mediorumve series ordinatur quique ipse subjacet fini absoluto et supremo. — Jamvero, Deus in se ipso summam ac plane infinitam perfectionem complectitur, et præter illum nihil vere et simpliciter perfecti existit. Exinde vero sequitur quod finis Dei simpliciter ultimus ab illo distinctus esse nequeat, et necessario immanenti ipsius vita, cognitione et dilectione infinita contineatur. Sed ex hoc rursum fluit quod in suis operibus ad extra, ut ajunt, Deus nullum etiam finem ultimo intendere valeat præter se ipsum sive suam ipsius glorificationem. Et quoniam inter creatas et finitas realitates, quibus constituuntur opera Dei ad extra, et infinitam ejus essentiam nulla necessaria proportio existit : dicendum quod Deus in illis non gloriam quidem *essentialem*, sed *accidentalem* quærit, sive suorum attributorum manifestationem tam objectivam quam subjectivam : *objectivam*, inquam, prout divina potentia, sapientia, bonitas innotescunt ex ipsis rebus per Creatoris voluntatem ad existentiam libere determinatis ; *subjectivam* vero, quatenus inter ipsas creaturas quædam reperiuntur quæ valeant recognoscere, æstimare ac diligere has divinas perfectiones, in creationis opere ceu vestigia quædam infiniti Dei relucentes, quæ omnia nomine *gloriæ Dei accidentalis* apud Theologos veniunt (1). — Finis igitur absolute ultimus specialis illius summi Dei operationis quæ sensibili ac miraculosa ejus interventione continetur in ipsa gloria Dei extrinseca et accidentali est reponendus.

(1) Cf. Kleutgen. *Theologie der Vorzeit* : T. I, p. p. 655 sqq.

3. Sed enimvero præter finem hunc *absolutum* quem diximus, alia etiam finis supremi ratio consideranda, quatenus nempe *relative* ad creaturas ipsas respicitur. Videlicet Dei perfectissimi est non tantum suæ ipsius gloriæ manifestationem in agendo intendere, sed etiam creaturarum bonum, illudque mediis aptis prosequi et procurare. Nequit enim ens infinite bonum creaturis quas condidit non velle felicitatem eam omnem cujus capaces existunt. Atque ille quidem relativus finis, licet priori sive absoluto fini subjici debeat; tamen, respectu habito ad creaturas atque in primis ad hominem, tale est ut universa creatæ œconomiæ elementa regat, quare nonnunquam, mixto vocabulo, finem relativo-ultimum eum dicunt (1). Ex his igitur esse vides ut Miraculosa eventa, utpote quæ inter opera ad extra continentur, si quoad finem suum relativo ultimum considerentur, tandem ad hominum felicitatem ordinari debeant. Porro inquirendum quænam in specie boni ratio sit cujus consequutionem summus Deus in Miraculorum effectione intendit.

4. Dicendum autem in primis quod relativus iste miraculi finis ad ordinis physici bonum minime pertinet, sed omnino spectat ad ordinem moralem sive ethicam ac religiosam hominis institutionem. — Equidem miracula ad bonum ordinis physici minime esse referenda, hoc nulla probatione eget. Natura quippe nonnisi complexus entium creatorum est. Hæc vero singula constant insitis suis viribus, principiis et accidentibus quibus tum in se ipsis, tum in suis naturalibus operationibus, pro suo quæque fine, constituuntur et perficiuntur : sua enim opera in suo genere perfecta et optima perfectissimus conditor

(1) Videsis de illo fine relativo Creationis Patrum testimonia quæ sequuntur : Hermas. *Pastor.* L. 2, n. 4. Justin *Apol.* I, n. 10. Tatianus : *Contra Græcos oratio. Adv. hæreses.* L. 2. — Chrysosth. *Hom.* 19 *in Ep. ad Ephesios.* n. 3. — Lactant. *Inst. divin.* c. 15, n. 4.

instituit. Quare ordinis physici harmonia ab immanentibus creaturarum facultatibus mutuisque relationibus pendet tota atque expostulat tantum primæ causæ concursum generalem, quatenus ipsa entia a se distincta, actione sua creatrice, physice ad existendum præmovet ac porro in existendo conservat. Nequit itaque Miraculum, quod constitutum naturæ ordinem plane transcendit, dirigi ad bonum ordinis physici, quasi in supplementum virium cosmicarum pertingeret, uti stulte nimis increduli etiam recentes calumniantur. — Quoniam autem opera a sapientissimo Numine, præter exigentiam et supra vires naturæ totius patrata necessario determinatum ac specialissimum finem habent; hic nonnisi ad *ordinem moralem*, ut vocant, pertinere tandem poterit, sive ad œconomiam veritatum officiorumque, quibus rationales creaturæ, tum quoad informationem intellectus, tum quoad voluntatis regimen diriguntur et subjacent (1). Nimirum, ut supra ostensum fuit, statim ac ponitur summum Deum hominum generi, directa sua ac personali interventione, veritates ethico-religiosas revelasse, incipit apparere necessitas certi cujusdam criterii quo istiusmodi divinæ revelationis authentia infallibiliter comprobetur; tale autem criterium miraculo contineri vidimus. Atque illud quidem quod de omni revelatione divina verum est, peculiari plane jure obtinet de revelatione qua non modo naturales moralis ordinis veritates exhibentur sed divina quoque mysteria, ac in primis positivum ac complexum Dei decretum de humani generis ad finem supernaturalem ac divinæ naturæ consortium exaltatione. In hac enim hypothesi, cum homini credendæ proponantur veritates quæ nullam physicam et intrinsecam cum ejus ratione proportionem habent, atque plane inevidentes sunt, profecto iis quibus illæ proponuntur, exploratum de earum

(1) Cf. de Giorgio. *Institutiones Philosophicæ ad mentem D. Thomæ*. Utini 1865, p. 175.

veritate testimonium est perhibendum; quod nonnisi miraculo præstari potest. Exinde igitur est ut finis miraculi proprius spectet totus ad *ordinem moralem.* Quin imo, cum in præsenti Providentia, ipsa Revelatio veritatum naturalium divinitus ordinata fuerit ad finem supernaturalem, propter universalem naturæ humanæ totius elevationem ad divinæ naturæ consortium, atque hæc non minus certo argumento comprobanda fuerit quam altera quibus Mysteria proprie dicta complectuntur : hinc miraculorum finis omnis ad supernaturalem illam æconomiam spectare dicendus est.

5. Ad finalem miraculi cum ordine Elevationis habitudinem melius intelligendam, nonnulla opportune heic addenda sunt quibus solent Theologi ejusmodi supernaturalium operum cum dicto fine convenientiam declarare. — Primo itaque animadverte, *in ordine ontologico,* summam necessitudinem intercedere inter Elevationis œconomiam et ipsam miraculorum operationem. Nam ut ista Dei de homine supra naturam exaltando ordinatio nonnisi revelatione seu *immediato summi Numinis magisterio* homini defertur : ita ad talis ordinationis revelationisque veritatem et cœlestem originem confirmandam, nullum melius criterium adhibetur quam tale aliquod opus quod in concreto suo statu *solius Dei interventione* produci potest. Ad rem Suarezius : « Quia supernaturalis Doctrina, ait, Deum ipsum principalem habet auctorem et assertorem, ergo *opera propria ipsius* Dei sunt etiam aptissima ad confirmandam talem Dei doctrinam, quod nimirum a Deo ipso originem ducant (1). » Secundo, Scripturæ ac Patrum doctrina est elevationem hominis ad statum supernaturalem per gratiam et sanctitatem alteram quamdam creationem esse. Quare de regno suo spiritualique hominis renovatione agens Christus

(1) *De mysteriis vitæ Christi.* Disp. 31, sect. 1, n. 3.

cum Nicodemo : *Amen, amen dico tibi,* ait, *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introïre in regnum Dei* (1). Huc etiam Apostoli Jacobi verba : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (2), et locus classicus Epistolæ ad Ephesios : *Et cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati... ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus* (3). — Cernis quam clare Scriptura hominis exaltationem cum Creatione comparet. Jamvero ut in prima rerum ex nihilo eductione omnipotens Dei virtus directa sua interventione suam efficaciam manifestavit : ita in creatione hac altera sive animæ in divinæ vitæ consortium assumptione, immediata etiam divinæ omnipotentiæ ostensio erat exspectanda. Hanc vero in primis habes in Miraculis sive operibus quorum solus Deus, præter rerum exigentiam, causa existit. Optime hanc analogiam et miraculosæ operationis convenientiæ fundamentum illustratus est Cl. Hettinger : «Fundamentum ac radix vitæ naturalis omnis, inquit, vis Dei creatrix est, quæ primum in originali rerum ex nihilo eductione innotuit. Jamvero quid aliud Revelatio sive elevationis œconomia nisi nova quædam creatio atque alterius, ut sic loquar, mundi conditio inferiorem illum omni ex parte attollens ac perficiens? Hinc oportebat ut creatrix Dei vis in secunda hac creatione novis quibusdam suæ omnipotentiæ actibus palam se proderet. Cum Deus statuisset arcana sua hominibus revelare, hæc ipsa divinæ Naturæ in mundum interventio nonnisi *supernaturalis* ac *miraculosa* existere poterat. » Ita fere clarissimus vir (4).

6. Verum ista Miraculi cum suo fine sive supernatu-

(1) *Joh.* 3, 5.
(2) *Ep. s. Jacob.* 1, 18.
(3) *Ep. ad Ephes.* 2, 10.
(4) *Apologie des Christenthums* 1, 2 fasc. p. 171.

rali œconomia convenientia *psycologico* etiam argumento, ex Angelici doctrina, declaratur. Ab una enim parte homo qui corpore animaque compositus est, ad res spirituales, maxime ad divina intelligibilia, rationis lumine apprehendenda, per res creatas manuducitur, monente Apostolo : *Invisibilia illius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (1). Aliunde vero potissima fidei supernaturalis capita vel divinæ essentiæ arcana exhibent, vel referunt libera ejus voluntatis consilia de humanæ naturæ institutione. Cum itaque eorum veritas homini certo innotescere debeat, opportunissime huc adhibentur opera *sensibilia* et talia quidem *quorum solus Deus auctor esse posset*, ut per illa tanquam per proportionata argumenta, in divinorum intelligibilium notitiam homo veniat. « Naturale est homini, inquit ea de re Angelicus, ut veritatem *intelligibilem* per *sensibiles* effectus deprehendat. Unde sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales, ita per aliquos supernaturales effectus, qui Miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur (2). » Et rursus : « Quia quæ sunt, fidei, ajt, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari ; sed oportet quod probentur per argumentum divinæ virtutis, ut dum aliquis facit opera quæ solus Deus facere potest, credantur ea quæ dicuntur esse a Deo : sicut cum aliquis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse quod in illis continetur (3). » — Demum eadem hæc Miraculorum convenientia infertur etiam ex generali destinatione gratiarum quas vocant *gratis datas*. Gratia enim gratiæ datæ ut scribit, S. Thomas, « illa sub se continent quibus homo indiget ad hoc quod alterum instruat in rebus divinis, *quæ sunt supra*

(1) *Ep. ad Rom.* 1, 20.
(2) *Summ. Theol.* 2ª 2æ, q. 178, art. 1.
(3) Ibid. III p., q. 13, art. 1.

rationem (1). » Cum igitur miraculorum operatio accenseatur gratiis gratis datis, suapte natura refertur ad supernaturalis et arcanæ doctrinæ confirmationem sicut ad propriissimum suum ac genuinum finem.

7. Hæc quidem de Miraculi ad supernaturalis Revelationis probationem *convenientia :* at inquiri etiam potest de ejus ad hunc suum finem *necessitate.* Quæri nempe potest, num, posita Revelatione supernaturali, Miraculi Criterium veri nominis necessitatem præ se ferat et quonam sensu illa necessitas sit intelligenda? Ad hoc quæsitum responderi potest multiplici ratione, prout consideratur præsens Providentiæ in rebus religiosis œconomia aut alius quidam hypotheticus Providentiæ ordo : ac iterum, prout respicitur hominum inter se communitas et socialis institutio aut prout attenduntur individua singula. Et in primis minime negaverim, si de potentia Dei absoluta et ordine Providentiæ mere possibili sit sermo, fieri potuisse ut Religionis divinitas et authentia hominibus vel interna quadam illuminatione vel instinctu, ut vocant, prophetico, vel alio supernaturali quidem, non tamen *sensibili* et *publico* medio at potius *interno* atque, ut sic loquar, *privato* principio recognosceretur. Quippe in tali summi Dei ordinatione qui nullis legibus in suorum consiliorum manifestatione ac donorum largitione constringitur, nulla antecedens repugnantia sit. At imo, si agatur de potentia Dei ordinata et de eo qui jam constitutus est Providentiæ ordine, nihil etiam absurdi in hoc repereris quod Deus unum vel alium hominem veram Religionem edoceat ex aliquo ejusmodi medio quod per se mere internum sit, v. g. extraordinaria mentis illuminatione ac efficacissima impulsione voluntatis. Certe ut de particularibus istis Dei viis nihil statui generaliter potest, sic nemini concessum earum impossibilitatem adstruere.— Quid vero de

(1) *Summ. Theol.* 1ª 2æ, Q. 111, art. 4, in corp. — Item art. 5, in corp.

miraculorum necessitate, considerato non uno aliove homine individuo sed attenta hominum communitate? Respondeo, in ea hypothesi, Miraculi Criterium moraliter necessarium dici posse. — Ab una enim parte, ad præstandum assensum doctrinæ ex se inevidenti, ut fidei Mysteria sunt, voluntatis rationabile requiritur imperium. Aliunde vero, nequit voluntas rationabiliter imperare intellectui assensum veritati *inevidenti*, nisi ob motivum *extrinsecum*. Porro hominum genus ita constitutum cernimus ut quemadmodum in civilibus, ita et in religiosis rebus auctoritate ducantur et sociali ac publica institutione. Hinc intuleris, in Supernaturalis Fidei et Providentiæ suppositione, talia hujusce Dei ordinationis argumenta extrinseca esse exspectanda quæ *publicam* quoque indolem habeant, nec tantum privatæ cujusque recognitioni subjaceant, ut sunt divinæ illuminationes et inspirationes ac cætera id genus interna auxilia : verbo, argumenta veræ Religionis, habita ratione humanæ institutionis œconomiæ, publica, omnibus communia ac socialia esse debebunt. Sed, ut inde ab initio monuimus, argumenta de Religionis divinitate *communia* ac *socialia* Miracula sunt, sive proprie ad physicum ordinem pertineant, sive ad moralem (1). Itaque concluserim cum Suarezio : « Quamvis miracula non sint necessaria singulis ut possent credere, tamen *respectu communitatis* possunt dici quodammodo necessaria, *quia sine illis pauci crederent*. Et hæc ratio necessitatis maxime augetur, si Ecclesia non consideratur solum prout erat in illis hominibus qui Christum audierunt, sed ut erat perpetuo usque ad finem sæculi duratura, in eis qui nec viderunt Christum neque audierunt (2). » — Atque in eo sensu Apologetæ docent Miracula, sive physici sive moralis ordinis, criterium moraliter necessarium Religionis revelatæ constituere.

(1) Cf. supra, p. 147.

(2) *De mysteriis vitæ Christi* : D. XXXI, s. 1, n. 6.

8. De fine miraculi primario quatenus supernaturalis Revelationis criterium est satis diximus. Porro huic fini nonnulli secundarii fines subordinantur. Nimirum finis miraculi speciatim esse potest ut homines, maxime impios et incredulos, ad Providentiæ supernaturalis ac rerum divinarum considerationem attollat eisque occasionem paret inquirendi de Dei existentia ac rerum Fidei veritate. Hunc miraculorum finem sæpe commemorat S. Augustinus. « Reservans opportune, inquit, inusitata prodigia quæ infirmitas hominis novitati intenta meminerit, cum sint ejus miracula quotidiana majora. Ut per universam terram arbores creat et nemo miratur; arefecit verbo unam, et stupefacta sunt corda mortalium (1). » Et rursum alibi : « Ipse est enim Deus qui per universam creaturam quotidiana facit miracula quæ hominibus non facilitate sed assiduitate viluerunt : rara autem quæ facta sunt ab eodem Domino, id est a Verbo propter nos incarnato, majorem stuporem hominibus attulerunt, non quia majora erant quam sunt quæ quotidie in creatura facit, sed quia ista quæ quotidie fiunt tanquam naturali cursu peraguntur, illa vero efficacia potentiæ tanquam præsentis exhibita videntur oculis hominum. Resurrexit unus mortuus, obstupuerunt homines, cum quotidie nasci qui non erant nemo miratur (2). » Et in alio loco : « Secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerunt. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; et tamen hæc nemo miratur : illud mirantur homines *non quia majus est, sed quia rarum est* (3). »

9. Alius etiam miraculi finis est ut insignem virtutem

(1) *Enarrat. in Psalm.* CX.
(2) *Tract.* IX, *in Joh.* n. 1.
(3) *Tract.* XXIV, *in Joh.* n. 1.

et sanctitatem hominis, sive viventis sine vita functi palam attestetur. Hunc porro finem innumera fœderis utriusque exempla probant. Citabo tantum Mariam, Mosis sororem, quæ cum fratri obmurmuraverat, repente lepra afflicta est, dicente Domino : « *Servus meus Moses num in domo mea fidelissimus est? Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Mosi? — Iratusque contra eos abiit... Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix* (1). » — Item miraculo comprobavit Deus sanctitatem Eliæ, immitendo ignem de Cælo in milites quos miserat impius rex Ochozias ad Prophetam occidendum (2). Mitto alia exempla quæ numero plurima occurrunt tum in Martyrum Actis, tum apud Hagiographos, tum maxime in Actis S. Congregationis Rituum cui causarum Beatificationis ac Canonizationis atque Miraculorum Dei servis adcriptorum examen commissa sunt. — Necesse autem non est animadvertere hisce Miraculis directe quidem Christi fidelium virtutem confirmari : indirecte vero ipsam Fidem quæ istiusmodi virtutis radix ac fons extitit comprobari.

10. Præter fines quos diximus, fiunt etiam Miracula propter variam utilitatem sivè spiritualem sive corporalem hominum : ut passim apud Hagiographos cernere est. Patet autem hæc etiam Miracula in veræ Fidei confirmationem, cujus intuitu et nomine peraguntur, tandem recidere (3).

11. Atque hi speciales fines morales sunt ad quos Miracula passim diriguntur. Dictorum igitur consectarium sit Miraculum ratione sui finis, pro criterio *physico-morali* recipiendum esse. — Quippe in se ipso, sive attenta physica sua ac materiali quidditate, constat physico et sensibili effectu qui vel ipsa sua substantia, vel certe effectionis modo vires et exigentiam naturæ excedit. Sed simul, ratione finis ad quem profertur quique totus in religiosa homi-

(1) *Numer.* 12, 2.
(2) *Reg.*, L. IV, c.
(3) Cf. Spagni. *De Miraculis.* P. V, Art. 1, n. 467.

num generis institutione continetur, conditionem criterii seu signi *moralis* ommino præ se ferre dicendum est. Porro, quod dictis facile intellexeris, nequit in supernaturali effectu separari duplex istud elementum : hinc vero consequitur, quod postea fusius dicemus, ipsas miraculosæ operationis notas ac signa non tantum physica existere sed etiam *moralia*, hoc est, talia quæ *cum idea signi quod divinorum consiliorum ex sua natura manifestativum sit* quoad circumstantias omnes conveniunt. Quæ observatio plurimi valet ubi dijudicanda sunt opera nonnulla extraordinaria et portentosa de quibus dubites utrum Deo an potius Spirituum virtuti forte debeantur. Ut igitur de supernaturali origine ejusmodi operum feratur judicium, sollicite consideranda sunt *adjuncta eorum moralia* atque *ethicus doctrinæ cui connectuntur character*. Patet enim neque summi Dei, neque bonorum Spirituum opus haberi posse portentum quod sive ex se ipso sive ex doctrina quam connotat ordinis moralis legibus aliqua ex parte certo adversatur. Quare ista consideratio characteris *physico-moralis* miraculorum regula *negativa* eorum cognoscibilitatis dicenda est. Quanam autem ratione *positive* et adæquate dignoscantur, hac insequenti capite dicemus.

12. Sed quod etiam ex dictis de isto *ethico Miraculi charactere* sua sponte fluit, ejus raritas est habito respectu ad communem naturæ cursum. Cum enim superflua non faciat Deus, hinc *cyclus miraculosus*, ut sic loquar, his ætatibus maxime conspicuus fuit quibus divinæ doctrinæ Revelatio specialius hominibus proposita fuit. Ita contigisse videmus sub Revelationis tum mosaïcæ tum Christianæ initiis. Postea vero rariores istiusmodi divinæ omnipotentiæ manifestationes factæ sunt, licet, ut suo loco demonstrabitur, nunquam intermissa inter christianos fuerit supernaturalis summi Dei interventio. Ab una quippe parte, abunde demonstrata fuit fidei veritas splen-

didissimo supernaturalium operum apparatu quo divina doctrina comprobata est : ut illis tantummodo certum de ejus credibilitate testimonium desit qui irrationabili et pervicaci dubio sese committere voluerint. Aliunde vero, cum Religionis supernaturalis, cujus fini miraculum per omnia subordinari debet, scopus ultimus sit mentem ac hominem superiorem, pro mortalis conditionis possibilitate, a sensuum et materiæ influxu emancipare, inprimis per fidem seu *argumentum non apparentium* ac vivum Ecclesiæ magisterium : hinc rursum fieri non potuit ut miraculosa Dei in naturam interventio ad instar normalis et communis regulæ constitueretur. Imo vero altior Fœderis Novi Institutio ejusque præ veteri Testamento ethica excellentia et spiritualior conditio causa fuit ut juxta prodigia physici et sensibilis ordinis comperiantur, non pauciora numero, Miracula ethica quæ prioribus complementum suum ac perfectionem singularem addant. Hinc eminet novum J.-C. Testamentum miraculorum moralium splendore, Ecclesiæ inquam Catholicæ sanctitate, ipsius inter vehementissimas procellas et impetus hostiles jugi in eadem conditione perseverantia et continua inter gentes propagatione, ac maxime omnium sacræ Eucharistiæ mysterio sublimissimo quod aliquo sensu miraculum miraculorum dixeris, seu potius *Sacramentum omnipotentis amoris*, quæ quidem divina attributa suprema omnis miraculosæ operationis principia sunt (1). Ac simul, juxta illa ordinis ethici prodigia, ne quid Fidei ornamento desit, singulis quoque sæculis, insignia sensibilis ordinis miracula in Ecclesia Dei patrata cernuntur. Ii proinde qui catholicos calumniantur quod Miracula jam non fiant, præterquam falsum dicunt, nec Fidei nostræ naturam perspectam sibi habent. Verissime S. Gregorius magnus :

(1) Cfr. de hoc argumento Deutinger, *Renan und das Wunder* p. 140 et *Dict. Encyclop. Theol. cath.* ad v. *Miraculum*.

« Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in Ecclesiæ exordio fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia et nos, cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus; et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit : *Linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus* (1). »—Adeo verum hoc sit ut *relativa miraculi raritas* ipsius characteri *physico-morali* apprime conveniat : itemque pseudo-mirabilia ac dæmonum præstigia, præterquam defectu moralitatis universim notantur, inprimis sua *abnormi et vaga multiplicitate* mentitam suam conditionem plurimum prodant.

13. Quæ hactenus dicta sunt, ea formaliter spectant ad finem Miraculi, sub actuali Providentiæ œconomia, sive sub statu naturæ elevatæ. Pauca addemus de loco quem Miraculum obtinuisset in statu hypothetico naturæ puræ. Porro ut tuto valeas Miraculi locum in statu illo determinare, præ oculis habendum est per statum naturæ puræ, illam humanæ societatis sortem venire in qua homo hæc *omnia* et *sola* dona atque auxilia habuisset quæ sibi ex nativæ suæ conditionis exigentia competebant. Ut adeo status naturæ puræ opponatur tum statui naturæ integræ instructæ donis præternaturalibus, ut vocant, tum statui naturæ elevatæ seu donis supernaturalibus exornatæ. Nullum igitur Dei donum supernaturale, sive tale quod hominem perficeret præter debitum suæ congenitæ conditionis *juxta naturæ puræ exigentiam* fuisset concessum. Verum ex fundamentali illa illatione minime sequitur, in eo statu, locum non fuisse futurum auxiliis plane specialibus quibus homo divinitus directus fuisset ad finem suum naturalem assequendum Deumque qua auctorem na-

(1) *Homil.* 29, in Evang.

turæ cognoscendum et colendum. Nimirum, ut notat R. P. Perrone, ad naturam entis limitati non pertinet adæquatum suæ evolutionis ac perfectionis principium habere in semetipso : neque etiam evehitur homo ad indebitum et supernaturalem ordinem, si per specialia auxilia, juxta nativæ suæ conditionis exigentiam, extrinsece dirigatur ac perficiatur (1). Talia enim adjutoria ad Providentiam quidem specialem, non tamen supernaturalem pertinent nec cum naturæ puræ statu pugnant. — Sed his præmissis, quæritur utrum non repugnasset statui naturæ puræ miraculorum operatio? Breviter respondeo : 1° In eo statu nulla fuisset supernaturalis istiusmodi Dei interventionis necessitas. Nam, ut illa tantum attingam istius statûs adjuncta quæ potissimum circa miraculosæ interventionis necessitatem dubium aliquod movere possunt, veritates ordinis moralis ac legis naturæ præcepta potuisset Deus homini manifestare per varia auxilia *ordinis mere naturalis.* Cum enim humano generi in communi spectato nulla *physica* et *absoluta* impotentia inhæreret naturales sive rationales veritates ethico-morales per se addiscendi : hinc difficultas qua laborabat in earum assequutione dispelli poterat absque auxilii vere supernaturalis collatione. Poterat quippe Deus, speciali quadam Providentiæ naturalis ordinatione, ita temperare externa eventa tum cosmica, tum historica ac simul ita excitare hominum facultates et attentionem ut omnes qui hisce auxiliis uti vellent certo in legis naturalis ac summi Dei cognitionem pervenissent. Hinc Revelatio proprie dicta seu *directa ac personalis veritatum naturalium per ipsum Deum communicatio* nequaquam necessaria absoluta et physica necessitate, homini fuisset, sed tantum necessaria necessitate morali eaque, ut ajunt, disjunctiva, seu posito quod Deus nullo alio auxilio naturali hominum mentes adjuvisset. Quare

(1) *De Deo creatore.* Edit. Lov. T. III, p. 169, ad notam. Cf. etiam D. Jungmann. *De Gratia,* p. 96 sqq., 140 sqq.

sensibile istiusmodi Revelationis argumentum quod *miraculosa* seu *supernaturali* Dei interventione contineretur, nullatenus sub eo statu necessarium fuisset. Neque minus potuisset Deus, in illo naturæ statu, variis mediis intra ambitum Providentiæ naturalis conclusis procurare ut homo ultra vires non tentaretur, atque per cogitationes congruas, ex universi visibilis spectaculo comparatas atque alia præsidia ita ejus voluntatem roborare in bono, ut legem naturæ ac essentialia sua officia erga Deum et proximum fideliter servare valeret. Nulla igitur necessitas miraculosæ Dei operationis, sive revelationis immediatæ sensibili manifestatione contineretur, sive personali causæ primæ in causas secundas interventione juxta status naturæ puræ exigentiam requisita fuisset. Attamen 2° vero aliquo sensu possibilis fuit sub ea Providentia supernaturalis primæ causæ operatio. Videlicet potuit immediato et personali suo actu intervenire summus Deus intra seriem agentium naturalium vel in actum educere obedientialem causarum secundarum potentiam, ad consequendos fines eos omnes qui non fuissent præter nativam creaturæ rationalis exigentiam, vel præter relationes essentiales quæ intercedunt inter hominem et Deum qua naturæ auctorem ac moderatorem. Sic, verbi causa, nihil repugnasset in natura pura si Deus, ad hominis orationem, sanitatem ei per miraculum reddidisset, vel etiam signo aliquo sensibili ac vires creaturarum omnes superante honestatem legis naturæ sanxisset, vel ejus infractiones castigasset. Atque idem dixeris de similibus casibus. In his enim omnibus nihil cernere sit quod apprime non respondeat notioni Dei quatenus *Provisoris mere naturalis* quodve cum idea puræ naturæ *formaliter spectatæ* nequeat componi. Quare dicendum miraculum quod quidem fuisset destinatum ad juvandum hominem intra debitos ac connaturales suæ perfectionis terminos non modo potentia absoluta, verum etiam potentia ordinata possibile fuisse, in ista puræ naturæ hypothesi.

CAPUT VI.

DE VI PROBATIVA MIRACULI IN RATIONE CRITERII DIVINÆ REVELATIONIS.

§ I.

1. Postquam de Miraculo deque ejus cum supernaturali œconomia habitudine egimus, vis ejus demonstrativa, sive theologicus valor ad probandum Revelationis factum, positiva ratione jam nobis est evincendus. Ostendemus itaque, Miraculo sive stricte et theologice sumpto, sive latius etiam dicto, vere demonstrari divinitatem ac cœlestem originem doctrinæ illius in cujus probationem efficitur, atque item divinam Præconis illius missionem, qui hujuscemodi doctrinam hominum fidei proponit.

2. Jam age, ipso quæstionis statu, cernis in hac nostra disquisitione, Miraculum a nobis respici, *in sensu composito*, minime vero in *sensu diviso*. Nempe, spectamus determinata miracula prout formaliter actualem connexionem cum doctrina obtinent; nequaquam vero prout abstracte et nimis inepto more, sæpius a Rationalistis considerantur, in eorum contra supernaturalem fidem expostulationibus : quasi *isolata* (sit venia verbo) quædam eventa essent physici ordinis, quibus nullus ethicus finis, nulla cum doctrina pro cœlesti exhibita proportio inesset. Ex propria enim miraculi destinatione sequitur ipsum immediate ad moralem hominis institutionem spectare : ut proin statum quæstionis mire pervertant qui illa seorsim a veritate quam connotant consideranda jubent. — Hac autem præmissa animadversione sic probamus assumptum.

3. Miraculum, uti ex supra disputatis liquet, opus dicit quod consequitur ad Dei interventionem plane ex-

traordinariam sive personalem et immediatam. Quoniam vero istiusmodi effectus supernaturalis in concreto casu connectitur cum determinata aliqua doctrina, Deum ipsum ponit hujusce doctrinæ assertorem ac vadem. Quare si revera isthæc doctrina esset falsa aut non divina, ipse Deus hominem in errorem induceret et mendacii ac deceptionis foret accusandus. Absurdum consequens : Ergo et antecedens. Inferendum igitur pro supernaturali ac divina habendam esse doctrinam cui certa Miracula patrocinantur.

4. Verum ut capitalis ista conclusio omni sua luce pateat, nonnulla heic adnotanda. — Ante omnia quidem observa quam diversus ille summi Dei concursus sit ad quem Miracula subsequuntur, ab eo quo naturales et ordinarii causarum secundarum actus temperantur. Nempe ad naturales istos actus, indiget quidem causa secunda concursu causæ primæ, a qua cum in essendo tum in subsistendo et agendo per omnia pendet : verumtamen ipsa, non obstante hac essentiali a primo motore dependentia, suæ actionis, vero sensu, *causa principalis* dici potest ac debet, ut cum aliis Scholæ magistris, Suarez animadvertit (1). Ipsa enim ex insita sua virtute, et datis tantum iis auxiliis quæ nativa ipsius conditio in ratione causæ secundæ postulat, ad actum de facto ponendum prorsus valet, *quin ullo indebito ac superioris ordinis adjutorio augeatur*. Sed plane aliud obtinet in Miraculorum effectione. Ad illa nempe nihil omnino valet finitæ virtutis agens, donec intra insitæ virtutis terminos manet, licet iis auxiliis donetur omnibus quæ ex ipsius naturæ intrinseca exigentia illi debentur. Cum Miraculum, inquam, effectus sit qui, in concreto suo statu, naturæ totius vires trancendit, a creatura produci non potest nisi quatenus infinitus Deus illam præter naturalem ejus exigentiam ac supra

(1) *De Mysteriis vitæ Christi.* Disp. XXXI, sect. IV, n. 1.

insitas naturæ totius vires elevet, positivo suo ac personali concursu, eaque utatur tanquam ministro seu instrumento suæ ipsius omnipotentiæ. Quemadmodum igitur, in actionibus naturalibus, causa vere *efficiens* ac *principalis* (non tamen prima) creatura est; sic contra, in his actionibus supernaturalibus causa non tantum prima sed *principalis* quoque et efficiens, solus Deus est dicendus. Atque hæc quæ hactenus notavi, materiale ut sic loquar, miraculosi eventus elementum spectant. — Verum, ut jam ex iis quæ de Miraculi destinatione disputavimus constat, adæquata et formalis Miraculi quidditas, in Christiana Demonstratione, exsurgit ex ejus consideratione *teleologica,* sive ex ipsius actuali vel virtuali connexione cum determinata aliqua doctrina, vel cum alio quovis supernaturalis œconomiæ capite, in cujus argumentum profertur. Quare, si constiterit Deum non modo principem causam esse Miraculi quod hoic et nunc aliquam doctrinam connotat, sed præterea, *ipsam Miraculi conditionem talem existere ut determinatum sit ad probandam solam veritatem :* ex moralis imputationis regulis ac Dei idea, logica necessitate deduxeris, fieri non posse ut Deus concurrat ad Miraculum quod necessario cederet in confirmationem erroris. Ab una enim parte actus moralitas maxime cadit in *causam ejus principalem;* aliunde vero, in ea hypothesi, miraculum in ratione criterii exclusive determinatum ponitur ad testificandam veritatem : ergo, si illud Deus efficeret, eo casu quo de facto tendit ad probandam falsitatem, assumeret in erroris confirmationem signum *ex se ordinatum ad contestandam solam veritatem ;* in hoc autem propriissime deceptor ac mendax existeret, quod intrinsece repugnat infinitæ ejus veracitati ac sanctitati. — Age, exclusiva isthæc Miraculi ordinatio ad veritatem probandam probatur, primo, ex hoc ipso quod homines universim Miracula habeant pro certo manifestativo divinæ Auctoritatis, doctrinam eo affectam solemniter declarantis

pro vera ac divinitus revelata. Rem historia gentium omnium compertam luculenter docet Em. de Lugo : « Miracula, inquit..., ex communi hominum sensu *a natura ipsa insito*, censentur specialia signa et sigilla quibus Deus specialiter voluntatem et mentem suam manifestat (1). » Neque in ea existimatione vanam conspici hominum superstitionem facile constat. Nam natura non potest in omnibus, semper et ubique deficere mortalesque errore agere perpetuo, in re gravissima, a qua res maximæ pendent, quod qui asserat, non philosophiam tantum ac certitudinem naturalem tollit omnem, sed notionem quoque Dei Sancti et Providentis exturbat penitus. Equidem sæpius fit ut in præsenti maxime argumento ac religionis negotio, homines incauti vel præjudicio studiisve inducti plurimum fallantur, atque pro supernaturalibus operibus habeant quæ talia minime existunt. Sed uti patet, accidentalis ista deceptio est neque magis legitimitati ac probativo valori *rationalis et universalis hominum instinctus* obest quam ceteri errores quilibet. Cæterum, dum communem istiusmodi sensum in re nostra tanquam demonstrationis medium adducimus, respicimus illum *non abstracte* sed in concreto, quatenus cum omnium adjunctorum atque inprimis *moralium circumstantiarum* consideratione sumitur. Quidquid igitur sit de erroribus in præsenti argumento admissis, verum manet universalem hominum persuasionem, qua pro Dei testimonio recipiunt eventum constituto naturæ cursui conspicua ratione oppositum quodque evidentem connexionem habet cum doctrina Deo moraliter non indigna et absolutam dependentiam a Thaumaturgi voluntate, neque inanem neque falsam sed ratam ac legitimam et rationali naturæ insitam existimandam esse. — Sed, secundo, ista Miraculi cum veri-

(1) *De virt. Fidei divinæ* : D. II, n. 29.

tate connexio manifestior etiam fiet si cogites opera Entis sapientis quæ, ex unanimi hominum consensu, correlationem habent evidentem cum certa aliqua veritate vel doctrina, ejus voluntatis signa quædam esse ac virtuale ipsius testimonium. At vero hoc maxime obtinet in iis operibus quæ, ut fiant, personalem ejusmodi Entis interventionem exquirunt eamque ordinis prorsus specialis et trancendentis, quæque sive substantia sua, sive suæ effectionis modo, vires et exigentiam constituti naturæ cursus omnino superant : ita ut horum operum Deus solus causa non tantum prima sed etiam principalis et efficiens habeatur, creaturæ vero solummodo causæ ejus instrumentales ac ministræ existant. Sane, ex regulis moralis æstimationis et imputationis, talia opera ceu specialissimum manifestativum de operantis voluntate habenda sunt, atque adeo necessarium nexum habent cum veritatis cui connectuntur manifestatione et propriissimam criterii rationem portendunt. Verissime igitur dixeris Miracula divinorum consiliorum ac voluntatis signum exhibere. Ad rem cl. Tongiorgi » : Operatio est signum voluntatis : ex natura autem et adjunctis operationis dignoscitur voluntatis intentio. Igitur quum miraculum fit in alicujus seu favorem seu punitionem, per hoc ipsum ostenditur Dei in illum benevola voluntas vel ira. Ac tum præsertim quum nomen Dei invocatur, ut alicujus hominis vel innocentiam vel sanctitatem vel doctrinæ traditæ veritatem confirmet, si revera Miraculum fiat, quis neget velle Deum ut rei de qua agitur fides habeatur (1)? » —At tertio hisce argumentis quibus probatur Miraculi ad veritatem comprobandam ordinatio accedit quod ipso hoc momento quo Deus Miraculum profert ipse optime novit veritatem aut falsitatem doctrinæ quæ supernaturalis istiusmodi opere connotatur : quare, ut rur-

(1) *Cosmologia*. L. IV, n. 448.

sum notat Em. de Lugo (1), actu illo quo Miraculum profert, exercite testatur doctrinam cui connectitur esse veram ac divinam. Atqui testimonii veracitas hoc formaliter exquirit ut testificans quando, pro determinato rei statu, ejus veritatem novit, non dicat falsum sive contrarium : in quo præcise ratio consistit mendacii atque deceptionis, quidquid etiam de intentione dicentis fingatur. — Jam si hæc attendas videris quod in miraculoso effectu hæc quinque adjuncta concurrant : 1°, Opus quod soli Deo tanquam causæ non tantum primæ, sed etiam principali et exclusivæ tribuendum est; 2°, connexio istius operis cum determinata aliqua doctrina quæ pro divina hominum fidei proponitur *quæque ex morali adjunctorum omnium æstimatione talis habere minime repugnat;* 3°, ipsa operis miraculosi actualis ordinatio, ut in exclusivum veritatem criterium assumatur; 4°, actualis in operante cognitio veritatis de doctrinæ veritate aut falsitate; 5°, ineluctabilis hominum, quotquot existunt omnium tendentia, naturæ visceribus insita, habendi tale opus ceu summi Dei ac primæ Veritatis testimonium. — Porro ex horum omnium concursu est ut legitima sit hæc conclusio : quotiescumque Deus verum Miraculum operatur, ipse vi institutæ a se Providentiæ et comparatæ mentis humanæ indolis, opus patrat quod necessario et exclusive, ex se toto ad veritatis probationem ordinatum est. Si igitur illud connotaret doctrinam non veram vel non divinam Deus verissime mendacii ac deceptionis auctor foret. Ad rem Em. de Lugo : « Sic dicendum videtur ait, de Miraculis veris quæ quidem in aliquibus circumstantiis determinate significant auctoritatem divinam contestantem et confirmantem doctrinam, alioquin enim deciperet utendo signis *quæ determinata sunt ex se ad significandam talem contestationem* (2). » Concinit Suarez qui tum

(1) *De virt. fidei divinæ* D. II, s. 1, n. 24.
(2) *Ibid.* D. II, s. 1, n. 26.

ex ipsa Miraculi ceu operis supernaturalis conditione, tum ex notione Dei Providentis docet fieri non posse ut summum illud Numen ad veri Miraculi effectionem principaliter concurrat, quod cedat in comprobationem doctrinæ pro divina falso allegatæ quæque vel ipsis sapientibus et prudentibus hominibus falsitatem suam nulla ratione retegit. « Quod ita declaro, inquit eximius Doctor, supponendo *pertinere ad divinam Providentiam*, ut non permittat aliquid falsum suo sub nomine et auctoritate ita proponi, atque exterius confirmari, ut secundum rectam rationem cogantur homines ad credendum illud esse dictum a Deo et assentiendum ea certitudine quæ omnem dubitationem expellat. Quia si Deus hoc permitteret, et cooperetur ad talia signa et opera quibus mendacium confirmatur, quamvis proprie non mentiretur..., quodammodo tamen abuteretur sua potestate in præjudicium suæ auctoritatis, qua fide dignus existit. Nam si, concurrentibus tot signis et divinis operibus exterius factis in confirmationem veritatis, adhuc posset subesse falsitas, nulla superesset via ad credendum Deo loquenti per homines vel per signa, quod est contra *divinam veritatem* et auctoritatem quam ipsum oportet habere in dicendo. Propter hanc ergo causam existimo esse moraliter evidens, fieri non posse ut Deus concurrat cum homine ad perficienda vera opera supernaturalia quæ fieri non possunt nisi virtute divina, et quod illa faciat in confirmationem falsæ doctrinæ, quam ut divinam et a Deo revelatam proponit (1). » — Concludo repugnare ab intrinseco, quod, in actuali Providentia, fiant vera Miracula in confirmationem erroris, atque proin Miraculum proprium divinæ Revelationis criterium existere : quod erat demonstrandum.

(1) *De Mysteriis vitæ Christi.* Disp. XXXI, sect. II, n. 7. — Suarex propter nonnullorum Theologorum argumenta, de quibus illico dicemus, Miraculum quod errori faveat, non simpliciter mendacium reputat, illud tamen rejicit, ceu divinæ auctoritatis læsivum.

5. Porro quæ ex ipso rationis testimonio inferimus, illud etiam confirmatur constanti tum sacræ Scripturæ tum Traditionis oraculo, ut satis a nobis ostensum fuit capite I, ubi de usu Biblico et ecclesiastico hujusce criterii nostri agebamus. Procul enim dubio, si miraculum posset connotare errorem, absurde sacra Pagina illud perpetuo referret ceu infallibile divinæ Revelationis argumentum. Recolantur tantum Christi effata : *Verba quæ ego loquor vobis a me ipso non loquor. Pater in me manens ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite* (1). Huc etiam faciunt hæc alia ejus verba : *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* (2). — Neque secus Patres quibus nihil adeo frequens, inquit Suarez (3), quam ut Miracula vocent *signa* sive *loquelam* Dei. « Deus, ait Augustinus, mirabilibus operibus loquitur (4). » Quorum doctrinam resumit Angelicus qui *Miraculosam operationem* appellat *manifestativum divinæ virtutis et veritatis* (5). Vim illam probativam miraculi graphice exponit Em. Bellarminus : « Eadem est vis sigilli, inquit, et miraculi : semper enim sigillum regium notius est quam litteræ regis. Nam sigillum omnes norunt discernere et sigillum sine litteris auctoritatem habet, litteræ sine sigillo non habent. Sic etiam miraculum notius et efficacius est quam prædicatio ; omnes enim qui vident cæcum illuminari, aut mortuum suscitari, intelligunt illud opus esse supernaturale et divinum ; et proinde moventur ad credendum id quod tali testimonio confirmatur ; non autem omnes qui audiunt prædicantem,

(1) *Ibid.* 14, 10-12.
(2) *Ep. ad Hebr.* 2, 3-4. — Cf. R. P. Kleutgen, *Op. cit.* 4e Abh. p. 359 sqq.
(3) *De Mysteriis Vitæ Christi.* Disp. XXXI, s. 1, n. 3.
(4) *Ep.* 106.
(5) Op. *De Potentia.* De miraculis. Q. VI, art. 5.

continuo intelligunt illa esse verba Dei (1). » Simili etiam comparatione utuntur Cornelius a Lapide (2), de Lugo (3), Gotti etc. (4). Eamdem porro Doctrinam etiam evincit praxis sedis Apostolicæ quæ inter certissimas sanctitatis notas reponit miracula ad servi Dei invocationem vel ex ejus imperio aut intercessione consequuta.

6. Dictorum conclusio sit Miraculum respectu ad illos quibus exhibetur referre ipsam divinam loquutionem sive continere primæ veritatis revelantis testimonium. Quare, in hypothesi Revelationis mediatæ, miracula, si rigorose loquendum sit, confirmant quidem immediate legati divini missionem et authenticum characterem, at præterea ultimo referunt ipsum summi Dei testimonium atque ejus auctoritatem ac sanctionem præsentem sistunt humanæ menti. Atque hinc est ut miraculum adæquate sumptum duplici ratione considerari possit : 1°, prout criterium est divinitatis et genuinitatis Fidei supernaturalis, quo sensu nobis apparet tanquam *motivum credibilitatis* et proprie spectat ad præparationem Fidei. 2°, prout simul actu applicat ipsum Revelationis factum, informando doctrinam, quæ ut revelata hominum fidei proponitur primæ veritatis testimonio, atque illo sensu altero integrat ipsum *objectum formale* Fidei sive rationem *propter quam* credere homo debet, quæ nulla alia est quam ipsa loquutio sive *revelatio primæ Veritatis* quæ nec ipsa decipi neque nos decipere potest (5).

(1) *De Sacramentis in Genere*, L. I, c. 14.

(2) *Comm. in Matth.* c. 7, v. 2.

(3) *De Fide.* Diss. 2, sect. 1, n. 24.

(4) *Theolog.* Tom. X, Dub. 6, § 6. — Videsis etiam apud Trevoltianos (*Mémoires de Trévoux*) Disputationem Merlini, de vi probativa Miraculi. An. 1731, a. 117, p. 2395.

(5) Cf. Kleutgen : *Theologie der Vorzeit.* II Theil. IVe Abhandl. p. 524. — Ad rem Em. de Lugo : « Loquitur autem (Deus) sicut expedit Deum loqui cum hominibus percipientibus objecta per sensus materiales, nimirum taliter proponendo mysteria, talia miracula operando, ut non solum auribus, sed visu etiam percipiamus vocem Dei loquentis nobiscum. Ideo enim Paulus *ad Hebr.* II, 4, miracula dixit

– Nihil autem repugnat, Miraculum simul esse *motivum* credibilitatis et *objectum formale* assensus fidei divinæ. Nam, ut vidimus, miraculum per se continet æquivalens et virtuale summi Dei testimonium quo ipse veritatem aliquam approbet. Atqui, ut scribit doctissimus Platel : « quicumque mihi aliquid testatur, ita testatur ut ex modo loquendi eadem ratione simul implicite et virtualiter testetur *se illud mihi vere testari ;* sic ut mihi dicens v. g. *Petrus mortuus est* non solum mihi significet Petrum esse mortuum, sed etiam se judicare ita esse *seque hoc mihi indicare...* Unde facio eum falsum et mendacem, non solum si negem *Petrum esse mortuum*, sed etiam si dicam hoc eum nescire aut contrarium in animo judicare, aut non habere voluntatem id mihi indicandi sed solum simulandi (1). » Proinde, vero sensu, Miraculo simul continetur Fidei conditio prævia ac motivum ejus formale.

7. Hactenus disputata proprie dicta sunto de Miraculis stricte et theologice talibus seu ab ipso Deo effectis. Verum, ex iis quæ antea notavimus de essentiali causarum secundarum dependentia a causa prima et omnipotente, ultro intuleris eadem principia, debita cum proportione, Spirituum operibus applicanda esse. Hi enim, in actuali Pro-

esse quamdam Dei loquutionem : *Contestante*, inquit, *Deo signis et portentis :* ubi Theodoretus ait, « Deum per miracula ferre prædicationis testimonium. » Sunt ergo miracula ipsa aliquo modo vox Dei, unde August. Epist. XLIX, q. VI, absolute dixit, « Deus mirabilibus operibus loquitur. » Sive hanc velis appellare vocem, sive melius litteras, vel nutus, quibus nobis suos conceptus exprimit : quare sicut, quando lego epistolam amici, immediate ex visione Scripturæ quam cognosco, judico amicum meum loqui, et licet aliquando formidarem, an esset scriptura ejus ; adhuc possem probabiliter id judicare per assensum immediate ortum ex apprehensione illorum characterum, quæ probabiliter ostendit esse characteres mei amici : sic etiam considerans miracula et signa, quibus Deus mihi loquitur, licet non videam clare esse litteras, vel vocem Dei, apparet tamen id obscure, seu immediate, et cum tanta proportione, ut prudenter imperet voluntas eum assensum immediatum elici absque ulla formidine. » *De virtute Fidei Divinæ*, D. I, S. 7, n. 122.

(1) *Synopsis Theologica.* De Fide c. 1, n. 20.

videntia, mirabilia sua nequeunt exercere coram hominibus sine peculiari Dei vel jussu vel tolerantia; aliunde postulat Numinis Providi et infinite sancti munus ut Spiritibus malis (de his enim dubium occurrere tantum potest) non permittat ejusmodi in adspectabili universo interventionem casu quo cum invincibili errore hominum etiam prudentum conjuncta sit. Timendum proin non est ne dæmones suis præstigiis ineluctabiliter homines decipiant, in iis, inquam, adjunctis quibus deceptio et falsitas diligenti satis examine constare non possit. — Tenendum igitur, Mirabilia Spirituum, quemadmodum Deo jubente, fieri possunt in veritatis argumentum; ita quidem, eo permittente, exerceri posse ad probandam fidelium constantiam vel ad malorum vindictam et seductionem : at simul cum ea conclusione retinendum hoc aliud doctrinæ caput de gratia sufficienti cuique facienti quod in se est, concedenda. Ex hoc quippe inferes nunquam talia mirabilia a Spiritibus malis exercenda fore in probationem vel etiam in pœnam, nisi ex prudenti investigatione error retegi possit. Ut adeo, non deprehensa post debitum examen falsitate doctrinæ quæ ejusmodi dæmonum præstigiis confirmata supponitur, ipse Deus mentis illustratione vel alio pacto quolibet, errorem avertere teneretur. Huc Suarez : « Itaque non pertinet ad Providentiam Dei non permittere falsa signa (intelligit Suarez mirabilia dæmonum de quibus dedita opera in eo loco agit) quæ ad probationem et profectum electorum prosunt; sed pertinet ad Providentiam Dei dare *auxilium ac modum quo possint dijudicari et cognosci*, quia non est divinæ bonitatis et sapientiæ ut permittat hominem tentari ultra id quod potest. Ac propterea quando facta morali diligentia et investigatione, adhuc constat evidenter vera esse miracula quæ fiunt in contestationem Doctrinæ, nulla relinquitur ratio dubitandi de talis doctrinæ veritate, præsertim si Miracula sint frequentia, et magna auctoritate et potestate facta, et vitæ innocentia ac sanctitate confir-

mata, et in ipsa doctrina nihil contra honestatem, nihil contra rationem rectam, nihil denique contra alias divinas revelationes appareat (1). » Hucusque Suarez. — Semper igitur retinenda generalis assertio : Miracula sive theologice et stricto vocis sensu accepta, sive latius etiam sumpta seu mirabilia Spirituum, *in concreto et in actu secundo*, infallibile argumentum constituunt revelationis, cum qua evidenter connexa sunt, quæque, examine instituto, erronea non apparet Deove indigna.

Scholion. — Doctrinæ capita heic exposita eventui miraculoso omni conveniunt, prout in se respicitur. Singulis enim et quibuslibet miraculis inest ratio divini manifestativi. Verum *in hypothesi* concurrentium cum miraculis sive cum Dei operibus malorum spirituum præstigiis, patet vim probativam testimonii divini, generatim loquendo, respiciendam esse non prout in facto aliquo singulari jacet, sed prout concluditur toto manifestationum supernaturalium ordine et complexu. Rursus, vis ista non tantum ex operum præeminentia materiali ac physica, sed simul etiam ex morali omnium circumstantiarum comparatione pensanda est. Opus enim miraculosum non modo sensibili et physico eventu, verum etiam ethico ipsius charactere adæquate exsurgit.

§ II.

1. Hactenus statuta de impossibilitate divini concursus ad miraculum quod fieret in confirmationem doctrinæ falsæ vel non divinæ, communissime a Theologis traduntur. Nonnulli tamen Doctores absolute loquentes et speculativum rei statum considerantes, non actualem tantum Providentiæ ordinem, arbitrati sunt per se non repugnare divinæ veracitati, si Deus miraculum proprie dictum

(1) *De Mysteriis vitæ Christi.* Disp. 31, sect. 3, n. 8.

producat quod cedit heic et nunc in confirmationem erroris, ita ut deceptionem ipse minime quidem intendat, sed conferat miraculorum potestatem de fine optimo, atque ad illud concurrat, Thaumaturgus autem miraculo abutatur ad confirmandum errorem. Age inter eos qui ita senserunt recenset Em. de Lugo (1), Durandum (2), Bannez (3), Michaelem de Medina (4), ac præ cæteris Hurtado (5). Necesse igitur fuerit, ut tantorum virorum debita retineatur observantia et altius quæstionis nostræ fundamenta penetrentur eorum sententiæ αποκρισιν instituere. Neque enim negligi possunt difficultates quæ in re summa moventur atque satis seriæ visæ sunt eximio Suarezio, ut diceret, malle se aliorum de eis solutiones audire quam ipsum dare suas (6). Conabimur tamen, vel ex principiis quæ ipse doctissimus Theologus proponit domesticam hanc litem pro viribus componere; idque vel eo majori fiducia freti, quod ducem in re nostra sequemur aliam illam speculativæ Theologiæ lucem, Em. de Lugo quo nemo forte altius de supernaturalis œconomia deque Fidei divinæ argumentis disseruit. — Rursum tamen moneo, controversiam quam memini, vel ex istorum auctorum mente, pertinere tantum ad speculativum quæstionis statum, sive de eo esse quod contingere posset *de potentia Dei*, ut dicunt, *absoluta*. Omnes enim concedunt, in actuali œconomia et *de potentia Dei ordinata*, talem concursum Dei ad opus miraculosum in dictis adjunctis nunquam obtinere. (7). Vides ex domestica concertatione nihil ipsam probativam Miraculi vim labefactari.

(1) *De virtute Fidei divinæ.* Disp. II, s. 1, n. 19.

(2) *In Mag.* Q. 1, prolog. n. 47.

(3) Comm. in Summ. D. Th., ad 2am 2æ. Q. 5, art. 1, vers. *Quod si quis iterum.*

(4) *De recta in Deum Fide* L. V, c. 7.

(5) *De Fide :* Disp. 26, sect. 4, § 9 sqq.

(6) *De mysteriis Vitæ Christi.* Disp 31, sect. 3, n. 7.

(7) Cf. Ben. XIV. *De Beatif. Serv. Dei et Canoniz. Sanct.* L. IV, c.

2. Age, prima ratio qua assertum suum auctores illi evincere volunt, quamque præ cæteris urget Hurtado hæc est, quod Deus, quatenus auctor est naturæ, potest offerre suum concursum naturalem causæ secundæ, licet prævideat illam tali concursu abusuram fore ad peccandum, eo scilicet quod peccatum sequitur *præter*, imo *contra* ejus voluntatem et unice tribui debet culpæ hominis perversi. Atqui, dicunt, eodem modo Deus, prout auctor est supernaturalis ordinis, dare potest agenti creato concursum specialem, quo elevetur ut ministerialiter efficiat opera miraculosa, licet prævideat ipsum abusurum tali gratia : Deus enim hanc homini facultatem tribuit ad bonum finem; hominis vero est quod *per accidens* ad malum erroremque confirmandum illa detorqueatur. Nihil itaque impedit quominus Deus concurrat ad errorem per miraculum confirmandum. Ita fere Hurtado (1).

3. Respondeo, ingens esse discrimen inter allatum exemplum concursus naturalis et generalis Dei cum causa secunda ad actus ejus naturales, atque inter concursum ejus extraordinarium et supernaturalem, ad Miraculum requisitum. — Nam 1° concursus Dei ad actum peccaminosum respicit tantum physicam actus humani quidditatem, quæ quidem per se indifferens est ad bonum vel ad malum. Etenim generalis iste concursus nihil aliud dicit quam necessariam causæ secundæ ad causam primam habitudinem; quæ quidem sequitur ad ipsam naturæ exigentiam, ex rerum essentia derivatam, quatenus causa secunda ita est constituta ut ad quodlibet agendum indigeat concursu causæ primæ. Proinde, ad actum peccamimosum ponendum indiget creatura Dei adjutorio ac concursu. Verum totus ille concursus a parte Dei terminatur ad materiale

(1) *Op cit.* L. c. § 9. — Cfr. Suarez : *de mysteriis vitæ Christi*, D. 31, s. III, n. 7. ex quo sua argumenta desumpsisse Hurtado, non nominato auctore, docet de Lugo l. c.

actus seu ad quidditatem ejus physicam : formale autem ejus seu ipsa privatio rectitudinis quæ in casu actioni debuerit inesse ex sola hominis voluntate causatur. Ad rem Salvator Tongiorgi : « Colligitur, inquit, Deum quum ad actus pravos concurrit nullo modo peccati causam esse. Etenim actus isti spectari possunt *et materialiter*, ut sunt aliquid physicum et physice bonum, et *formaliter* ut privationem continent conformitatis ad morum regulam, in qua privatione malitia moralis sita est. Deus igitur quum suum indifferentem concursum voluntati offert, ita illum offert ut bonum actum quantum in ipso est intendat, pravum autem velit solummodo permittere. Quumque voluntas ad malum actum declinat, Deus concurrit et quidem *permissive*, ad actum materialem, quatenus cum possit illum impedire, cooperationem suam subtrahendo vel aliter, tamen non impedit : ad actum vero ut sit formaliter malus, nullo modo concurrit sed potius illum reprobat ac damnat. Malitia igitur tota est humanæ voluntatis, nullo modo Deo tribui potest (1). » Potest itaque Deus concurrere ad materiale actus peccaminosi quin tamen peccati auctor aliqua ratione existat. — Secus vero habet concursus iste ad quem sequitur miraculum. Quippe, uti vidimus, Miraculum ita formaliter ordinem moralem respicit ut per se exclusive determinatum sit ad constituendum argumentum sive *testimonium Dei* de veritate illius doctrinæ in cujus confirmationem producitur. Quemadmodum proin concursus naturalis per se indifferens dicendus est ad bonum et ad malum ; sic contra concursus specialis et supernaturalis ad miraculosos effectus ex sua conditione determinatus est *ad unum*, nempe *ad verum*. Ergo si ad falsitatem comprobandam illud Deus exhiberet, hominem positive deciperet :

(1) *Institut. Philos.* Theolog. nat. L. IV, c. 2, n. 308. — Cf. Suarez. *Metaph.* Disp. XXII, s. II. — Didacum Ruiz : *De voluntate Dei.* D. XLV.

ipsi enim signum aliquid offerret quod per se ordinatum est ad solam veritatem comprobandam quodque proinde sapiens omnis pro veritatis sigillo habeat, quamvis ex supposito cum falsitate et errore conjunctum sit. Ineluctabili igitur errore Deus homines ageret et profecto mendacii esset reus. Nulla adeo paritas est inter concursum naturalem Dei seu primæ causæ ad actus peccaminosos atque inter concursum ejus supernaturalem ad miraculorum effectionem. Hæc omnia sic complectitur Em. de Lugo : « Ad rationem vero et exemplum virtutis et concursus naturalis quem Deus dare potest agenti creato, etiamsi prævideat ipsum abusurum ejusmodi virtute et concursu ad opus malum, nec per hoc Deus dicitur auctor mali, eo quod sit præter ejus intentionem : responderi etiam potest ex dictis discrimen esse : quia per opus illud naturale malum, ad quod Deus ut auctor naturæ concurrit, non censetur Deus *loqui* aut testificari aliquod falsum sicut per vera miracula, quæ *ex communi hominum sensu a natura ipsa insito* censentur specialia signa et sigilla quibus specialiter voluntatem et mentem suam manifestat (1). »

4. Neque instet Hurtado, dicens effectum Miraculosum realiter a suo fine condistingui : posse proinde Deum influere in Miraculum, quin errorem cui apponitur intendat, sicut de facto influit in actum peccaminosum quatenus physicum, non vero qua formaliter malum. — Hoc, inquam, ne dicatur. Nam undenam tandem est quod Deus possit influere in materiale peccati, quin tamen influat in peccatum ipsum? Si rem acute perspicias, videris hoc inde esse, *quod materiale peccati minime per se sit determinatum ad unum, sive ad peccati formale ad quod per se est indiffe rens.* Inde enim est quod ad illud concurrere Deus possit quin tamen concurrat ad peccatum ipsum. Hinc etiam

(1) *Op. cit.* Disp. II, sect. 1, n. 29.

causa *principalis* boni vel mali actûs creatura seu homo est, cum ipse per se atque ex intrinseca sua virtute, habito concursu Dei sibi ab intrinseco debito, rectitudinem debentem inesse, ut Schola loquitur, huic materiali actui vel addit vel detrahit. At contrarium obtinet in concursu quem præstaret Deus ad miraculum quod cedere supponitur in confirmationem erroris. Miraculum enim ex se, ut vidimus, ordinatum est ad veritatem atque ad veritatem tantum. Hinc, si Deus ad confirmandum errorem, aliunde non evidentem, miraculum faceret, positive hominem in errorem induceret et *causa principalis* deceptionis esset. Quare nequit Deus, in casu, intendere tantum ut ponat physicam actus supernaturalis quidditatem : hæc enim in re inseparabilis est ab ejus cum veritate testificanda connexione. Unde si Deus concurreret ad ejusmodi actum casu quo fieret ad confirmandum errorem prudenti investigatori non patentem, quidquid dicatur de ejus intentione, contra infinitam suam veracitatem procul dubio ageret. — Exemplum ponunt Scholastici in lumine evidentiæ naturalis *quæ per se determinata est ad verum*. Finge hujus causam principalem (non dico primam) Deum *solum* esse : inde sane esset quod si homo per ejusmodi evidentiam in errorem induceretur, ipse Deus causa erroris foret habendus, cum evidentia non modo ab eo proprie causaretur, sed ex sua etiam natura determinata sit ad unum, seu ad veritatem. Itemque, si Deus concurreret tanquam sola principalis causa ad Miraculum quod cederet in confirmationem erroris, positiva causa foret deceptionis quæ huic consequeretur. — In his proin ac similibus objectionibus sedulo considerandæ tum habitudo causæ principalis et causæ primæ, tum etiam miraculi ad verum probandum intrinseca determinatio.

5. Huic secundo argumento affine est aliud quod iidem Auctores afferunt. Nimirum, dicunt, licet homo qui miraculum efficit illud asserat fieri in confirmationem erroris quem

sub specie veri proponit, Deum tamen idcirco non concurrere ad hujusmodi erroris confirmationem : ad miraculum vero concurrere posset in casu, vi prioris donationis seu legis vel pacti, quo statuit dare illi homini talem virtutem atque cum illo concurrere propter finem sibi probatum. Hinc si Deus de facto concurrat ad tale miraculum, ipse nec mentiretur nec proprie errorem confirmaret, at solum permitteret ut alii putent ipsum propositam doctrinam approbare. Ergo nec in ipsum deceptio refundenda. Quod magis etiam declarari potest exemplo quod refert Hurdado. Nempe pone Deum decrevisse crastina die se miraculum aliquod esse facturum, propter certum finem, atque hoc ipsum Thaumaturgo revelasse. Fieri procul dubio posset hominem istum errorem prædicare et annuntiare sese dato miraculo, doctrinam a se prædicatam fore confirmaturum. Profecto hinc minime tenebitur Deus propositum mutare, nec, si de facto miraculum patretur, errorem videtur confirmare. Quemadmodum nec culpa verteres Regi si cuipiam ministro sigillum suum tradidisset quo veras leges muniret, minister vero abuteretur regio sigillo ad ementitas leges promulgandas. Possibilis igitur concursus Dei ad verum miraculum quod in confirmationem erroris cedat.

6. Respondemus, ad mentem Em. de Lugo, negandum esse suppositum, sive fieri non posse quod Deus miraculorum operationem in hisce casibus homini elargiatur, quibus prævidet illum abusurum fore ad confirmationem erroris qui certis indiciis prudenti cuique non innotesceret. — Nam, quod usque præ oculis habeas, Miraculum afficiens doctrinam non evidenter falsam, per se determinatum est ad contestandam veritatem, sicuti ostensum supra fuit. Nec quidquam juvat dicere Deum hominis deceptionem permittere tantum in casu, adque ad effectum concurrere vi antecedentis cujusdam pacti. — Equidem, licet identidem

opus justis de causis ponere quod duos habeat effectus, unum bonum qui intendatur, alterum malum qui solummodo permittatur, dummodo tamen effectus ille malus ratione sui non sit formaliter peccaminosus ex ipso ponentis facto, uti docent moralistæ omnes. Sed in casu concursus Dei ad Miraculum erroris confirmativum intrinsece malus esset atque formale mendacium constitueret : cum supponeret adhiberi in confirmationem vel præsidium erroris opus quod de se exclusive determinatum est ad confirmandam veritatem, idque in iis circumstantiis ubi testificans veritatem aut falsitatem testimonii sui antecedenter cognoscit. — Ad hæc, ut ratiocinatur Em. de Lugo cujus non possim aurea verba non exscribere, licet paulo longiora : « sicut Princeps, si in ipso sigillandi aut subscribendi actu, adverteret falsitatem contentam, non posset sigillare aut subscribere, sed deberet sigillum repetere, ne cooperaretur ad deceptionem et mendacium : sic Deus ad idem teneretur. Unde cum Deus non solum antecedenter sed *in ipsomet actu sigillandi et operandi Miraculum* videat semper falsitatem doctrinæ ad quam confirmandam Miraculi sigillum opponitur, non videtur tunc cooperari posse ad malitiam ministri, *quin particeps sit deceptionis et falsitatis.* Non enim antea solum subscripsit vel sigillum dedit, sed tunc subscribit et sigillat. Quare sicut Princeps, licet antea se obligasset ad sigillanda quæ minister scripserit, si tamen postea adverteret falsitatem in scriptura sigillanda vel subscribenda, non teneretur, imo nec posset fidem servare, sed deberet a subscriptione vel sigillatione abstinere : sic Deus licet *per impossibile* antea se obligaret ad miracula operanda quoties Petrus vellet; non tamen deberet nec posset id exsequi, quando in iis circumstantiis miraculum esset, per se loquendo, signum testificationis divinæ, quia Miraculum in hoc differt a sigillo regio *quod supponat necessario scientiam Dei de veritate vel falsitate doctrinæ* in

cujus confirmationem exhibetur quod (sc. quam scientiam sive cognitionem veritatis aut falsitatis doctrinæ) non habet sigillum regium, cum potuerit voluntate antecedente a Regi dari ignorante quid in scriptura postea sigillanda continendum esset. *Non posset tamen Deus id antecedenter promittere, nisi prævideat, non sequuturum abusum*, quia Deus non potest deficere suæ promissioni. — Unde appareret aliud discrimen quod Rex in rigore loquendo non loquatur, nec aliquid affirmet tunc *quando* ejus sigillum apponitur ex commissione vel mandato generali antecedenti, quo sigillum alicui commisit. Ille enim solus loquitur in rigore, qui affirmat se aliquid cognoscere et scire verum esse quando loquitur, quia loquutio tendit ad manifestandam et communicandam scientiam *præsentem* ipsius loquentis : quare cum sigillum regium, ab alio appositum, non significet *nunc* Regem scire id verum esse, non loquitur formaliter Rex per sigillum ita appositum, sed solum potuit Rex antecedenter præcipere subditis obedientiam et fidem iis scripturis præstandam, sicut ipse loqueretur. Si autem sigillum aliquod esset ita essentialiter Regi affixum, ut non posset, *nisi a Rege ipso scripturæ conscio* apponi; jam tunc Rex per sigillum loqueretur, quia sigillum illud significaret sufficientem scientiam quam Rex habebat et communicare intendebat tunc quando sigillum apposuit. Talia autem sunt miracula vera a Deo in ejusmodi circumstantiis patrata : *quæ cum non possint nisi a Deo fieri et quidem a Deo conscio doctrinæ quæ tali Miraculo sigillatur :* eo ipso ostendunt Deum per ejusmodi Miracula et sigilla loqui et manifestare mentem suam. Hinc enim est quod Deus teneatur assistere summo Pontifici, ne aliquod falsum dogma Ecclesiæ proponat; quia supposita Christi promissione, jam Deus per Pontificem censetur proponere et ideo non potest etiam ex alio fine permittere, quod Pontifex ex cathedra falsum dogma pro-

ponat : quia cum jam ex Dei institutione propositio illa Pontificis sit quasi ejusdem Dei subscriptio, et *ipse Deus sciat optime veritatem vel falsitatem doctrinæ quæ suo nomine proponitur*, non potest permittere quod falsa doctrina suo nomine et subscriptione proponatur, quia particeps fieret deceptionis et falsitatis. » Et paucis interjectis ita pergit : « Potest autem hæc distinctio explicari et confirmari ex deceptione etiam quæ ex vocibus ipsis provenire diversimode potest. Ad hoc enim ut aliquis per voces non decipiat, sufficit *et requiritur* quod eas proferat *in eo sensu quem in iis circumstantiis, per se loquendo, significare possunt*. Unde si interrogante aliquo, an sis filius Pauli qui revera est tuus pater, tu respondeas : *non sum*, credo quod non excuseris a mendacio et deceptione *ex eo quod non habeas intentionem proferendi eas voces ad respondendum*, sed ad probandam vocem, et exercendam linguam latinam, vel aliquid simile. Nam in iis circumstantiis voces illæ, per se loquendo, significant determinate intentionem respondendi (1). » Quæ omnia vel eo magis obtinent, quod Miracula, uti vidimus, per se ordinata sunt ad solam veritatem, in iis saltem circumstantiis quibus doctrinæ falsitas ex prudenti examine non colligitur. — Resumendo proinde quæ ex tanto theologo retulimus postremam hanc objectionem solvere possumus, *negando suppositum*, quod erat posse Deum elargiri, de fine optimo, virtutem Miraculorum, alicui quem præscit dicto charismate abusurum ad confirmandum errorem, ita nempe ut deceptionem permittat quidem Deus, non vero intendat. — Nam antecedenter ad collationem hujus virtutis supernaturalis infallibiliter noverat Deus hujusmodi donum ad falsitatem firmandam fore assumendum. Ergo si concurreret ad hujusmodi Miraculum, casu quo fieret ad errorem con-

(1) *Op. cit.* Disp. II, sect. 1, n. 14 sqq.

firmandum, idque eo ipso momento quo ipse optime falsitatem novit, non minus positive et actualiter deciperet quam si testaretur verum esse id quod falsum est. Quemadmodum igitur Rex, si suo sigillo ornaret litteras quibus videret manifestum mendacium circa ejus voluntatem contineri, nil a deceptione foret excusandus, quidquid de bona intentione obtenderet ; ita profecto neque Deus in casu excusandus a mendacio esset. Dicendum proinde est infinitam Dei veracitatem ac Providentiam postulare, ne unquan concedat virtutem miraculorum qua prævidet hominem abusurum ad falsitatis aliunde non patentis confirmationem. Atque ex his etiam vides quid tandem dicendum sit de exemplis quæ postremo Hurtado refert, de eo scilicet cui revelasset Deus se in crastinum Miraculum fore patraturum quique interea falsam doctrinam prædicaret, annuntians se miraculo illam esse confirmaturum, vel etiam de miraculo quod Deus faceret ad alicujus petitionem, sed quo errorem non patentem alius quidam comprobaret. Nempe, in his iterum simpliciter *negandum suppositum*, sive potuisse Deum polliceri Miraculum in talibus adjunctis. Ratio eadem est : nam ab æterno novit Deus opus istud miraculosum ad erroris confirmationem fore usurpandum ; aliunde opus ab eo solo fieri potest ac per se exclusive determinatum est ad veritatem in casu significandam. Ergo si Deus ad illud concurrat, formaliter testimonio suo solemni et actuali tanquam veritatem assereret actualem et cognitum errorem. — Ad rem de Lugo iterum : « De illo, inquit, qui ex Dei revelatione sciret Miraculum a Deo cras a Deo operandum ex alio fine, et ipse idem miraculum offerret in confirmationem erroris quem suadere intendebat ; ad hæc, inquam, et similia dicendum est ex doctrina supra tradita, Deum *non posse illa Miracula operari* in iis circumstantiis, *in quibus sciri non posset, Deum ex alio fine ea operari.* Ad hoc enim veracitas obligat ut diximus, ut non solum non exhibeamus signa ad

significandum falsum, sed neque etiam ad aliud verum significandum quando ipsa ex se in his circumstantiis determinata sunt, per se loquendo, et non solum per accidens ob ignorantiam privatam alterius, ad significandum illud falsum. Unde interrogatus a Petro de aliquo falso, non potes affirmative respondere, quando ea responsio, per se loquendo, determinate significat te Petro respondere, etsi eodem tempore alius occulte te interrogaret de aliquo vero, cui tu respondere intendis, et non Petro, quando illa occulta interrogatio ab aliis omnibus interrogatur et ideo tua responsio externa non potest accipi nisi ut directa ad Petrum. *Quia intentio sola non variat significationem determinatam quam voces vel signa de se habent*, et ideo non sufficit ad excusandum in falsitate et mendacio, cujus malitia consistit in usu vocum vel signorum *habentium determinatam significationem externam*, contra id quod verum est. Sic ergo Deus non potest exhibere verum Miraculum, quando illud in iis circumstantiis determinate significat contestationem vel confirmationem alicujus falsitatis. Unde nec potuit Deus revelare illud Miraculum futurum prævidens circumstantias, in quibus debebat determinate significare confirmationem alicujus falsitatis, quia nec poterat in iis circumstantiis illud operari. (1)» Neque magis poterat, in similibus adjunctis, miraculum istud indulgere alicujus fidelis orationi, præsciendo nempe simul illud ab alio ad falsitatem confirmandam fore assumendum, ut ex dictis constat. — Nullius vero difficultatis esse potest postrema comparatio de ministro abutente regio sigillo præter ejus voluntatem. Ut enim animadversum fuit, disparitas est quod Rex actu nequeat præscire abusum ministri : si vero, in ipso momento quo minister regio abutitur sigillo, ipse Rex hanc deceptionem resciret, teneretur ex æquitate eam impedire. At

(1) Ubi supra, n. 28.

Deus, ab initio collatæ Miraculorum virtutis, infinita sua comprehensione complectebatur futurum illius usum omnem : cum vero singulis vicibus quibus illa effectum sortiatur, virtualiter loquatur, vel antecedenter, ex præscripto æquitatis, tenebatur non dare virtutem Miraculorum in tali casu.

7. At conantur etiam auctores quos diximus sententiam suam firmare exemplo potestatis consecrandi, quam Deus dare potest sacerdoti alicui, quamvis prævideat eum hac abusurum sive ad hæresim confirmandam, sive ad alium finem malum : item exemplo illius qui dono curationis vel aliis supernaturalibus charismatibus abutitur ad vanam gloriam vel quæstum, ut inter Corinthios accidisse satis Paulus Apostolus innuit. Verum neque in his exemplis adest cum re nostra paritas. Nam, quod sæpius dixi, vis argumenti cui potissimum innititur argumentum de impossibilitate Miraculi ad erroris confirmationem non tantum in eo est quod miraculum tanquam a principali causa producatur a Deo, sed in hoc maxime quod, in actuali sua connexione cum doctrina determinata, Deo evidenter non indigna, æquivalens et actuale ejus testimonium sit, ad solam veritatem asserendam determinatum. — Jamvero, confectio sacramentorum, licet a Deo tanquam a principali operante pendeat, tamen nec per se neque ex hypothesi ordinata est ad *contestandam veritatem* vel ministri sanctitatem : item nec alia charismata gratis data huc proprie spectant ut signa sint humilitatis vel virtutis thaumaturgi, quod tum ex gratiæ gratis datæ conceptu, tum etiam ex tota epistolæ ad Corinthios prioris œconomia, in qua divina doctrina de hisce gratiis maxime continetur, manifesto patet. — Esto quod vana gloria vel lucrum cæteraque id genus vitia non minus perversi fines sint quam erroris confirmatio : diversitas tamen maxima inter ista habetur, quod præcise rem nostram spectat : nimirum diversa plane ratione se habet Deus *in ratione testis* ad

vanitatem aliaque consimilia vitia atque ad *erroris confirmationem*. Nam in secundo casu formaliter testis foret erroris, eo quod miraculum in his quæ dicta sunt adjunctis, exclusivum criterium sit veritatis : secus, in priori suppositione, cum charismata gratis data sive sacramentorum confectio et supernaturalis potestatis concessio minime sit criterium virtutis subjecti.

8. Ex dictis patet, opinor, ex moralis imputationis regulis, Miraculum quod in doctrinæ alicujus comprobationem efficitur, *cujus falsitas post examen accuratum non constat*, certum de illius veritate et divinitate criterium præbere, ut neque de potentia absoluta, ut ajunt, possit in casu Deus ad tale miraculum concurrere.— Porro hanc tantum Quæstionis faciem auctores fere perpendunt, quæ profecto sufficit ut constabiliatur probativus miraculi valor, in ratione criterii supernaturalis revelationis. Sed quæri ulterius potest, num saltem valeat Deus concurrere ad veri miraculi effectionem *quando colligi a prudentibus potest, Deum in casu miraculum facere propter finem ab illo distinctum quem ei impostor Thaumaturgus affingit?* Quamvis autem hanc hypothesim dedito consilio magistri vix examinaverint, in affirmantem tamen sententiam subinclinant Suarez et Em. de Lugo. Observant enim errorem, si quis in casu sequatur nulla ratione Deo imputari posse, sed tribuendum esse « ignorantiæ ejus qui decipitur, eo quod ignoret id quod jam Deus sufficienter manifestaverat circa suam intentionem in hoc miraculo (1). » Opportune tamen ad quæstionis hisce terminis constrictæ solutionem nonnulla notaveris. Quippe multiplici modo potest Deus, in his quæ diximus, adjunctis, concurrere ad Miraculum. Primo fieri posset ut ipse daret alicui thaumaturgo virtutem miraculorum propter

(1) De Lugo. *Ubi supra*, l. c. — Cf. Suarez *De mysteriis vitæ Christi*, Disp, 31, sect. 3, n. 7, 8.

finem aliquem *determinatum*, secundarii tamen ordinis, a primario Miraculi fine *in ratione sigilli divinæ Doctrinæ* diversum : ut esset, v. g., si Deus charisma miraculorum cuipiam concederet ad temporalem aliquam proximi utilitatem vel simile aliquod *positivum* bonum; thaumaturgus autem charismate suo ad comprobationem doctrinæ abuteretur *cujus tamen falsitas prudenti cuique innotescere in casu possit.* Certe, speculative loquendo, nihil sit in eo Dei concursu quod divinam veracitatem dedeceat. Error enim si quis foret non Deo sed unice hominum imprudentiæ foret tribuendus. Idem quoque dixeris si Deus tribueret alicui impio potestatem miraculum producendi ad certum finem sua sapientia dignum, v. g. ad justorum probationem, malorum punitionem, etc., licet prævideat unum vel plures fore qui ex hoc signo Thaumaturgi sanctitatem sint deducturi, vel nonnihil spiritualis detrimenti accepturi. Nam novit cordatus quisque donum miraculorum esse gratiam gratis datam ac proin ministri virtutem per se non demonstrare; nequeunt igitur ex hoc decipi nisi illi qui prudentiam sponte omittunt. — Hæc tamen *speculative* loquendo dicimus et respiciendo præcise Dei veracitatem. Nam paulo secus dicerem si res practice respiciatur. Licet enim in iis quas diximus circumstantiis lædenda non foret Dei veracitas qua talis, ex suo ad miraculosum opus concursu; postulare tamen videtur Entis Sapientissimi ac Sanctissimi notio ut ad sua opera utatur instrumentis quæ sua conditione aliquam cum eis proportionem habent, quod præprimis obtinet ubi agitur de operibus plane extraordinariis, ut miracula existunt. Ergo si rem adæquate spectes aut vix aut etiam nunquam usus fuerit Deus Thaumaturgi impostoris opera. Ac propterea maxime id asseruerim, quod vix ac ne vix quidem finis cogitari possit quem nequeat ipse consequi ex naturali Spirituum ministerio. Sive enim justorum fidem explorare velit, sive malorum pervicaciam

castigare, præsto illi sunt spirituum mirabilia quæ insitis suis viribus exercere valent. — Imo spectata hominum communi existimatione, non parum sui roboris amitteret Fidei supernaturalis causa, si non existeret certum operum genus quæ *veritatis* comprobationi unice reservantur et nullo unquam casu errorem afficere valent, dato etiam quod iste a prudentibus colligi posset. Quare, quidquid auctores nonnulli in contrarium attulerint, aut potius insinuaverint, juxta nos, veri nominis Miraculum semper *exclusivum veritatis criterium est*, et *incommunicabile Dei sigillum* (1).

9. Præter difficultates speculativas quas diximus, alia etiam dubitatio oriri in re nostra posset ex iis quæ traduntur ab Auctoribus de possibilitate restrictionis mentalis, qua Deum in suis ad homines manifestationibus uti posse existimant. Scilicet theologi nobilissimi, ut Navarrus, Sanchez, Suarez (2), admittunt in Dei revelationibus existere posse Restrictionem pure mentalem quæ nullis etiam extrinsecis adjunctis manifestetur. — Alii vero plures ut Cajetanus, Soto, Layman, de Lugo, Platel, rejecta ista Restrictionis specie, admittunt tamen in Dei loquutione existere posse restrictiones non pure mentales seu cujus apparens sensus ex adjunctis a prudente dicerni possit ac determinari. At vero nulla heic cum re nostra paritas. Nam, ut notat Malderus noster in suo *de Restrictionum mentalium usu* Commentario, has adhibere tantum potest Deus quando signa quibus utitur non sunt natura sua determinata ad unum (3), seu ut optime explicat Platel, restrictio tunc tantum in Deo admitti potest

(1) Cfr. de habitudine inter Miraculum ac divinam Veracitatem recens et magnæ doctrinæ opus : *Institutiones Apologetico-polemicæ de Veritate ac Divinitate Religionis*, auctore R. P. Gatti, Ord. Præd. Romæ, Typ. Forensi, 1866, T. II, p. 499 sqq

(2) Cfr. Platel. *Synops. Theol.* de Fide, n. 40 sqq.

(3) *Tractatus de Restrictionum mentalium usu*, p. 104.

quando illâ uti « non est simulare quod non est in mente, actu positivo sed dissimulare seu occultare quod est, et hoc non est loqui contra mentem, sed mentem non aperire (1). » Vides itaque in ea sententia theologorum, quomodocumque etiam adstruatur, eum qui utitur restrictione adhibere signa intrinsece *indeterminata ad unum* et negative potius quam positive se habere ad enuntiationem. At si Deus vero miraculo firmaret errorem cujus falsitas prudentibus non innotesceret, uteretur signo exclusive ad veritatem comprobandam destinato, in confirmationem erroris idque ratione maxime positiva, cum agatur de opere quod præter exigentiam et supra vires naturæ totius, ipse solus influxu prorsus speciali patrare valeat : ut adeo dicendum foret, non modo adesse in casu moralem illam inconvenientiam quæ resultat ex præpostero usu medii ad finem cui non proportionatur, verum etiam formalem deceptionem ac verum et proprie dictum mendacium. — Cæterum hæc generaliter observata sunt, nam restrictionem pure mentalem, fateor, in Deo non admiserim. Nempe, cum in casu absconditus et verus sensus verborum ex nullis adjunctis innotescere queat prudenter omnia expendenti, enuntiatio, prout in concreto consideratur, est simpliciter falsa ; per se enim simpliciter alia est ac audienti necessario apparet. Constare proin videritur talis restrictio loquutione contra mentem sive mendacio. Nec quidquam juvat loquentis intentio. Quod enim optimo jure statuit Patel, « eo ipso quod efficaciter vult (loquens) proferre verba quæ, spectatis omnibus, sunt tantum significativa falsi, efficaciter vult significare quod scit esse falsum, adeoque loqui contra mentem. Unde non potest simul velle significare quod scit esse verum nisi inefficaciter, sicut libere peccans potest nolle peccatum (2). » Certe

(1) *Ubi supra*, n. 43.
(2) *Ibid.*, n. 40.

quidquid sit, ii ipsi qui in Deo hanc etiam restrictionem mentalem admittunt, eam nequaquam recipunt in *re ad fidem divinam pertinentem*, ut ex iis constat quæ de absoluta veritate fidei, cui nihil falsi possit subesse, iidem auctores unanimiter docent. Sive igitur prior sententia admittatur, sive altera nihil inde sequitur contra probativam vim Miraculi.

10. Neque magis morari nos debet Auctores nonnullos ut Arriaga, de Lugo, Ripalda, Platel, sensisse nil Dei sanctitati repugnare si erroris actum vel etiam habitum homini *positiva sua actione* infundat. Nam omnes illi Doctores assertum hoc ita intelligunt quod possit quidem Deus actum vel habitum erroris infundere quo homo assentiatur objecto falso, *non judicando Deum ita sentire :* nequaquam vero quod sic errorem infundat ut homo etiam exercite judicet in casu *Deum ita sentire.* Audiatur doctissimus Platel cui cæteri adstipulantur omnes : « Non posse Deum homini, scribit ille, actum erroris sic infundere, ut per hoc affirmet falsum, v. g. solem esse bipedalem, quod fieret si vi istius infusionis homo non solum judicaret solem esse bipedalem, sed etiam *Deum ita sentire*, *idque sibi per istum actum significare;* quia hoc esset loqui contra mentem : posse tamen actum erroris sic infundere, ut per illum homo tantum assentiatur objecto falso, non judicando Deum ita sentire, idque per illum actum sibi significare, ut contingeret, si iste actus sic infunderetur, ut nullo modo adverteretur esse a Deo (1). » Atque hujusce explicationis auctores ipse affert de Lugo, Hurtado, Arriagam, Ripaldam etc. — Jamvero, vel exinde cernis quanta sit in eo casu cum falso miraculo disparitas. Si enim hoc Deus patraret ad probandam divinitatem doctrinæ cujus falsitas ex morali circumstantiarum examine non innotescit, non tantum fal-

(1) Ibid. n. 45, sqq.

sum in homine judicium Deus causaret, sed insuper causa esset quod ille, invincibili errore, arbitretur Deum ipsum ita in casu judicare : miraculum enim in hisce adjunctis determinatum est ad solam veritatem confirmandam. Illud vero tanquam impossibile et iniquum Auctores rejicunt omnes. Cæterum hanc quoque sententiam de erroris infusionis possibilitate, eo sensu explicatam ipsi cum Suarez, Granada, de Koninck, Kilber aliisque compluribus rejicimus. Ratio sit quia quemadmodum videtur repugnare quod Deus positive infundat homini mendacium, ita etiam repugnare dicerem quod infundat errorem; *errorem* quippe positive causare, non minus ac *mendacium* infundere, primam veritatem dedecet, « cum ille qui per se et scienter producit in alio errorem virtualiter mentitur, eo quod virtualiter loquitur, licet ab audiente non advertatur loqui (1). » Nihil igitur miraculi valori obstat ista sententia sive rejiciatur, sive etiam adoptetur.

11. His de probativo Miraculi valore in divinæ fidei et œconomiæ Supernaturalis atque revelationis facti probatione notatis, quæstio occurrit jam solvenda fundamentali huic Doctrinæ capiti suapte natura maxime affinis. — Quæritur itaque quid faciant Miracula patrata in doctrinæ confirmationem in ordine ad ejus credibilitatem ? — Paucis respondeo 1° Miracula non faciunt doctrinam quam afficiunt evidenter veram, at 2° neque illam faciunt evidenter credibilem si sermo sit de evidentia *metaphysica* sive respectu audientium sive etiam respectu ipsius testificantis; verum, 3° faciunt illam evidenter credibilem evidentia *morali*, seu excludenti omnem formidem *rationabilem* de opposito. Est communis Doctorum sententia, quam breviter statuemus. Porro inprimis animadverto cum Em. de Lugo quod evidentia intellectualis, prout distinguitur ab eviden-

(1) Kilber *de Fide*, c. 2, art. 1, n. 195.

tia, non potest in alio consistere nisi in hoc quod intellectus convincatur *ab objecto* ipso et necessitetur ad assentiendum (1). Hoc autem posito, nulla probatione eget prius assertum. Nam quidquid sit de evidentia credibilitatis Doctrinæ per miraculum confirmatæ, de qua statim, patet supernaturalis Revelationis capita seu Mysteria nullatenus reddi *intrinsece* seu in se ipsis evidentia, eo quod nobis constet certo ea Deo fuisse hominibus revelata. Cum enim Mysteria sint, usque in se ipsis menti anæ inaccessa manent, neque proin ex miraculo redıtur *evidenter vera.* — Tota proin quæstio reducitur ad *identiam credibilitatis* supernaturalis Doctrinæ et de illa quæritur *utrum per miracula* evincatur? Jamvero evidentia credibilitatis a Scholasticis duplex ponitur : *metaphysica* quæ talis est ut omnem etiam imprudentem formidinem removeat; et *moralis* quæ convincit quidem intellectum rite dispositum sed ita ut possit tamen, si velit, imprudentissime dissentire (2). Porro dicimus Miracula etiam stricte sumpta non secum trahere evidentiam metaphysicam circa factum Revelationis seu credibilitatem supernaturalis Doctrinæ quam afficiunt. Ratio a priori hujus assertionis est quod actus Fidei supernaturalis in præsenti œconomia sit essentialiter obscursus, idque non tantum *permissive* seu ita ut ex suis intrinsecis non postulet evidentiam in objecto sed etiam *exigitive* seu ita ut positive per se exigat objectum non cognosci clare sive ex suis intrinsecis, sive ex principiis etiam extrinsecis talibus quæ *irrationabilis saltem dubitionis* facultatem tollerent, quod fidei meritum ac libertatem auferret. Itaque si per Miraculum Mysteria fierent evidenter credibilia, *evidentia nempe metaphysica* seu quæ omnem etiam impruden-

(1) *De Fide.* Disp. II, s. I. Cf. etiam Kleutgen. *Theologie der Vorzeit.* II, 4e ab handl. p. 419.

(2) Cf. Platel. *Synopsis Theol.* P. III, § 2, n. 56, sqq.

tem de opposito formidinem tollit, atque ipsum *factum Revelationis* metaphysice evidens facit; daretur hoc ipso circa objectum credendum *evidentia attestantis,* atque Fidei actus, qualis in homine viatore exigitur, non esset jam possibilis. — Audiatur Em. de Lugo : « Posito assensu evidenti utriusque præmissæ et notitia evidenti de bonitate illationis, ait, veritas conclusionis non potest manere *simpliciter obscura :* nam licet non appareat veritas conclusionis in se ipsa *sed in alio,* nempe in veritate principiorum, hoc non sufficit ad obscuritatem... Denique sicut ex vero non potest sequi nisi verum; sic ex evidentibus non potest sequi nisi aliquid evidens; quia sicut, si ex vero sequeretur falsum, cogeretur intellectus ad asserenda duo contradictoria; ita si ex evidentibus sequeretur necessario aliquid inevidens cogeretur intellectus ad fatendum præmissas non esse evidentes; quia vel cogeretur ad formidandum de veritate præmissarum, si formidat de veritate conclusionis sine qua præmissæ non possunt esse veræ; vel saltem cogeretur ad fatendum non esse evidentes præmissas, cum non sit evidenter verum id sine quo præmissæ non possunt esse veræ. Ad quod cogitur hoc syllogismo : Evidens est omnem revelationem Dei esse veram : *Sed evidens est hanc esse revelationem Dei.* Ergo evidens est, eam esse veram et per consequens objectum revelatum esse verum. Cujus syllogismi efficaciam licet enervare contendat Hurtadus, re tamen vera efficax est, quia reduci potest ad formam legitimam hoc modo : Quotiescumque constat evidenter quod aliqua sit revelatio Dei, constat evidenter eam habere prædicata essentialia revelationis divinæ : *Sed constat evidenter hanc esse Revelationem Dei.* Ergo constat evidenter, eam habere prædicata essentialia revelationis divinæ. Cum vero evidens sit, veritatem esse prædicatum essentiale revelationis divinæ, evidens erit hanc revelationem esse veram et per consequens ejus objectum esse verum, cum veritas

nihil aliud sit, nisi conformitas revelationis cum objecto revelato. Non potest ergo negari quod evidentia in attestante generat evidentiam veram et propriam mysterii revelati (1). » Similia plane habet Doctor eximius : « Quando fides proponitur hoc posteriori modo (h. e. ex Revelatione mediata prout in actuali Providentia obtinet), *certum de fide est* et experimento cognitum, non esse necessariam evidentiam divini testimonii : (puta, stricte dictam sive metaphysicam) quia constat simplices fideles, imo omnes sic credentes non habere hanc evidentiam ipsus Revelationis, *sed solum credibilitatis ejus,* et quamvis sapientiores majorem quamdam humanam certitudinem habeant, non transcendit humanam et ad summum pervenire potest ad *gradum evidentiæ moralis* (2). » Et alibi addit : « Assensus Fidei nunquam potest per se ac formaliter fundari in cognitione evidente revelationis, quod a Deo sit. Principia evidenter cognita non solum sufficiunt ad efficiendum assensum sibi proportionatum, sed etiam necessitant intellectum ex vi sui luminis ad hunc assensum præstandum. Assensus ille est evidens cum eliciatur ex duobus principiis evidentibus, assensus autem fidei non potest esse evidens (3). » — Atque observant Theologi in hac essentiali Fidei theologicæ obscuritate ipsius meritum radicari, quatenus procedit ex libera determinatione voluntatis intellectum ad assensum inclinante. Nota verba Hugonis a S. Victore : « Quia fideles semper habent locum unde dubitare possunt, ait, et infideles unde crederi valent, juste et fidelibus pro fide datur præmium et infidelibus supplicium (4). »

12. Equidem ut hoc obiter heic moneam, nonnulli fuere, iique maximi nominis Theologi qui fidei compossibilitatem

(1) *De Fide.* D. II, s. 1, n. 11.
(2) *De Fide.* D. 3, s. 6, n. 5.
(3) *Ibid.* n. 19-20.
(4) Ap. Kleutgen. *Ubi supra,* p. 475.

cum evidenti Revelationis notitia adstruere visi sunt. Sic in primis opinati feruntur Cajetanus (1) et Vasquez (2). Verum illa sententia ex communi Doctorum calculo non admittitur de actuali Providentia, quod spectat fidem *hominis viatoris* (3). Certe Cajetanus, quidquid sentiatur de Vasquezio, tantum agit de fide *Angelorum*. Nimirum quærit num Angeli, posita attestantis et Revelationis divinæ evidentia, potuerint adhuc credere? Respondet autem fidem angelis istis adhuc fuisse possibilem, eo quod non habuerint evidentiam mysteriorum intrinsecam. « Angeli boni, sic ille, voluntarie adhæserunt veritati quam mali, nolentes subesse præceptori tradenti *occulta* absque eorum evidentia, superbo oculo contempserunt (4). » Sed ad hanc Dei ordinationem circa angelos minime trahi potest ejus circa humanum genus œconomia. Certe quominus putemus componi posse essentialem Fidei divinæ libertatem cum evidentia Revelationis prohibent ipsa argumenta quæ modo ex Lugo ac Suarezio retulimus ac communis Scholæ traditio. Quin, ex ipsis verbis Cajetani haud ægre inferas ipsum tenuisse fidem Angelorum alterius plane rationis cum nostra fuisse : quippe, fatetur ex ista Revelationis evidentia ipsum mentis assensum *necessario* fuisse sequutum : « Convictio intellectus, ait, ex evidentia testis veri (puta Dei revelantis quæ angelis affuit) non perducebat ad visionem attestatorum, sed ad credendum *vellet nollet* illa (5). » Similiter hanc superiorum spirituum fidem vere a nostra diversam habuit Angelicus Cajetani magister : « Dæmones, ait S. Thomas, *non voluntate* assentiunt his quæ credere dicuntur, sed *coacti* evidentia signorum ex quibus convincitur verum esse quod fideles

(1) *In summ. D. Th.* 2a, 2æ, q. 5, a. 1.

(2) *Comment. in Summ.* P. 1. Disp. 135, c. 3.

(3) Cf. quæ contra Vasquez disputat Em. de Lugo : *De virtute Fidei divinæ.* Disp. II, s. 1, n. 9.

(4) *Ubi supra.* — (5) Ibid.

credunt ; quamvis illa signa non faciant apparere id quod creditur, ut per hoc possint dici visionem eorum quæ creduntur habere. Unde (n. b.) et *credere æquivoce dicitur de hominibus fidelibus et dæmonibus ;* nec est in eis fides ex aliquo lumine infuso, sicut est in fidelibus (1). » Et alibi. « Quod voluntas moveat intellectum ad assentiendum potest contingere ex duobus. Uno modo in ordine voluntatis ad bonum et sic credere est actus laudabilis. Alio modo quia intellectus convincitur ad hoc quod judicet esse credendum his quæ dicuntur, licet non convincatur per evidentiam rei... In fidelibus Christi laudatur fides secundum primum modum et secundum hoc non est in dæmonibus sed solum secundo modo. Vident enim multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesiæ a Deo esse... Hoc ipsum dæmonibus displicet, quod signa fidei sunt tam evidentia et *per ea credere compellantur* et ideo in nullo malitia eorum minuitur per hoc quod credunt (2). » Arbitramur proin fidem angelorum, dato etiam quod eis vel saltem angelo supremo affuerit evidentia attestantis, non debere æquiparari fidei hominis viatoris, sed *in prædicta sententia* tribuendam esse eis cognitionem supernaturalem a fide nonnihil distinctam, ut tenuerunt Durandus (3), Halensis (4), S. Bonaventura (5), Hugo a S. Victore (6), alii (7). — Cæterum, ut hoc non omittam, non concedunt omnes Theologi, affuisse vel ipsi angelo supremo evidentiam attestantis : quibus plane quidem assentiar. Etenim, ut verbis utar Em. de Lugo : « potuit Angelus formidare (saltem imprudenter) ne forte daretur

(1) *De verit.* q. 14, a. 9, ad 6.
(2) *Summ. Th.* 2ª, 2æ, q. 5, a. 2. Cf. Kleutgen. *Ubi supra*, p. 477.
(3) *In mag. sent.* L. III, Dist. 23, q. 9.
(4) *Summ.* P. III, q. 80, memb. 2.
(5) *In mag. sent.* L. III, D. 23, a. 2, q. 3.
(6) *De Sacramentis.* L. I, p. 6, c. 14.
(7) Cf. de Lugo : *De virtute fidei divinæ.* D. II, s. I, n. 13 coll. D. 17, s. I, n. 4. — Item. Granado, *de Fide :* Tr. 13, s. 2, n. 15.

aliqua creatura superior sibi ignota quam Deus tunc illi occultabat et cui permittebat ob aliquos fines eum decipere : quod fieri potuit impediente Deo ne angelus cognosceret supernaturalitatem revelationis et quidditatem illius ex quo poterat aliquo modo formidare an esset a Deo vel ab alio (1). » Qua observatione, generalis doctrina de inevidentia attestantis prorsus confirmatur. — Sed miraculis non comparari metaphysicam Revelationis evidentiam inde etiam veluti *a posteriori* probatum habes quod nequeant homines cum metaphysica evidentia divinam miraculi originem rescire. Possunt enim, ut animadvertit Suarezius (2) usque dubitare num forte sibi non affuerint præstigia dæmonum vel phantasiæ illusiones vel alia etiam similia excogitare quibus miraculosi eventus veritas ac probandi vis elevetur. Esto talia dubia maxime irrationabilia fore : possunt tamen ab eo cujus voluntas male est disposita congeri ad fundandum dubium saltem imprudentissimum et sic impedire quominus certitudo de miraculo dicatur absoluta sive metaphysicæ et apodicticæ evidentiæ. Audiatur heic iterum de Lugo : « Pro cujus explicatione, inquit, adverto, regulariter loquendo, neque etiam ipsius miraculi evidentiam ab hominibus haberi. Multa enim possunt Dæmonis opera fieri quæ secundum apparentiam miracula etiam appareant : qualia fuerunt quæ a Magis in præsentia Regis Pharaonis facta fuerunt, et quæ Deo etiam permittente, Antechristus, dæmonis etiam interventu operabitur ad decipiendos, si fieri etiam posset, ipsos electos et ad persuadendum se esse verum Christum (3). » Hactenus ille. — Verum dico 3° Miracula probant factum divinæ Revelationis cum evidentia morali qualis factis unice competit. Reddunt proin

(1) *De virtute Fidei divinæ.* Disp. II, s. 1, n. 13.

(2) *De Fide.* Disp. III, sect. 8, p. II.

(3) *Ubi supra*, n. 21. — Cfr. Suarez. *De Fide* D. III, sect. 8 et 9, qui his plane concinit.

doctrinam revelatam evidenter credibilem, eodem nempe evidentiæ gradu, seu ita credibilem ut merito dicatur excludi *omne dubium rationabile de opposito*. Huc referas illa Psaltis regii : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (1), et illud Pauli : « *Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab iis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo, signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus sancti distributionibus* (2)? — Videlicet doctrina aliqua Deo non evidenter indigna, per opus aliquod tale confirmata quod vires naturæ totius transcendit et solius Dei virtuti proportionatum existit, certo pro divina et revelata haberi debet, ut ex disputatis constat. Liceat rursum afferre citata jam Suarezii verba. Postquam nempe animadverterat miraculum evidentia morali comprobare veritatem quam connotat : « Quod ita declaro, inquit, supponendo id quod in tractatu *de Fide* latius docetur, pertinere ad divinam Providentiam ut non permittat aliquid falsum suo sub nomine et auctoritate ita proponi, atque exterius confirmari, ut *secundum rectam rationem* cogantur homines ad credendum illud esse dictum a Deo, et assentiendum *ea certitudine quæ omnem dubitationem expellat* (intellige omnem formidinem rationabilem ac prudentem). Nam si concurrentibus tot signis et divinis operibus exterius factis in confirmationem veritatis, adhuc subesse posset falsitas, nulla superesset via ad credendum Deo loquenti per homines vel per signum quod est contra divinam veritatem et auctoritatem quam ipsum oportet habere in dicendo (3). »

13. Novi ab Em. de Lugo negatum fuisse hanc evidentiam Revelationis quam procurant miracula *evidentiæ mora-*

(1) *Ps.* 92. — (2) *Ad Hebr.* 2.
(3) De mysteriis vitæ Christi. D. 31, sect. II, n. 7.

lis nomine debere nuncupari. « Quippe si talis existeret, inquit, non tam multi reperirentur qui a fide deflectunt, cum nullus sit qui inficietur v. g. Indiarum existentiam, et alia moralis evidentiæ objecta (1). » Verum, ut candide dicam quod sentiam, hæc lis fere sit de nomine. Etenim ut notat Arriaga quem refert et sequitur Platel (2), ratio discriminis quod existit inter objecta evidentiæ moralis et factum divinæ Revelationis assignari potest quin negetur *moralis illa evidentia* quam suppeditant miracula de Revelationis existentia. Scilicet licet motiva credibilitatis fidei universim et in specie certa miracula, *a parte sui* considerata, multo sint efficaciora ad fidem faciendam quam hominum de Indiarum existentia relationes; tamen, si respiciantur *relate ad nos*, difficilioris sunt applicationis : plura quippe continent a sensibus remotissima, unde facilius *irrationabili saltem dubitationi* locum relinquunt. Neque omittatur etiam illud, Revelationem non tantum speculativa dogmata exhibere, sed gravia etiam et exosa corrupto homini officia. Quæ si complexus fueris animo, minime mirabere minorem, ut sic loquar, speciem isthæc credibilitatis motiva habere ac leviorem gignere impressionem, saltem apud eos qui non accurate omnia perpendunt, quam cætera evidentiæ moralis objecta. Istorum enim plurima ne imprudens quidem dubium patiuntur in homine sensato : contra imprudentis dubitationis possibilitas circa Revelationis existentiam de facto usque manet. Vides tamen hoc non esse repetendum a parte motivorum, sed potius a defectu applicationis et considerationis. Porro, quia, ut ajunt, plus et minus non mutant speciem, miraculis moralem Revelationis evidentiam comparari tuto licebit affirmare (3). — Interea quam magna,

(1) *De Virt. Fidei divinæ*. D. II, n. 40.

(2) *Synopsis Theologica*. P. III, c. 1, § 2, nn. 56 sqq.

(3) Cf. opus egregium D. Murray : *Tractatus de Ecclesia Christi*. Dublini, M. Glashan 1860. Vol. I, Fasc. I, p. 47 ubi Fidei credibilitatem eodem modo explicat.

quam firma sit ista moralis evidentia de Fidei nostræ divinitate ac credibilitate ex iis quæ de probativo miraculi valore diximus apparet. Recolere heic liceat veneranda S. S. Pii IX verba, ex ipsius 9 novembris 1846 Encyclica : « Quam multa, quam mira, quam splendida præsto sunt argumenta quibus humana ratio luculentissime convinci *omnino debet*, divinam esse Christi religionem et omne dogmatum nostrorum principium ac radicem desuper ex cœlorum Domino accepisse, ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare et quod firmioribus innitatur principiis... Quæ certe omnia tanto divinæ sapientiæ et potentiæ fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce æque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei auctorem existere ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate penitus abjecta atque remota omne eidem fidei obsequium præbeat oportet. » Hucusque gloriosus Pontifex.

14. Post ea quæ notavimus, vides quid tandem opinandum sit de sententia Durandi qui in suo ad Magistrum sententiarum Prologo negavit Miracula evidentiam præbere veritatis quam afficiunt. Nempe, si ipse hoc intelligendum voluit de evidentia metaphysica, vere habet et cum eo sentimus. Si vero de evidentia vel certitudine etiam morali id tenuit, minus exacte loquutus ea de re fuerit, sicut et de aliis quibusdam ejus sententiis dicendum est. — De habitudine Miraculorum cum Revelatæ Doctrinæ evidentia eorumque probativo valore in re Fidei satis dictum est. Occurrendum jam potioribus difficultatibus quæ in re ista moveri possunt.

OBJECTIONES.

1. Principia hucusque stabilita difficultates quæ in hac materia opponi possunt satis tollunt. Illas heic tantum attingam objectiones quarum solutio nonnihil ad doctrinæ intelligentiam conferat. — 1°, Objiciunt ex ipsa Scriptura enervari probativam Miraculi vim in ratione Criterii. Quippe Hebræos Moses in Deuteronomio monet : « *Si surrexerit in medio tui Prophetes aut qui somnium vidisse se dicat et prædixerit signum atque prodigium, et evenerit quod locutus est, et dixerit : eamus et sequamur deos alienos... Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus* (1). Ex his igitur est ut, teste Mose, prophetia falsa fieri possit atque eventu compleri in falsi cultus comprobationem. Videtur proin *vera Miracula* fieri posse in erroris confirmationem. Non sunt igitur criteria vere indubia seu exclusiva divinæ Revelationis. — R. Huic objectioni quæ variis modis proponi potest, nonnunquam responsum fuit, agere Mosem de casu inpossibili atque intelligendum hunc Deuteronomii locum esse ut illa Pauli ad Galatas : « *Sed licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (2). » Ut proin mens Mosis non fuerit asserere possibilitatem *veri Miraculi* quod errorem confirmaret, sed populum roborare in legis custodia, adducta etiam hypothesi impossibili, quatenus nempe ab illa non possent recedere, quamquam Miraculo in idololatriæ confirmationem patrato Deus eorum fidem tentaret. — At nulla paritas sit inter locum Epistolæ ad Galatas et textum hunc Deuteronomii. Nam ibi agere Paulum de Angelo bono adeoque hypothesim ponere *ab impossibili*, ut ajunt, vel inde constat quod dicat ipse *Angelus de cœlo*, qui

1) *Deut.* c. 13, v. 1.
(2) *Ad Galat.* I, 8.

utique nonnisi confirmatus in gratia esse potest neque falsam doctrinam hominibus afferre. Sed hujusmodi vox aliqua nequaquam occurrit in textu Mosis. Atque hinc est ut hunc locum de pseudo-prophetis intellexerint interpretes et Patres universim. Sufficerit audivisse Augustinum : « Ubi sane intelligi voluit, inquit, etiam illa quæ a divinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic ut fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis : nec præter suam potestatem ostendit esse quod ista contingant, sed quasi quæreretur cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam eorum dilectionem (1). » Hanc vero interpretationem ipsa Scriptura firmat in locis parallelis numero compluribus. Sic dicit Deus Jeremiæ : *Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium qui narraverunt ea et seduxerunt populum meum in mendaciis et miraculis* (2). Et ipse Christus de pseudo prophetis loquens : *Surgent pseudo-Christi et pseudo-prophetæ et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (3). Falso igitur hunc locum atque parallelos Scripturæ textus de hypothesi impossibili intellexeris. — Quid igitur de eis dicendum? Nempe in præsenti loco vel sermonem esse de stupendis signis ac divinationibus a pseudo-prophetis dæmonum opera patratis, vel etiam juxta nonnullos quos tamen non sequimur, agi ibidem de veris Miraculis quæ nonnisi in talibus adjunctis effecta sint ut nullatenus in errorem inducere possint eos qui prudentes esse volunt. Quippe, uti vidimus, nonnullorum Theologorum doctrina est posse Deum facere verum miraculum ad probandam suorum fidem vel de alio fine honesto, atque concurrere cum pseudo-thauma-

(1) *Quæst. in Heptateuchum*, Q. super Deutron. Q. 19.
(2) *Jerem.* c. 23, v. 32.
(3) *Matth.* c. 24, v. 24.

turgo ad illud producendum, dummodo certa indicia adsint ex quibus quisque prudens errorem detegere valeat. — Porro, missa in præsenti utriusque sententiæ differentia, in iis miraculis seductionis omnibus quæ in Scripturis memorantur, comperiuntur testatissima falsitatis indicia, ut proinde hisce portentis nemo seduci possit qui ultro decipi non voluerit. Quippe seductorum præstigia vel monotheisticæ doctrinæ tot certis et omni exceptione majoribus miraculis comprobatæ opponebantur ; vel etiam diriguntur contra Christi revelationem cujus divinitas innumeris signis demonstrata miraculis contrariis nequit elidi. Ut adeo in neutra hypothesi aliquid ex textu Deuteronomii aliisque similibus conficiatur contra probativum veri Miraculi valorem, quatenus etiam speculative loquendo, nunquam per illud commendari potest doctrina falsa, nisi error manifesto appareat : quo casu error non Deo sed hominis imprudentiæ foret tribuendus. — At præterea noto minime necesse esse ut hæc seductionis miracula de veri nominis Miraculis interpreteris. Quippe omnia ex præstigiis magicis, dæmonum opera patratis, optime possunt explicari. Nam et penes dæmones non mediocrem rerum absconditarum cognitionem, imo futurorum eventuum conjecturalem scientiam adesse quis dubitet ? « Dicendum, sic Angelicus, quod Prophetia importat cognitionem longe existentem a cognitione humana : manifestum est autem quod intellectus superioris ordinis aliqua cognoscere potest quæ sunt remota a cognitione intellectus inferioris. Supra intellectum autem humanum est non solum intellectus divinus, sed etiam intellectus Angelorum bonorum et malorum, secundum naturæ ordinem. Et ideo quædam cognoscunt dæmones etiam sua naturali cognitione quæ sunt remota ab hominum cognitione, quæ possunt hominibus revelare (1). » Quin, uti diximus, præferimus sententiam

(1) *Summ. Th.* 2ª 2æ, Q. 172, art. 5 in corp.

quæ tenet *de facto* ad Miracula ex quibus vel justitiam suam exercet vel suorum fidem tentat summus Deus adhiberi spirituum ministerium. — In utraque autem interpretatione conspicis salvum manere probativam vim Miraculi (1).

2. Objicitur 2° : Plures Theologi docent quod Miracula quæ Christus ipse patravit, non *evidenter* convincerent eum esse Messiam et Deum. Ita inter cæteros docet Suarez (2). At plures etiam iique gravissimi Doctores tradunt in Demonstratione Christiana, atque in consideratione Criterii quo comprobetur revelatæ a Christo Doctrinæ divinitas non esse separandas Prophetias quibus ipse prænuntiabatur a Miraculis quibus sibi hominum fidem conciliavit. Ita Sylvius (3), qui huc appellat ipsum Angelicum suum Præceptorem (4), Bellarminus (5), Suarez (6), ut alios mittam. Quin imo, ubi Theologi probant Incarnationis Mysterium non tantum a priori sed neque a posteriori demonstrari posse, animadvertunt Miracula a Christo effecta non probare ejus divinitatem *simpliciter* loquendo, sed in *suppositione prophetiarum* quibus Miracula a Messia efficienda prædicta fuerint (7). Videtur adeo Miraculi Criterium per se non esse demonstrativum Revelationis divinæ argumentum. — Respondeo : Nonnulla sunt in hisce Theologorum sententiis quæ primo quidem adspectu admirationem movent, at si eorum mentem paulo magis scruteris, facile patet nihil in eis esse quod communi doctrinæ de probativo Miraculi valore noceat.

(1) Heic difficultas allata solvitur quatenus *præcise* respicitur ratio divini concursus et miraculi cum divina veracitate habitudo. Quonam autem pacto miraculum *dignosci* possit, suo loco dicemus.

(2) *De Mysteriis vitæ Christ.* Disp. XXXI, sect. II, n. 3.

(3) *Comment. in Summ. Theol.* III, P. Q. 43, art. 1, col. 2.

(4) *Summ. Theol.* III, P. Q. 41, art. 5 in corp.

(5) *De Christ.* s. I, c. 5.

(6) *Ubi supra.* n. 4.

(7) Quæstionem istam ex professo tractat eruditissimus auctor anonymi operis : *Traité dogmatique sur les faux miracles.* Paris. 1737. Sect. II passim.

Et de eo quidem quod docet Suarezius, loco citato, scilicet Miracula Christe non evidenter probare ipsum Messiam esse et Deum, illud ad eximii Doctoris mentem limitandum est ac circumscribendum. Hæc sunt ejus verba : « Miracula Christi per se sola et *cum nullo alio principio conjuncta,* etiamsi evidenter vera esse cognoscerentur, non erant sufficientia ad cognoscendum Christum esse Messiam aut Deum quia poterat Deus ea Miracula facere per hominem purum qui non esset Messias. Nam etiam Christus Dominus de discipulis suis dixit : « *Majora horum facient* (Jo. 14) (1). » Jamvero quid hæc verba significant? Nihil profecto aliud nisi hoc, nempe operationem miraculorum præcise qua talem et cum nullo alio principio conjunctam, non arguere Thaumaturgi divinitatem. Quis porro ea de re dubitat? Sane eo ipso quod quævis creatura, absolute laquendo, in Miraculosi effectus instrumentum assumi possit, sat evidens est ex sola virtute patrandi Miracula non sequi subjecti divinitatem, cum ne ejus quidem sanctitas in rigore inde deduci queat, quod ipse Suarezius paulo post docet. At vero, nunquam fuit apologeta ullus qui dum de Miraculorum vi probativa disserit, illa consideret *seorsim ab ullo principio alio*, ut cum Suarezio loquar. Semper enim, quod sexcenties jam dixi, considerantur Miracula quatenus connotant ipsam doctrinæ divinitatem in cujus argumentum a Thaumaturgo afferuntur, ac authenticam ipsius præconum cælestemque missionem. Atque hinc est ut statim idem Doctor, ulterius in sua disputatione progessus, respiciat jam Christi Miracula prout, ex ipsius Domini testimonio, in confirmationem efficiebantur Doctrinæ quam hominum fidei proponebat. Nempe « miracula Christi, ait, evidenter cognita *et conjuncta testimonio ipsius Christi qui asserebat se esse Messiam et verum Deum, et in ejus confirmationem*

(1) *De Mysteriis vitæ Christi.* D. XXXI, s. 2, n. 3.

talia Miracula faciebat, convincere poterant Christum esse verum Deum, evidentia morali in testificante. » Et rursum hæc habet de Miraculis Christi prout a veteris Fœderis Prophetis prænuntiata erant : « Miracula Christi, ut conjuncta prophetiis quæ de Messia erant, absque alia Christi testificatione suæ divinitatis, evidenter ostendebant eum esse Messiam et Deum, dummodo et Prophetiæ intelligerentur et veritas miraculorum evidenter cognosceretur. » Et infra, ostendens miracula vera criterium exhibere quo doctrinæ quam connotant veritas comprobetur, ita scribit : « Existimo esse moraliter evidens fieri non posse ut Deus concurrat cum homine ad perficienda vera opera supernaturalia quæ fieri non possunt nisi virtute divina et quod illa faciat in confirmationem falsæ doctrinæ quam ut divinam et a Deo revelatam proponit (1). » — Sed hinc etiam sequitur vim Miraculi in ratione criterii nihil detrimenti capere ex eo quod doceant Theologi prodigia a Christo patrata non probare ipsius divinitatem nisi quatenus sumantur conjunctim cum vaticiniis quæ de ipso Prophetæ protulerant. Ad quod intelligendum, sufficit attendere quod considerant illi auctores miracula Christi *in concreto*, ut ajunt. Videlicet Christus seu Messias ita prænuntiatus fuerat ab antiquis Patribus et Prophetis, ut simul describerent vitam atque opera ejus fere omnia, adeoque etiam ejus miracula. Ergo, *in sensu composito*, seu *positis hisce V. T. Prophetiis*, quarum authentia per miracula ipsa fuerat comprobata, non sufficiebat Christo, ut se Deum ostenderet, *quælibet miracula* proferre, sed requirebatur ut *illa* patraret quæ sacri Vates de eo polliciti erant. Illud vero docent auctores citati : proinde, nil imminuunt vim probativam Miraculi in ratione criterii quam ipsi prorsus *agnoscunt*, sed *qualia in specie* supernaturalia opera in divino Messia requirerentur, ex Prophetarum libris, explicite determinant.

(1) *De Mysteriis vitæ Christi.* Ubi supra, 3, nn. 4, 3, 7.

Quin imo, dum hoc ipsum ad accuratiorem Doctrinæ expositionem faciunt, rursum miraculi valorem egregie commendant. Quare enim jubent in Christo esse reperienda illa ipsa Miracula quæ olim prædicta fuerant? Sane quia ita ferebat antiqui Fœderis Revelata Doctrina. At undenam veritatem hujus Doctrinæ repetebant, nisi ex Miraculis quibus confirmata fuerat, ut ipsi sæpenumero tradunt (1). Quod igitur Christi miracula conjungenda jubeant ipsis Prophetarum oraculis quibus prænuntiabantur, hoc agunt ex Prophetiarum suppositione, nequaquam vero quia per se miraculosus eventus, cum Doctrina connexus, non sufficiens divinæ ejus originis argumentum existimaverint. — Ac similiter, cum a Prophetis prædictum fuisset, non tantum operum virtute Messiam fore agnoscendum, sed et vitæ sanctitate laboribusque pro animarum redemptione susceptis ac vita earum causa profundenda; merito docent Apologetæ hæc omnia *per modum unius veluti complexi criterii*, esse sumenda quo Christi missionis authentia hominibus comprobetur. Usque vero constat valorem Miraculi nihil inde sui roboris amittere. Licet enim non sit criterium de *christianæ Religionis* veritate unicum, vere tamen ejus divinitatem probat, quod ad Thesim nostram satis est. Quin, ut hoc etiam addam, doctrinæ nostræ minimum obsit, si quandoque auctores reperias qui omissa hac distinctione, quam ex Suarezio hausimus, simpliciter inficiantur miraculis Christi evidenter ejus divinitatem comprobari. Illud quippe intellexeris de evidentia stricte tali quam metaphysicam diximus, nequaquam vero de evidentia morali seu tali quæ rationabilem formidinem de opposito tollit.

Objicitur : 3° Dicendum non est argumentum Revelationis quod vix ullum in suadenda homminum mente effectum habuit. Sed ita fuit de Miraculis, quæ procul dubio neque a

(1) Cf. Suarez : *De mysteriis vitæ Christi*. D. XXXI, s. II, n. 4, 5.

Judaica plebe, neque a Pharisæis et sacerdotibus, neque a Gentilibus philosophis agnita fuere. — Respondeo objectionem illam confundere *efficaciam in actu primo seu aptitudinalem* cum *efficacia in actu secundo seu actuali et exercita.* Dicimus porro in miraculorum operatione reperiri a parte actus primi quidquid requisitum est ad verum constituendum argumentum de veritate Revelationis, ut supra evicimus. At si de efficacia in actu secundo agitur, dicendum Miraculorum probationem respui posse ab homine qui libero arbitrio præditus est. Talis enim est Dei sapientissimi in œconomia supernaturali ordinatio, ut naturales creaturarum facultates sartas tectas per omnia servet. Cum itaque homo præditus sit libero arbitrio, Fidei beneficium illi erat non præter voluntatem imponendum. Talia igitur Religionis argumenta esse oportebat quibus supernaturalis doctrina ceu motivis credendi innitebatur, ut quamvis in se efficacissima essent, intellectum tamen nec voluntatem ad fidei obsequium necessitarent. Egregie heic Angelicus qui similem fere difficultatem solvens sic loquitur : « Dicendum quod ea quæ sunt ad finem distinguuntur ab ipso fine. Miracula autem a Christo facta ordinabantur, sicut ad finem, ad rationalis partis salutem, quæ consistit in sapientiæ illustratione et hominum justificatione, quorum primum præsupponit secundum quia, ut dicitur Sap. I, *in malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis :* justificare autem homines non conveniebat *nisi eis volentibus;* hoc enim esset et contra rationem justitiæ, quæ rectitudinem voluntatis importat, et etiam contra rationem humanæ naturæ quæ libero arbitrio ad bonum ducenda est, non autem per coactionem. Christus ergo virtute divina interius homines justificavit, non tamen eis invitis; *nec hoc* (sc. justificare *actu*) *ad miracula pertinet, sed ad miraculorum finem* (1). »

(1) *Summ. Theol.* 2a, 2æ, q. 44, art. 3, in corp.

Miraculis autem actu non necessario convinci seu cogi intellectum, hinc propriissime est quod ejusmodi signa non pariunt *evidentiam metaphysicam* de facto Revelationis et credibilitate Doctrinæ ad ipsum consequente, sed moralem tantum gignunt certitudinem quatenus tale motivum suggerunt credendi ut sano cuique sufficere quidem debeat ad assensum, irrationabiliter tamen repelli possit a mente male disposita et pervicaci.

Porro de Judæorum Christo coævorum incredulitate, nonnulla notant auctores, ex quibus eorum infidelitas, non obstantibus Domini Miraculis, satis explicatur. Nam, ut ipse S. Thomas docet (1), et post eum Suarez (2), Judæorum plebs quæ in Christum non credidit, propter obstinatum animum, de facto non agnovit eum Messiam esse ac Deum. Equidem erat inter eos sparsus de Christo Messia rumor aliquis, quod satis constat ex Evangelio Johannis, c. 7, ubi legitur : *De turba autem multi crediderunt in eum et dicebant : Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit?* — et infra : *Alii dicebant : Hic est vere Propheta ; alii : Hic est Christus ; alii : Numquid e Galilæa venit Christus? et facta est dissensio.* Nuspiam tamen, ut monet Suarez, vestigium occurrit quod certo Christum pro Messia habuerint sed vel fides mere humana vel sæpius etiam dubitatio et suspicio quædam in eis apparet (3). — Alii porro positive Christi prædicationi et Missioni repugnabant variis de causis. Quæ omnia minime eos excusabant de sua infidelitate. Cum enim hæc sit humanæ societatis natura et conditio ut rudes a doctoribus edoceantur, visis tot stupendis prodigiis Christi, debuissent ad ejus discipulos recurrere ; neque dubium est quod, vel mediocri facta diligentia, potuissent plenius instrui et convinci. At hoc interea verum manet, potuisse

(1) *Summ. Theol.* III, P. q. 47, art. 5.
(2) *De mysteriis vitæ Christi.* Disp. XXXI, sect. 4, n. 8. — (3) *Ubi supra.*

eos, propter hanc suam negligentiam, *non percipere satis vim probativam Miraculorum Christi*, ut per illa ad ejus fidem adducerentur. — Verum aliunde etiam erat ut Miracula Christi hanc de ejus divinitate fidem ipsis necessario non afferrent. Quod enim advertit Em. de Lugo (1), poterant, *saltem imprudenter et culpabiliter* dubitare num Christi portenta non essent Dæmonum præstigia. Neque inde excusabiles fiebant, ut idem Doctor notat; si enim sine præjudiciis et cum bona fide tum ipsa Miracula Christi, tantopere a magorum et impostorum fraudibus diversa, tum perfectam prophetiarum in eo adimpletionem considerassent quas scire tenebantur et revera optime callebant, facile de Christi divinitate potuissent convinci. Manebat tamen penes eos possibilitas imprudentissime rejiciendi Christi Miracula et doctrinam. Ex quibus probatum sit, nihil objectivo valori ac efficaciæ Miraculi prout Revelatæ Doctrinæ argumentum est, nocere incredulitatem eorum quibus exhibetur.

4° Objiciunt cum Schelling aliisque Germaniæ rationalistis ipsum Revelationis factum, cujus miraculum criterium sit juxta Christianos, miraculo constare : proinde miraculum miraculo et supernaturale eventum alio supernaturali facto demonstrari : ergo putido circulo contineri Demonstrationem christianam omnem (2). — Respondeo : Revelationem esse quidem Miraculum et supernaturale eventum in suo *fieri* sive in sua ratione formali; at *in facto esse*, ut loquitur schola, et in suo constitutivo externo continetur facto sensibili et physico, cæteris historicis eventibus plane consimili. Rem concrete cogites. Quod homo aliquis proponat aliis aliquam doctrinam, asseratque eam ab ipso Deo hominum fidei proponi, eventus historicus est,

(1) *De virtute Fidei divinæ* Disp. II, s. 2, n. 27.
(2) *Methode der Akadem. stud.* p. 205.

plane consimilis factis quæ quotidie observantur. Equidem quod Deus hanc in specie doctrinam commiserit huic præconi cæteris proponendam, in eo supernaturalis interventio conspicitur, sed hoc ipsum ab externa Doctrinæ de qua agimus, propositione, probe distinguendum est. Probanda hæc missio divina, a præcone allegata. Huc vero adducitur eventus sensibilis ac physicus, talis tamen quod naturæ virtus nulla, hominum moraliter omnium consensu, patrare valet, quodque infinitam in agente vim supponit. Rursum, ipsa externa hujus facti facies prorsus cum eventibus historicis quibuscumque consimilis est. Porro ejusmodi eventum *supernaturalem* esse, ac præter exigentiam et vires naturæ totius illud produci, ratiocinando mens humana infert, ex principiis aliunde notis. Ponatur res ob oculos. Proponit homo doctrinam aliquam pro divina, patrat effectum mirabilem in divinitatis ejus probationem, v. g. mortui resuscitationem, cæci instantaneam sanationem, nullis adhibitis naturæ mediis; immediati testes suis oculis eventum conspiciunt, omni ex parte investigant : recognita porro facti existentia, ratiocinando inferunt naturæ totius ad illud efficiendum impotentiam, concludunt demum Deum sive infinitæ potentiæ causam ejusmodi eventui unice æquipollere et *proin* eventum esse supernaturale seu Miraculosum, ac Thaumaturgi missionem esse vere divinam ejusque doctrinam pro revelata habendam. Ubinam, quæso, circulus? Hallucinantur adversarii, eo quod falso sumunt adstrui a nobis directam et immediatam *supernaturalitatis* facti intuitionem sive cognitionem. Finge hominem aliquem qui privilegium sibi a principe concessum prædicat. Quoniam *exceptio probanda,* affert tibi decretum principis ipsum, quo viso et recognito, asserenti tandem credis. An circulus vitiosus intervenit ullus in casu, eo quod privilegium probaverit ille ex privilegii materiali instrumento? Sane, quemadmodum

respectu tui instrumentum quo Principis voluntas continetur notius est ipsa ejus ordinatione, quamvis in re ipsa hæc conjuncta sint; sic materiale factum miraculi notius est respectu nostri divinitate Doctrinæ sive interventione personali Dei in illius promulgatione. — Profecto philosophos talia opponere pudere deberet, quæ nec confutassem nisi ab incredulitatis principibus in dies renovarentur.

Objicitur 5° : Miracula non sunt criterium Doctrinæ si ipsa Miraculorum veritas ex Doctrina dijudicanda sit. At ita esse discimus ex Augustino : « Quæcumque talia in Ecclesia Catholica fiunt, ait, ideo sunt approbanda quia in Catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur Catholica quia hæc in ea fiunt (1). » — Respondeo : Miraculorum veritas jure dicitur esse dijudicanda ex doctrina, nimirum *negative* et veluti *indirecte,* quatenus illa in specie doctrina cui factum supernaturale accedit, talis esse debet ut, ex suis adjunctis omnibus, Deo digna dici possit atque tota ad fovendam pietatem et morum sanctitatem promovendam composita. Cum enim Miraculum vel ex hypothesi manifestativum sit divinæ veritatis, profecto nequit afficere doctrinam quæ evidenter fundamentalibus Dei attributis legique morum vel naturali honestati repugnat (2). Porro nullus in ea doctrina continetur vitiosus circulus. Equidem dicimus Doctrinam ex Miraculis esse recognoscendam, veritatem item Miraculorum ex ipsa Doctrinæ conditione aliquo sensu æstimandam. At diversi generis utraque cognitio est. Nam prior spectat veritatem Doctrinæ *supernaturalem* et *positivam*, prout nobis innotescit vi ipsius Dei testimonii hominibus exhibiti per opus cujus ipse unus causa existere valeat : altera vero cognitio est veritatis et honestatis Doctrinæ *naturalis* quatenus in ea nihil sit quod a priori cum hypothesi divinæ ejus origi-

(1) *De Unit. Ecclesiæ.* L. 19.
(2) Cf. Prolegomena, p. 36 sqq.

nis repugnat. Ergo in ea affirmatione non magis circulus vitiosus reperitur quam si, ad dijudicandam sapientissimi Magistri operis authentiam, inquiras primo utrum sit dignum ejus scientia atque ingenio, generatim et subobscure saltem præcognitis : atque dein sententias, in opere contentas, summo habeas honori, eo quod a tanto viro revera proponi comperiantur. Ut adeo, prius illud requisitum, quod nempe doctrina, quæ pro divina allegatur et miraculis perhibetur confirmata, sit Deo digna vel certe eo non indigna sit, mere conditio existat *sine qua non* divinæ Revelationis, dum miracula positivum ejus argumentum exhibent. — Jamvero hæc principia viam parant ut allata ex Augustino loca rite intelligantur. Nimirum Augustinus in casu agit de operibus extraordinariis quæ fiebant a Donatistis in comprobationem sui schismatis. Hoc enim legitimum habendum isti volebant eo quod « illa et illa mirabilia fecit Donatus et Pontius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum exaudiuntur (1) : » Vides igitur inter S. Doctorem ejusque qui adversarios rem omnem stetisse in dijudicandis prætensis miraculis quæ Ecclesia Christi doctrinæ opponebantur. Jamvero, cum de istius divinitate prævie jam constaret ex certissimis miraculis Christi et Apostolorum et Prophetiarem sive Scripturæ oraculis, veluti *a priori* litem diremptam esse Augustinus asserit. « Usque adeo, inquit, nihil credi voluit adversus confirmatam Scripturarum auctoritatem (2). » Jubet proin S. Doctor ut, missis ambagibus quibuslibet, quæstio definiatur ex authentico Ecclesiæ Magisterio tot jam argumentis conspicuo et comprobato, minime vero ex signis quæ a Donatistis allegabantur, quæque absque ulteriori examine, nonnisi falsa ac ementita prodigia affirmari jure poterant. Hoc ipsum

(1) *De Unit. Ecclesiæ*, c. 16.
(2) L. 15, *cont. Faust*, c. 5.

clarissimis verbis significat : Nemo ergo, vobis ait, fabulas vendat, et Pontius fecit miraculum, et Donatus oravit et respondit ei Deus de cælo. Primo falluntur aut fallunt... Contra istos, ut sic loquar, *mirabiliarios* cautum me fecit Deus meus dicens : *In novissimis temporibus exsurgent pseudo-Prophetæ facientes signa et portenta, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos* (1). » Unde nec de *certis* neque etiam de *veris miraculis*, sed magis de dæmonum portentis heic Hipponensem loqui nimis perspicuum sit. Sed quo melius implexa nonnihil Augustini sententia habeatur perspecta, observa etiam peculiare miraculorum genus quod Donatistæ jactabant. Quippe consistebant illa morborum sanationibus vel dæmonum exorcismis. Jamvero si exclusive talia opera respiciantur, non semper constituunt *per se sola* sufficiens Religionis Criterium, eo quod a malis etiam Spiritibus ejusmodi signa patranda fore Christus ipse prædixerit. Quare non tantum opera ipsa sive portenta in casu consideranda, sed attendenda in primis *moralis conditio Doctrinæ* quam afficiunt. Unde suimet interpres alibi Augustinus scribit : « Quod ante dicit pseudo-Prophetas multa signa et prodigia facturos, ita ut fallant, si fieri potest, etiam electos, admonet utique ut intelligamus quædam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt. Ita nonnunquam vel Schismatici vel Hæretici *per nomen Christi* exigunt aliquid a potestatibus quibus honori Christi cedere indictum est (2). » Et iterum : « Nam de exclusione dæmonum et de potentia miraculorum, quoniam plerique talia non faciunt et tamen ad Regnum Dei pertinent, plerique autem faciunt et non pertinent, nec nostri nec vestri debent gloriari, si qui forte illa possunt (3). » Ergo qui in istis *mirabilibus* discernendæ fidei medium

(1) *Tract.* 14, *in Joh.* c. 3.
(2) *Lib.* 83, *Quæst.* — Q. 79.
(3) *Lib.* 2, *adv. litteras Petiliani.*

unice constitueret, is signum criteriumque satis dubium adhiberet. Multo proin certius sit, in præsenti Providentia, confirmata jam tot *certis Miraculis* ac Prophetiis Fidei veritate, *dubia signa* negligere et lites ex infallibili Ecclesiæ Magisterio solvere. Hoc nempe medium et omnibus pervium et planissimum est. Quin, ita jam considerata re, Miraculum sive portentum nullum quis recipiat quantumvis extraordinarium videatur, quod Ecclesia illa repellat : maxime, quod semper meminisse oportet, cum miracula sanationis aliaque prodigia quæ a Donatistis jactabantur, per se sola veritatem eorum doctrinæ non probabant, quia æque a malis et bonis spiritibus fieri nata erant ac proin discerniculo, quodam indigebant. Ideo igitur ista et similia portenta ceu vera et divina opera habentur quod vel Ecclesiæ oraculo approbentur vel saltem nulla sui parte Deo indigna apparent. Itaque in eo sensu, quem dixeris *ad hominem*, verissime habet Augustini apophtegma : « Quæcumque talia in Catholica fiunt ideo sunt approbanda quia in catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur catholica, quia hæc in ea fiunt (1). » Et rursum, in proprio istius controversiæ statu, exploratum fidei veritatis criterium optime dici poterat ipsum Ecclesiæ magisterium authenticum, sive, quod eodem recidit, ipsius Catholicitas, amandatis nimis dubiæ conditionis mirabilibus. Atque ita intellexerim insequentia Augustini verba : « Ecclesiam suam commendavit dicens, prædicare in nomine suo pœnitentiam et remissionem peccatorum *per omnes gentes;* hoc in lege et prophetis et Psalmis ipse testatus est : hoc ejus ore commendatum tenemus; hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta (2). » — Vides ex his omnibus statui quidem ab Augustino

(1) *De unit. Eccl.* c. 16.
(2) *Ibid.*

excellentiam notæ Ecclesiæ principis, Catholicitatis sive universalis magisterii auctoritatem, minime vero negari universim miraculorum valorem probativum, quem alibi disertissime agnoscit et evincit (1).

Corollarium I. Omnis doctrina religiosa quæ vel unico certo Miraculo, cujuscumque gradus sit, confirmata est, eo ipso pro divina ac vera admittenda est, quamtumvis humani intellectus comprehensionem excedat. — Idem porro dicendum, si in doctrinæ confirmationem intervenerit miraculum aliquod minus proprie dictum seu spirituum mirabile, dummodo ex adjunctis moralibus et ipsius Doctrinæ conditione constet illud pro speciali Dei testimonio esse recipiendum. — II. Eo ipso quod aliqua Doctrina vel unico vero Miraculo certo comprobata fuerit, falsa a priori haberi debet omnis Doctrina ei opposita, adeoque pro ementitis prodigiis et malorum spirituum mirabilibus habenda quæcumque portenta ei opponantur. Nequit enim secum ipse Deus perfectissimus pugnare, vel vera esse doctrina quæpiam quæ alii contraria sit, cujus veritas miraculis seu supremo supernaturalis certitudinis criterio demonstrata fuerit.

Heic concludimus nostræ hujus Dissertationis partem quam *Dogmatico-Positivam* inscripsimus. Porro tractanda est pars ejus altera *Polemico-Critica*. Diximus hactenus de Miraculi usu ecclesiastico et traditionali; de ejus notione et amplitudine; de illius causa efficiente, ministeriali atque finali; de proprio ad quem spectat ordine *physico-morali* deque ipsius vi probativa, quatenus propriissimum argumentum revelatæ Doctrinæ continet. Agendum nunc de Miraculi possibilitate deque ejus cognoscibilitate.

1, Cf. loca indicata in Prolegomenis, p. 56, ad notam. — Item opus prælaudatum : *Traité dogmatique sur les faux miracles du temps*, p. 167-177.

PARS II.

POLEMICO-CRITICA.

CAPUT I.

DE MIRACULI POSSIBILITATE.

1. Qui de rerum possibilitate agunt monere solent ipsam in *intrinsecam* et *extrinsecam* præprimis dividi. Intrinsecam rei possibilitatem dicunt ejus ad existendum aptitudinem, inde ortam quod attributa essentialia quibus constat non involvunt repugnantiam ad invicem, habita consideratione adjunctorum omnium. Possibilitas autem extrinseca dicitur capacitas entis ad existentiam, inde dimanans quod existat causa quæ valet ipsum ad existentiam actualem determinare. Vides intrinsecam possibilitatem optimo jure vocari *metaphysicam;* extrinsecam vero *physicam* dici. Ut enim consideratio essentialium rei attributorum ad ordinem idealem et abstractum proprie pertinet : sic investigatio habitudinis ejus ad suam causam ordinem realitatis proprie spectat. — Porro, uti vidimus, Miraculum formaliter consistit in personali primæ causæ in mundo visibili interventione, præter constitutum naturæ cursum ac supra vires ejus universas. Hinc est ut vix ac ne vix quidem separari possit possibilitas Miraculi intrinseca ab extrinseca, cum præcise ex hoc ipso adæquatus Miraculi conceptus exsurgat quod existat omnipotens ac infinita causa

quæ sua directa actione suspendere valeat ac immutare legum cosmicarum actionem et processum. Ne itaque res sejungam natura sociatas neve etiam mutila demonstratione utar, unica probatione complectar miraculi possibilitatem metaphysicam sive intrinsecam et physicam sive extrinsecam. Dein nonnulla addam quibus moralis quoque ejus possibilitas ulterius evincetur.

2. Jamvero præcipuum fundamentum cui miraculi possibilitas generaliter inspecta proxime innititur continetur absolato primæ causæ in mundum adspectabilem ejusque agentia universa dominio. Hujus quippe dominii vi minime coarctatur ejus virtus actualis œconomiæ finibus, at præter et supra constitutum naturæ cursum liberrime intervenire potest intra causarum secundarum ordinem. Illud autem Dei dominium nobis fuerit perspectum, si constiterit non modo *antecedenter* potuisse Deum alias naturæ statuere leges ac illas quæ nunc existunt, verum etiam *consequenter*, sive post constitutum jam universi ordinem, posse ipsum directa sua operatione præsentem agentium naturalium statum, in certis casibus, modificare.

3. Age, naturæ leges non esse antecedenti et intrinseca exigentia determinatas ad suum præsentem statum, non difficulter evincitur. Etenim 1° : istiusmodi leges si in concreto spectentur, continentur ipso constanti ac uniformi modo juxta quem insitas suas nativasque vires naturalia adjuncta exserunt. Quum enim cernerent homines, consimilibus adjunctis causas naturales similes effectus producere, hinc consuetas istas normas *leges naturæ* dixere. Verum, modus operandi sequitur naturam subjecti. Sed agentia naturalia et finita, non ex necessitate at liberrima voluntate a prima causa creatrice condita sunt. Hæc enim actu infinita est : non potuit igitur ulla necessitatis habitudo intercedere inter ipsam atque entia contingentia et finita quælibet. Ratio quippe ultima libertatis vel necessi-

tatis quæ inter entia existit ex mutua earum proportione tandem desumitur. Quæcumque igitur infinitus Deus in tempore condidit, ea omnimoda indifferentiæ libertate creavit. Pulchre Angelicus : « Cum esse divinum, inquit, non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem essendi, non potest esse quod agat *per necessitatem naturæ*, nisi forte causaret aliquid indeterminatum et infinitum in essendo, quod est impossibile. Non igitur agit per necessitatem naturæ, sed effectus determinati ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis et intellectus ipsius (1). » Inferendum leges naturæ ipsas nulla etiam antecedente necessitate cum præsenti suo statu connecti, sed *a priori* contingentes esse. Nulla igitur ex hac parte positiva impossibilitas in eo sit quod lex aliqua naturæ certo casu suspensa vel aliquo modo modificata fuerit. « Ostensum est, inquit iterum Aquinas, quod res ipsæ, quæ a Deo sub ordine ponuntur, proveniunt ab ipso non sicut ab agente per necessitatem naturæ vel cujuscumque alterius (sc. principii necessitantis), sed ex simplici voluntate, *maxime quantum ad primam rerum institutionem.* Relinquitur ergo quod præter ea quæ sub ordine divinæ Providentiæ cadunt, Deus aliqua facere potest. Non autem est ejus virtus ad has res obligata (2). »

4. Eadem antecedens causæ creatricis libertas optime quoque declaratur, 2°, si attendas respectum rerum finitarum ad divinam mentem quæ, uti antea ostensum est, omnis realitatis formale exemplar ac norma est (3). Scilicet, antea vidimus, res finitas omnes non esse nisi deficientes divinæ Essentiæ repræsentationes atque respondere uni alterive ex divinis archetypis quæ pro suo arbitrio decrevit summus Deus physica existentia donare. Jamvero ejusmodi archetypa sunt vere innumera : nequit enim unquam

(1) *Summ. Th.* I, q. 19, a. 4, in corp.
(2) *Summ. cont. Gent.* L. III, c. 98. — (3) Cfr. Prolegomena, p. 7 sqq.

exhauriri infinitæ Essentiæ repræsentabilitas, cum exemplar immensum et limitis cujuscumque expers, repræsentationes vero necessario limitatæ, finitæ ac proin deficientes existant. Nequaquam igitur debuit necessario Deus mundum adspectabilem talem creare qualis de facto existit, ut ejus existentia nonnisi cum actuali ejus forma concipi possit (1). —Quin imo, hoc ipsum non ægre ex hypothesi de mundo ab illo qui nunc existit diverso confirmatur. Sane, quænam *absoluta* et *antecedens* absurditas vel impossibilitas in eo esset si lex gravitatis atque attractionis et gravitationis aliis normis subjiceretur? Rursum, an ex extrinseca rei exigentia est quod una tantum sit hominum species vel quatuor naturæ regna, vel ut motus telluris circa suum axem ab occasu ad ortum peragatur, atque alia hujusmodi sexcenta? Aperte hanc absolutam mundi systematis contingentiam tradit vir hujus ætatis scientiæ mathematicæ laude notissimus, Cl. Duhamel quem liceat propriis verbis citare : « Dans notre système du monde, inquit, *dont les lois auraient pu être différentes de ce qu'elles sont* et où les corps ne sont pas seulement figurés, comme la Géométrie les suppose, mais matériels, il est indispensable de demander à l'*observation* et à l'*expérience* (non dicit : *à la raison intrinsèque, à l'essence métaphysique des êtres*) certains rapports entres les effets et les causes ou forces (2). — Intuleris nulla antecedente necessitate adspectabilem universum cum sua actuali forma, cum legibus quibus jam causarum secundarum activitas manifestatur connexum esse neque adeo *absolute* et *antecedenter* repugnare quod prima causa aliqua ratione hanc mundi œconomiam immutet.

5. Verum, quod potissimum primæ causæ in naturam dominii fundamentum ac miraculosæ ac supernaturalis interventionis radix sit, leges naturæ non modo *ante-*

(1) Cf. R. P. Kleutgen. *Theologie der Vorzeit.* I, pp. 501 sqq., 548 spq.
(2) *Des méthodes dans les sciences de raisonnement.* Paris 1865, Ch. II.

cedenter contingentes dicendæ, sed etiam *consequenter*, quatenus agentium naturalium virtus, vel *in suo præsenti et constituto statu*, primæ causæ actione augeri, suspendi vel obedientialiter, ut ajunt, elevari potest. Porro consequitur hoc ipsum ex universali œconomia quæ in adspectabili hoc universo deprehenditur quamque lege hac universali expresseris : Agentia creata universa ita sunt in præsenti constituta ut insita ac connaturalis eorum virtus ex agentis potentioris influxu vel suspendi vel augeri vel modificari possit, ita ut superioris ejusmodi entis interventione effectus sequantur quos insita inferiorum causarum facultas, sibi relicta, nullatenus produxisset. — Sane nulla lex naturæ generalior ac evidentior hac ipsa existit (1). Sic in ipsa natura

(1) Optime hanc quæstionis nostræ faciem illustratus est D. Guthlin quem non possim heic, quamvis prolixius, non referre : « Quelle est la loi générale qui règle l'action de toutes les autres lois, qui régit et détermine la dynamique de tous les êtres, et préside, dans les merveilles de la dernière grandeur comme de la dernière petitesse, aux destinées de l'ordre universel? Cette loi, la voici dans toute sa simple et puissante formule : *L'effet propre et direct d'une force ou d'une puissance relativement inférieure est toujours annulé, modifié ou suspendu, dans un cas déterminé, par l'action intervenante d'une force ou d'une puissance relativement supérieure et prédominante.* Remarquons-le-bien, ce qui est annulé, modifié ou suspendu, *ce n'est pas la force inhérente à la substance; ce n'est pas la loi de cette force; ce n'est pas l'energie de cette loi.* Tout cela, pris en soi, reste inviolable et constant. Ce qui est annulé, modifié ou suspendu, c'est l'*effet* passager de cette force dans un cas donné. Je dis plus : il est de l'essence d'une loi que suivant les circonstances, son action ou son effet soit annulé, modifié, suspendu par l'action d'une loi plus puissante. Il est de l'essence d'une force que ses effets habituels soient primés, dominés, remplacés, le cas échéant, par l'effet d'une force plus haute. Ce caractère négatif et passif d'une loi ou d'une force lui est aussi essentiel que son caractère actif et positif. L'un ne se tient pas sans l'autre, l'un ne se comprend que par l'autre. Mettez que toute loi, toute force doive produire, en toute hypothèse, contre toute loi supérieure, contre toute force plus énergique, son effet propre et special, et l'action mutuelle des forces devient impossible, l'harmonie des lois est ebranlee jusque dans ses fondements, la notion de l'ordre s'évanouit, de l'éternel conflit de tous les éléments du monde naîtra je ne sais quoi d'irréconciliable et de monstrueux que la pensée ne peut concevoir et qui n'a de nom dans aucune langue, celui de chaos même ne pouvant convenir à ce qui se repousse et se contredit dans les termes. Telle est la loi dynamique des êtres; et le vaste drame de la nature et de l'histoire qu'est-ce, sinon l'application universelle et la constante vérification de cette loi? Quelques exemples le prouveront. Un grain de sable tombe à mes pieds. Mêlé à d'autres grains de

inorganica, actione magnetismi et electricitatis corpora complura gravitatis influxui ad tempus subtrahuntur;

sable, il obéit à la loi des affinités physiques ou chimiques qui président aux combinaisons du monde inorganique. Mais voici qu'un germe s'empare de cette poussière. Elle monte dans le calice d'une fleur ou dans les feuilles d'un arbre. Soumise à la loi d'un organisme vivant, c'est en vain qu'elle voudrait obéir à la loi chimique de ses affinités primitives. La loi de la vie s'y oppose. Elle suspend l'action de la loi chimique. Et tant que la poussière sera pénetree du souffle de la vie, elle restera asservie au despotisme de cette loi. Qu'est-ce à dire? La loi chimique est-elle abrogée? Bien plus, sa tendance, son effort, son action même, son action interne et impérissable, est-elle suspendue? Non, cette loi subsiste dans toute la plénitude de son droit, de son énergie, de sa vitalité. Ce qui est modifié ou suspendu, c'est l'effet direct de son énergie, c'est le résultat habituel de son action. Et ce qui modifie cet effet, ce qui suspend ce résultat, c'est l'action supérieure et irrésistible de la loi organique, que nous appelons la loi de la vie. En dépit de cette intervention superieure, la loi chimique reste une loi constante et générale de la nature. Elle règne en souveraine dans les vastes regions du monde inorganique. Que dis-je? Elle se maintient inviolablement dans cette poussière animée elle même. Elle cède, il est vrai, à la pression d'une loi plus haute. Mais elle vit aussi ferme, aussi indestructible en soi que l'essence même de cette poussière. Brisez cette fleur; abattez cet arbre; et la loi chimique reprendra ses droits; elle fera sentir ses effets; elle désagrégera cet organisme inanimé. On la supposait disparue; elle n'était qu'enveloppée. On la croyait morte; elle n'était qu'esclave; mais une esclave qui se réveille à son heure et qui saura montrer, par sa puissance de destruction, que même sous la domination d'une loi plus puissante, elle maintenait dans toute son integrité, le principe de sa force et de son action. Montons plus haut. Un rayon d'intelligence et de liberté pénètre un organisme vivant et voilà l'homme. En lui, la loi organique domine la loi chimique, et la puissance intellectuelle et morale commande à tout le reste Un organisme végétal ne peut se détruire. L'homme, au contraire, a le pouvoir de modifier les phenomènes de sa vie, d'altérer l'action de ses organes, de détruire, quand il lui plaît, son organisme lui-même. En agissant de la sorte, a-t-il suspendu la loi universelle et constante qui régit les combinaisons des molécules chimiques ou le jeu des substances organisées? Nullement. Ces lois restent les mêmes et continuent à produire, partout et toujours, les mêmes effets. En faisant *intervenir* l'action de son intelligence et de sa liberté, l'homme a contrarié l'action de ces lois elles-mêmes, mais leur puissance, leur énergie, leur efficacité propre et inamissible, qu'on nous dise en quoi il aurait pu les abolir, les violer ou les suspendre. Non, l'*intervention* de sa liberté, loin d'être le renversement d'une loi de la nature, n'est que l'application rigoureuse de la loi fondamentale dont nous avons donné la formule et sur laquelle repose, dans son inviolable majesté, la souveraineté de l'ordre dans le monde. Supposons l'humanité absente de notre terre. Soumise à l'action exclusive des lois du monde végétal et animal, la surface de notre globe ne présenterait que le spectacle monotone de forêts immenses ou d'incultes déserts, livrés à la lutte sauvage des forces aveugles qui s'en disputent l'empire. Que l'homme paraisse sur ce théâtre d'un monde primordial, et la face de la terre sera changée. Où regnait le silence et la solitude, se déploiera le luxe d'une puissante civilisa-

capillaritatis phænomenis, legum hydrostaticæ suspenduntur effectus, solis ac lunæ attractione maris undæ ferun-

tion. La culture s'emparera du repaire des bêtes fauves; l'opulence des cités-reines jettera un superbe défi aux barrières du désert. Une puissance nouvelle mettra son empreinte sur la poussière qu'elle foule à ses pieds, et rien, sur ce vaste globe, n'échappera au despotisme de son génie. Qui a opéré ce miracle de transformation? Est-il besoin de le dire? N'est-ce pas l'*intervention* de l'homme dans la nature? et pour réaliser tant de prodiges, l'homme a-t-il porté une main téméraire sur les lois de l'ordre qui règlent les mouvements du monde organique ou inorganique? Le dire serait assurément le comble de la démence. Qu'a-t-il donc fait, ce thaumaturge de la civilisation? Sans porter atteinte à aucune loi, il a substitué aux effets d'une loi inférieure, les effets d'une loi plus relevée. Aux efforts du mécanisme de la nature, il a opposé les efforts de son intelligence, de sa libre volonté, et c'est ainsi qu'il a imprimé, en vertu même des lois de l'ordre, le sceau de sa liberté et de sa personnalité aux agents serviles et impersonnels de ce monde... Appliquons ces principes aux faits évangéliques qui passent pour être la manifestation et la marque la plus éclatante du Surnaturel, et nous aurons résolu le problème que nous agitons. D'une seule parole de sa bouche, d'un seul signe de sa main, Jésus rend la vue aux aveugles, l'ouïe aux sourds, aux paralytiques l'usage de leurs membres, aux malades les plus désespérés l'usage de leur santé. Il lui suffit de vouloir et il convertit les pêcheurs, il multiplie les pains qui nourriront la multitude dans le désert, il marche sur les ondes, il commande aux vents et à la tempête, il ressuscite les morts, il brise le sceau de son propre tombeau. Voilà bien le miracle dans tout l'éclat de sa surnaturelle puissance. Or, je le demande, le miracle, entre les mains de Jésus, a-t-il annulé, altéré, suspendu les lois universelles et constantes qui pèsent sur les infirmités humaines, qui dominent la mort, qui règlent les éléments de la nature, qui déterminent l'action des substances, et maintiennent le règne de l'ordre dans le monde? Après comme avant le miracle, ces lois n'ont-elles pas été maintenues dans la plénitude de leur empire? Pendant le miracle, n'ont-elles pas continué à étendre leur domination sur toute la nature? Que dis-je? Dans les cas mêmes où le miracle s'est produit, dans les cas mêmes où il a contrarié l'action des lois du monde physique, ces lois ne sont-elles pas restées les mêmes? N'ont-elles pas continué à agir conformément à leur nature? N'ont-elles pas conservé toute leur énergie, tout leur effort, toute leur force de résistance? S'il n'y avait eu aucune résistance à vaincre, où serait le miracle? Et si les lois de la nature avaient été suspendues un seul instant, qui donc aurait produit la résistance? Qu'est-il donc arrivé dans ces faits extraordinaires? *Une puissance nouvelle est intervenue;* puissance supérieure à toutes les forces de la nature e de l'humanité. Cette puissance, c'est la puissance de Dieu. Et qu'a-t-elle fait, cette puissance de Dieu? Elle a fait vis-à-vis de toutes les forces créées, ce que font les forces organiques vis-à-vis des forces inorganiques, les forces humaines vis-à-vis des forces de la nature, les forces supérieures vis-à-vis des forces inférieures. Elle a réalisé la loi suprême de l'ordre, en vertu de laquelle l'action d'une force supérieure suspend, modifie ou annule, dans un cas déterminé, non pas la loi d'une force inférieure; mais *l'effet,* le résultat de cette loi. Qu'est-ce donc que le miracle? Une violation ou un renversement des lois de l'ordre? Non, mais une application rigoureuse et un résultat supérieur de ces lois mêmes. » *Les Doctrines positivistes*, p. 150 sqq.

tur in altum, ut tot alia mittam. Quin vita vegetalis et animalis sive *natura organica* omnis illustrem hujusce legis demonstrationem continent ubi, vi superioris cujusdam directionis typicæ, moleculis impressæ gravitatis influxum suspendi ac vires mechanicas et physicas innumeris modis modificari conspicimus. At in primis declaratur lex ista si hominis rationalis interventionem in adspectabilem universum observes. Sua quippe industria et sagacitate novit ille insitam inferiorum causarum activitatem, multiplici ratione vel coercere vel amplificare. Ad hæc *naturalia miracula* spectant in primis tot chimica ac mechanica inventa, tot artificiales vegetalium atque animantium commixtiones quibus homo fere incircumscriptum in naturam irrationalem dominium sibi nactus est. Quæ omnia si tecum reputaveris concludes formulam qua naturalium legum status adæquate describitur non hanc esse : *Leges naturæ sunt absolute invariabiles,* sed illam : *Leges naturæ sive modus quo naturales causæ suam connaturalem activitatem exserunt sunt invariabiles, donec earum virtus actione superioris causæ non augetur vel non suspenditur;* — sive generalius : *Leges naturæ sibi relictæ sunt constantes et invariabiles.* Quod axioma cum de causis efficientibus universim verum sit, potissimo tamen jure de *prima causa* obtinet. Nam ut scribit Angelicus : « Deus non solum est causa actionum (sc. causarum secundarum) in quantum dat formam quæ est principium actionis, sed etiam sicut conservans formas et virtutes rerum... Et quia forma est *intra rem, et tanto magis quanto consideratur ut prior et universalior* et ipse Deus est proprie causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus, sequitur quod Deus in omnibus intime operetur (1). » — Jamvero hæc omnia ad rem nostram applicemus. Nempe,

(1) *Summ. Th.* I, q. 105, a. 5.

finita agentia universa a prima causa ad existentiam fuere determinata ac per illam in sua existentia et activitate porro conservantur. Hinc autem est ut ordo realitatis adæquate inspectus constet veluti duobus *factoribus* (sit venia verbo) qui separari non debent in philosophica rerum investigatione : scilicet insita naturalium agentium virtute et prima causa infinita et omnipotente. Ac rursum inde sequitur hinc quidem naturæ legum constantia, imo vero hypothetica necessitas, illic vero absoluta earum contingentia. Quippe postulat Numinis Providi et sapientis notio ut natura normis subjiciatur stabilibus, cum secus ordo periret universi ac societatis humanæ securitas tolleretur omnis. Quare juxta communem et consuetum ordinem, propria causarum secundarum activitas sibi libere permitti debet. Aliunde vero, condendo naturam non potuit prima causa limites apponere essentiali suæ omnipotentiæ et libertati, neque invetere legem hanc universalissimam de hierarchica causarum subordinatione. Usque igitur poterit Deus, propter finem se dignum, directe intervenire in ordinem causarum secundarum, atque agentium naturalium virtutem vel a proprio suo et connaturali effectu coercere quem hic et nunc exsequerentur si sibimet ipsis relinquerentur (applicatione *potentiæ obedientialis passivæ*) ; vel contra in illis effectus producere omnem naturæ vim et exigentiam superantes (applicatione *potentiæ obedientialis activæ*) ; imo nihil impedire potest primam illam et omnipotentem causam quominus actu creativo vel potius creativo æquivalente interveniat intra finitorum agentium ambitum, ut effectum aliquem suæ virtuti proportionatum per se eliciat. In his enim omnibus nihil agit ipsa *contra* naturam causarum secundarum sed unice præter et supra constitutum naturæ cursum. Quin, cum ipsa sit causa infinita atque adeo infinite naturam excedat, ejusmodi supernaturalis ejus interventio, nedum impossibilis sit, contra ordini naturæ

adæquate sumpto prorsus attemperari dicenda est. — Concluseris miraculosam operationem veluti supremam ac transcendentem expressionem esse legis istius omnium universalissimæ de *hierarchica causarum subordinatione ac naturalium agentium in inferiora influxu et potestate.* — Porro utramque quam hactenus descripsimus Miraculi possibilitatem sic paucis complectitur Aquinas : « Deus, ait, potest facere præter ordinem rerum quia ordini causarum secundarum ipse non est subjectus, quasi ab eo procederent non per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis. (En possibilitatem antecedentem Miraculosæ operationis). — Unde et potest *præter* hunc ordinem institutum agere, *cum voluerit,* puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus ad quos causæ secundæ non se extendunt.(Ecce Miraculi possibilitatem consequentem) (1).

6. Quæ de miraculosa Dei in res creatas interventionis possibilitate diximus, declarare consueverunt veteres ex consideratione *potentiæ rerum obedientialis*, quam modo memini, quæque illis nihil aliud erat nisi ipsa causarum secundarum habitudo ad primæ causæ influxum et interventionem. « Dicendum, inquit D. Thomas quod quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eamdem rem perducere potest in altiorem effectum : unde natura potest ex terra facere aurum, aliis elementis commixtis, quod ars facere non potest : et inde est *quod aliqua res est in potentia ad diversa secundum habitudinem ad diversos agentes.* Unde nihil prohibet quod natura creata sit in potentia ad aliqua fienda per divinam

(1 *Summ. Th.* I, q. 105, ad 6. — Cf. de præsenti argumento Hettinger : *Apologie des Christenthums*, 3e Ausl., I, Fasc. I, p. 169. — Cl. Ringseis, in oratione quam habuit ad catholicos Germaniæ : *Verhandlungen der vierzehnten Generalversammlung der katholischen vereine Deutschl.* Aachen, 1863, Ap. Cazin, pp. 138 sqq. — Deutinger : *Renan und das Wunder :* p. 109. — D. Jaumes : *Discours sur la distinction des forces.* Mémoires de l'académie des sciences de Montpellier T. II, 1854. — R. P. Gatti, O. P. *Institutiones Apologetico-Polemicæ :* II, p. 495 sqq.

potentiam quæ inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur *potentia obedientiæ*, secundum quod quælibet creatura Creatori obedit (1). » — Et rursum in Opusculo *de Veritate* : « (Rei) capacitas, inquit, dicitur secundum potentiam receptibilitatis quæ est in ipsa. Est autem duplex potentia creaturæ ad recipiendum. Una *naturalis* quæ potest tota impleri quia non se extendit nisi *ad perfectiones naturales* (i. e. ab intrinseco rei debitas). Alia est potentia *obedientiæ*, secundum quod potest *recipere aliquid a Deo*, et talis potentia non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat adhuc remanet in potentia recipiendi a Deo (2). » Magistri sui doctrinam in re nostra dilucide etiam exponit Doctor eximius : « Dicendum est, inquit, ens creatum *ut sic* habere hanc subordinationem ad Deum, ut natum sit obedire illi in agendo et recipiendo quidquid non repugnaverit. Atque hinc nata est doctrina Theologorum *de potentia obedientiali* creaturarum respectu Dei quam prius indicavit Augustinus et inde S. Thomas, quem cæteri Theologi, præsertim ejus discipuli secuti sunt (3)... Ratio hujus subordinationis a priori sumenda est *ex pleno dominio quod Deus habet in suam creaturam*, ut ea uti posset in omnem usum qui non involverit repugnantiam aut contradictionem. Hujusmodi enim plenum dominium *ad infinitam Dei omnipotentiam* pertinet : non enim est dominium omni ex parte perfectum nisi includat potestatem ad omnem usum possibilem. Huic autem pleno dominio Dei correspondet in creatura plena subjectio; nam duo hæc correlativa sunt; ad hanc autem subjectionem necessaria est talis conditio ex parte creaturæ, ratione

(1) Op. *de Potentia*. Q. 6, de miraculis.

(2) *De Verit.* Q. 29, art. 3, ad 3.

(3) De essentia hujus *potentiæ obedientialis* plura disputant Scholastici quæ ad rem nostram haud proprie spectant. Si cui placeat uberius ea de re edoceri, adeat is Suarez. *De Mysteriis vitæ Christi*. D. XXXI et de Lugo : *Theolog. Scholast.* Disp. XI.

cujus apta sit ad exsequendum quidquid Deus voluerit, vel *recipiendo* vel *agendo*. Unde sicut non potest Deus ens creatum efficere, cujus plenum et absolutum dominium non habeat, ita *non potest ens creatum fieri, quod non habeat prædictam conditionem et subordinationem seu subjectionem ad Deum* (1). »

7. Stabilita hactenus generali ratione miraculosæ operationis possibilitate, nonnullæ addendæ heic sunt animadversiones quæ ad meliorem dictorum intelligentiam non parum facient. Itaque animadvertendum. 1° Miraculum, ut ex dictis sequitur, licet spectato ordine universi et intrinseca agentium naturalium exigentia, verissime dicatur *præter* et supra *naturam*, minime tamen esse *contra* naturam. Quin imo ut vidimus, si altius spectetur, consequi dicendum est ad legem hanc generalissimam ac veluti transcendentem *ordinis universalis* juxta quam causæ inferiores essentialem dependentiam involvunt ad altiorum causarum influxum. — 2° Miraculoso effectu lex naturæ nulla tollitur, vel violatur; solummodo hic et nunc, ad primæ causæ interventionem, vi potentiæ obedientialis tum passivæ tum activæ, aut *neutralizatur* (sit venia verbo) cujuspiam naturalis agentis activa facultas et suspenditur insitæ ejus virtutis actus secundus, remanente tum ipsa facultate, tum ipsius ad proprium suum effectum actu primo et nativa ordinatione; aut augetur insita naturalis causæ facultas, collatis extrinsecus per causæ primæ influxum non modo auxiliis et conditionibus ad actum requisitis, sed aliis etiam quibus insita ejus virtus novam intensitatem, supra constitutum et communem ordinem, adquirit; aut tandem directo et immediato Dei actu producitur intra seriem existentium et naturalium causarum effectus aliquis ad quem creata agentia nullam plane habitudinem ac proportionem habent.

(1) *Metaphys.* Disp. XLIII, sect. 4. Cfr. R. P. Schrader, *De Triplici ordine*, p. 29.

Vides in nulla ex istis hypothesibus naturæ legem tolli vel violari, sed tantum vel ejus actuale exercitium suspendi, vel contra etiam ejus ambitum et virtutem amplificari, vel præter illius exercitium, alius etiam omnipotentis causæ, applicationem in certo casu obtinere. Quare ordo supernaturalis quo continentur miraculosa eventa minime est habendus tamquam *oppositus* ordini naturali, quo concluduntur opera insitis naturalium agentium facultatibus proportionata, sed uterque ille ordo tamquam *paralleli* ac sibi invicem *subordinati* censendi sunt. — At magis etiam illa patebit illatio si animum convertas, 3°, ad rationem qua prima causa *in concreto* causas secundas gubernat atque ordinem moderatur universi. Nempe, ut sæpius jam dictum est, leges naturæ quibus ordo cosmicus exsurgit, nihil tandem sunt nisi modus constans et uniformis juxta quem insitas suas vires exserunt varia naturæ entia. Verum si rem altius scruteris, videris vere posse affirmari *leges proprie ac stricte collectivas* in concreto et realiter non existere. Quippe causæ secundæ omnes eatenus considerari possunt ut *activæ*, quatenus substant primæ causæ provido influxui, a qua jugiter in suo esse conservantur et in suis operationibus pendent et adjuvantur : ut adeo varii earum effectus naturæque leges universæ ab istis derivatæ, in ipsa Dei circa res creatas Providentia ultimo fundentur. Jamvero, ut cum R. P. Perrone loquar « Deus si proprie loqui velimus, non regit *genera* vel *species*, quæ non sunt nisi ideæ abstractæ, sed regit *individua*, quæ sola realia sunt, neque regit *legibus universalibus*, quæ pariter non sunt nisi in conceptu nostro exinde ortæ, *quod nos conspicimus Deum modo uniformi individua talis classis regere*, sed regit *voluntate peculiari* singula individua (1). » — Et sane decreta divina a quibus

(1) *Præl. Theol.* Tract. de vera Religione. c. III, n. 121. Edit. Lov. T. I.

ultimo pendet rerum œconomia omnium, attingunt res prout sunt *in se ipsis;* qua tales vero non sunt genericæ sed particulares : existere enim est singularium, ut Scholæ adagium habet. Quin categoriæ generum et specierum, quibus nituntur leges naturales *collectivæ,* non sunt in rebus nisi fundamentaliter, in solo autem intellectu, abstractione tam præcisiva quam comparativa utente, existunt formaliter. Cum igitur, pro absoluti sui dominii ratione, Deus in certo casu operationem, statum vel affectionem cujusdam naturalis agentis immutat, proprie et vere loquendo non agit contra legem aliquam *generalem*, sed individuum aliquod ens speciali Providentiæ ordinationi subjicit, quæ quidem Dei ordinatio, cum diversa existat ab ea, qua Deus, de *communi ordine et exigentia*, regit cætera ejusdem classis *individua*, supernaturalis ac miraculosa dicitur. « Sic fit, inquit rursum prælaudatus auctor, ut dum Deus decernit talem planetam v. g. sisti, non deroget alicui *legi* a se constitutæ, sed decernit *ejusmodi planetam* moveri circa solem ad tantum tempus, postea sisti, ac rursum deinceps moveri prout ipsi libet (1). » Jamvero in eo nulli legi naturæ proprie derogatio adest, sed peculiaris tantum Providentiæ ordinatio circa istam creaturam quæ miraculi subjectum existit. — Neque putandum, quod nonnullis philosophis visum fuit (2), tolli in ea explicatione naturæ leges. Videlicet distinguendum sedulo in causis naturalibus duplex momentum : primum quippe momentum sive status in quo causæ singulæ considerari possunt, est mere *idealis* et respicit ipsam earum in divina mente, omnis realitatis fonte et exemplari, existentiam. Nempe res omnes non sunt nisi aliquales repræsentationes ipsius divinæ Essentiæ, respondentque uni ex innumeris modis juxta quas infinita Dei essentia

(1) Ubi supra.

(2) Cf. Cl. Lonay : *Dissertations philosophiques sur les points capitaux de la controverse chrétienne*, p. 167.

participabilis sive imitabilis est ad extra. Hinc esse diximus ut in ipso intellectu divino typi ideales existant rerum omnium, juxta quos creantur quæcumque accedente Dei decreto, ad existendum in tempore physice determinantur. Illa porro divina archetypa, respectu ad res ipsas creabiles, sese habent ut regulas et normas *universales* quibus determinantur tum earum *metaphysica essentia*, tum quoque earum *natura* atque *connaturales operationes*. — At præter hoc prius momentum, considerandum etiam aliud est, quatenus in tempore Deus ad physicam existentiam traducit aliquos ex hisce suæ intelligentia terminos, illosque in existendo et operando conservat. Jamvero concretæ hujus existentiæ ac concursus supposita esse non possunt nisi *entia particularia* et *singularia*. Quare rerum creatio et gubernatio sive ordo Providentiæ actualis, quo continentur naturæ leges, non constat legibus *proprie collectivis* sed *decretis individuis* atque adeo pro unoquoque creato agente distinctis. In hoc autem momento altero, vides duplici modo rerum physice existentium œconomiam divinitus posse ordinari. Nimirum vel sic *singula individua* regit Deus, ut decretis suis particularibus talem activitatis modum illis statuat, qui consonet earum typo exemplari seu earum naturæ *sibi relictæ* vel saltem procul ab omni causæ primæ influxu *indebito* cogitatæ; atque ille ordo communis et *naturalis* dicetur (1). Vel contra Dei circa res singulares ordinatio talis esse potest, ut ens aliquod a Deo regatur non quidem *contra* ipsius idealis typi constitutiva, sed *præter* condebitam ac connaturalem huic enti perfectionem, quatenus nativæ ejus activitatis exercitium vel divinitus suspendatur, vel virtus illius adtollatur et amplificetur ex potentiæ obedientialis applicatione, vel etiam quatenus ipsa prima causa,

1) « Hoc autem debitum (naturæ) ex divina sapientia dependet, in quantum scilicet res naturalis debet esse talis quod imitetur propriam ideam, quæ est in mente divina. » — D. Thomas, Q. 23 *de Verit.* a. 6, ad. 3.

immediate ac per se, suæ omnipotentiæ effectum exerit in eo universi adspectabilis ordine quo illa causa secunda continetur, quam Providentiæ rationem ordinem vocant *supernaturalem* seu miraculosum. — Jam age provisoris sapientis officium ac tutum mundi regimen exposcit ut *communissime* hanc in *individuis suis decretis* ordinationem Deus observet, quæ eorum naturæ, prout in se ac sibi relicta consideratur, *positive* et *simpliciter* conformis sit. Si enim supernaturali primæ causæ interventioni naturalia agentia usque paterent, superfluum fuisset suas eis naturas dedisse, ac omnia societatis hominum jura incerta redderentur et nutantia. Inde igitur est, ut de ordine communi et ordinario, Deus, ceu numen Providum ac sapiens, *individua* decreta, quibus entia *singula* regit, de facto ordinet juxta strictam eorum exigentiam, sive juxta typicam et connaturalem uniuscujusque conditionem, prout in se ipsa respicitur. Verum, quia simul cum Dei sapientiâ et justitiâ ejus etiam omnipotentiæ jura servanda sunt, minime tamen idcirco prohiberi potest quominus, de justâ causa, individua quædam singulari illi Providentiæ subjiciat ad quam Miracula subsequuntur (1). Vides in ea sententia non tolli *philosophicum* naturæ legum conceptum. Nam quamvis ponamus Deum decretis *individuis* creaturas singulares regere, leges autem *collectivas* in physico rerum ordine proprie non existere; simul tamen asserimus hæc ipsa *singularia* decreta, pro ejusdem classis individuis *consimilia* existere, ut adeo *constantia* et *uniformitas* in naturalium agentium ejusdem speciei ordinatione plane retineantur. Sed quod apud omnes in confesso est, hac *uniformitate effectuum* nititur legum naturæ determinatio, ac certitudo omnis, cum leges cosmicæ tandem non sint nisi constans operandi modus naturalium agentium (2). Ergo illa

(1) Recole quæ diximus de miraculi finibus, p. 179 sqq.
(2) Cf. Tongiorgi. *Cosmologia*. L. IV, n. 407.

sententia legibus hisce cosmicis omnino consultum est, atque simul melius, opinor, illa declaratur quomodo miracula non sunt dicenda contra naturæ leges universales et constantes.

8. Sed tertio dictis declaratum etiam habes miraculosæ operationis respectum ad ipsam rerum *essentiam*, quatenus illa consideratur tamquam ultima radix operationis sive effectuum et phænomenon quæ ex nativa earum activitate dimanant. Quod paucis evolvendum heic est, ut plenior argumenti nostri notitia habeatur et omni ex parte constet inanitas tritæ istius incredulorum objectionis : naturæ phenomena consequi rerum essentiam, hanc vero esse necessariam et immutabilem proindeque immutari *naturales* effectus non posse, nisi ponatur ipsam essentiam modificari, quod absurdorum culmen sit.

9. Videlicet, rerum essentias metaphysicas necessarias et immutabiles esse compertum est : nec minus certum, ut ipsi supra diximus, naturalium agentium activitatem et phænomena ultimo ex eorum essentia derivari. Verum probe statuendus sensus genuinus effati istius : *Rerum activitas et varia, quæ ex illis oriuntur, phænomena earum essentiæ attemperantur.* Ex iis quippe axiomatibus illud est, quorum vaga satis et indeterminata facies facile errori et illusionibus latus præbet et commodum superbæ incredulorum ignorantiæ præstat effugium, quibus nihil magis solitum, quam verbis pugnare, non argumentis. Itaque, cum omnis substantia sit propter operationem, imo cum rerum essentia adæquate spectata et prout consideratur non tantum in metaphysico suo et ideali conceptu, sed ut constituta jam in physica sua realitate, necessario includat facultates activas, quibus entia universa ad proprium suum actum venire possint : hinc *in actu primo*, ultima ratio naturalium agentium activitatis earum essentia sive etiam natura dicenda est (1).

(1) Cf. Prolegomena, p. 9 sqq.

Verum, quod sedulo attendas, naturales causæ non sunt existimandæ philosopho ceu *isolatæ* et *independentes* quædam monades, quæ omnes suos actus *absoluta* quadam ratione exserant : sed ita colligantur et temperantur inter se omnia mundi agentia, quibus universi systema exsurgit, ut ex diversis quæ ad invicem *relationibus* recipiunt, diversa quoque phænomena, diversosque effectus exserant. Quamvis igitur usque perseveret rerum essentia, tamen *in actu secundo*, ut ajunt, multiplici modo eorum activitatis exercitium modificari potest, pro vario influxu aliorum universi agentium. Proin, si habitudinem naturalium agentium activitatis, prout hæc in concreto suo statu respicitur, formula generali et adæquata exprimere cupias, hæc tibi erit : *naturalium causarum phænomena in actu primo pendent ab eorum natura et essentia; in actu autem secundo, derivantur tum ab eorum essentia, tum a multiplici connexarum cum illis causarum influxu et habitudine.* Hanc porro legem adspectabilis universi, quæ nonnisi altera quæpiam forma sit legis de *hierarchica causarum subordinatione*, quam paulo ante descripsimus, evincunt innumeræ istæ transformationes regni mineralis, vegetalis, animalis, quibus scientiæ geologiæ, botanicæ et zoologicæ testimonium perhibent et quibus mundus adspectabilis universim maxima ex parte immutatus fuit. — Age, quemadmodum essentiæ rerum immutabilitati et perseverantiæ nequaquam nocere possunt istæ, quas dixi, transformationes; ita pari jure illi detrimentum afferre nequit supernaturalis et directa prima et omnipotentis causæ interventio in entis cujuspiam particularis œconomiam, vi cujus consuetus illius activitatis modus varia ratione modificatur. Imo vero, cum multa magis radicalis sit causarum secundarum a prima causa dependentia quam a causis secundis quibuslibet; multo etiam facilius intellexeris earum ad omnipotentis agentis actionem omnimodam subjectionem, *nihil inde læsa essentiali earum conditione.* Neque objiciat

quis, eas quas attulimus universi transformationes evincere quidem mutabilitatem legum naturæ *particularium*, non vero legum, quas vocant, *generales;* istas quippe indissolubili et necessario nexu cum materiæ essentia esse connexas. — Nam imprimis isthæc difficultas nonnisi iis miraculis opponi potest quæ materiale subjectum habent, seu quæ in corporeo aliquo effectu constant, minime vero miraculis iis, quæ spiritualia vel intellectualia vocant, ut sunt prophetiæ, revelatio arcanorum cordis etc. Dein, ex recentioris physicæ placito, leges quas vocant generales videntur contineri variis effectibus unius ejusdemque causæ quæ, *pro aliis adjunctis*, alios producit effectus. Verum, si ita se res habet, satis fuerit ut prima causa, agentium naturalium certa adjuncta sive relationes immutet, ut *generalis lex* in casu suum proprium actum non habeat, intacta perseverante corporum essentia. — Sed quam procul etiam absunt philosophi ut illas generales corporum proprietates ceu materiæ essentiales agnoscant! Sane, in quonam materiæ essentia sit, usque in scholis disputatum fuit et etiamnum disputatur, his dynamismo, illis vero atomismo vel mixtis etiam systematibus nomen dantibus. Consentiunt interea recentiores physici, proprietates illas generales materiæ, quas recensuimus, nequaquam ei *essentiales* esse. At vero, si ita sit, innumeræ prorsus materialium naturæ agentium conditiones sunt, quæ immutari possunt, quin ulla ratione eorum *essentia* afficiatur. Quamvis enim vera foret Atomistarum de corporum essentia sententia, quæ, systematis causa a materialistis et positivistis cæteris præfertur, nihil tamen miraculosæ primæ causæ interventioni nocere posset. Nam usque possibilia forent miracula illa omnia, quæ *extensioni* atque *impenetrabilitati* non opponerentur, quæ sane numero prope infinita concipi possunt. Optime heic Ill. Meignan, qui, postquam controversias de materiæ essentia meminit, ita loquitur : « Je ne veux point

prendre parti dans la question, ni embrasser une solution préférablement à l'autre. Je laisse aux prises les deux écoles de Descartes et de Leibnitz. Il me suffit que ce dernier nie que les propriétés dites générales des Corps soient essentielles à la matière ; il me suffit que Descartes ne reconnait qu'à l'étendue un caractère de permanence et de nécessité, qu'enfin la plupart des physiciens s'accordent avec M. Deguin lorsqu'il dit, l'impénétrabilité et l'étendue sont les seules propriétés générales dont les corps ne puissent être dépourvus. *L'invariabilité de la nature* ramenée à ces proportions et restreinte dans ces limites ne laisse plus de prise à l'objection. Je cherche en quoi et comment la matière pourrait gêner l'action souveraine de Dieu, et au nom de quelle définition certaine et de quelle idée on peut argumenter contre les Miracles (1). » — Concluseris miraculum generaliter inspectum sive directæ et supernaturalis Dei interventionis effectum neque legibus viribusque materiæ *generalibus* neque ipsius attributis essentialibus repugnare ac proin nihil, ex miraculosa effectione, naturalium agentium *essentiam immutari vel modificari* : quare vanissima est objectio, quam miraculis perpetuo exsuscitant adversarii, scilicet causarum cosmicarum leges effectionesque ex earum essentia dimanare atque adeo eadem cum illa necessitate constare, miraculum proinde, quo ejusmodi leges immutantur, absurdum et impossibile esse habendum.

10. Quod autem generali ratione hactenus evicimus miracula neque naturæ legibus neque rerum essentiis repugnare, hoc clarius etiam patebit, si varias miraculorum species in particulari respicias. — Nempe ut supra vidimus, miracula vel sunt *supra naturam*, seu talis conditionis, ut naturalia agentia, sibi ipsis relicta, nunquam illa efficere

(1) *Les Evangiles et la critique au* XIXe *siècle*, p. 80.

valeant, qualia sunt v. g. realis emortui resurrectio, futurorum libere contingentium vel cordis arcanorum notitia, rei in plura loca multiplicatio (multilocatio), spirituum malorum expulsio; vel sunt *contra naturam,* ubi in subjecto miraculi inest qualitas effectui positive contraria, ut evenit v. g. in aquarum maris divisione, in præservatione trium puerorum a fornacis ardentis incendio, in plurium etiam corporis affectionum et morborum curatione; vel tandem sunt *præter naturam* seu talia, quæ in naturalibus agentibus fieri quidem possunt, non tamen in iis, quibus de facto contingant adjunctis neque eodem modo, ut in subitanea morborum non incurabilium sanatione, in repentina et instantanea plurium linguarum notitiæ adquisitione etc. Jamvero varia ejusmodi miracula realiter de facto obtinere possunt, quin ullo modo immutetur *essentialis* naturalium agentium conditio. Nempe ad illa omnia satis sit si modificentur certo aliquo modo *extrinseca agentium adjuncta.* Cum enim *essentialis* causarum secundarum activitas *actum suum secundum,* ut ajunt, habere nequeat nisi positis requisitis ad insitæ facultatis applicationem conditionibus, patet, quod si istæ vel non ponantur vel mutentur, ipsum actuale earum essentialis activitatis exercitium varia ratione modificandum etiam vel tollendum sit. — Sic, si agatur de *miraculis supra naturam,* ad illa satis est, ut res aliqua absque causis sibi proportionatis producatur, vel ut nova aliqua dispositio inducatur in corporibus eorumve elementis aut hominis etiam facultatibus. Atqui ad hoc sufficit, ut prima causa vel actu creativo formam substantialem aut accidentalem producat, quemadmodum, v. g., contingere potuit in mannæ productione, in ciborum et aliarum rerum multiplicatione, in subitanea et directa scientiæ infusione in animam intellectivam, vel pro sua omnipotenti virtute formam denuo conjungat cum materia, ad quam per se connaturalem appetitum habet, ut dum corpori

forma ejus substantialis sive anima redditur, vel etiam dissociet entia, quæ, nonnisi per accidens hic et nunc unita existunt, v. g. spiritum malum et hominem per illum obsessum; vel sufficit ut elevet augeatque insitas creatorum agentium, vires, v. g. dum hominis intellectui proponit objectum intelligibile non essentialiter et absolute ei improportionatum, sed ordinariam ejus aciem fugiens, prout actum est cum Prophetis et Vatibus. Quod vero multilocationem spectat, vel hominis replicationem, quod forte omnium miraculorum difficilius explicatur, hæc etiam sine ulla essentialis materiæ conditionis negatione intelligi potest. Nam si tibi dynamismus arrideat, et materiæ essentiam constituas in *vi activa*, non ægre concipias posse unum ens in diversis locis præsens adesse, sicut Deus præsens est ubique sua etiam essentia et anima nostra simul adest tota toti corpori ac tota singulis ejus partibus, pro vario corporis incremento. Ad hoc quippe sufficit si prima et omnipotens causa simplicem virtutem per se ad plura loca vel spatia proportionatam, suis limitibus absolvat, quæ eam hic et nunc ad determinatam spatii sphæram restringunt. Si vero atomismum vel mixtum aliquod systema recipias, et extensionem sive spatii occupationem materiæ essentiale reputes, adverte extensionem illam, quam in corporibus metaphysici requirunt non esse *actualem* sed ad summum *aptitudinalem*, ut adeo, vel dato etiam quod corpus non possit existere nisi in uno loco secundum extensionem actualem, nihil tamen repugnet, quominus simul adsit in alio loco in ratione substantiæ et cum extensione aptitudinali (1). Ut mittam, fieri posse, ut *quædam* multilocationes miraculosæ non male explicentur *per modum*

(1) Cf. D. Thom. *Summ. Theol.* III, Q. 75, art. 1, ad 3^m. — Leibnitz : *Syst. theol.* Ed. Lov. p. 132. Bellarminus : *de Eucharistia.* L. 3, c. 4.

apparentiæ extrinsecæ, quatenus v. g., spiritualis aliqua substantia formam assumat alicujus hominis et in ea forma in alio loco appareat ac varia ratione ibidem agat et operetur (1).

11. Neque minus possibilia miracula *contra naturam*. Ad illa quippe satis fuerit ut Deus vel in certo casu concursum suum in ratione causæ primæ deneget alicui causæ secundæ ne in actum secundum pertingat essentialis ejus activitas, vel ut hanc ipsam activitatem superiore virtute elidat. Ita v. g. in præservandis pueris Hebræis a camino ignis, nihil aliud requirebatur, quam ut prima causa actu non concurreret cum igne ad comburendum : item in eximendo corpore aliquo a lege gravitatis, sufficit in certis casibus, ut subita densitas communicetur medio. Mitto alia exempla cum dicta ad omnia ejus generis miracula facile possint extendi.

12. *Præter naturam* tandem Deus miraculose potest operari, eo quod infinita sua sapientia et omnipotenti virtute activitatem causarum secundarum eminenter præcontinet atque eorum effectus excellenti quadam et transcendenti ratione producere valet. « Præter naturam, inquit Tongiorgi, operari potest quæcumque causæ secundæ operantur sine instrumentis quibus illæ indigent : in se enim præcontinet et principalium causarum virtutem et instrumentalium, ac præterea nutu suæ voluntatis operatur. Secundo, quia naturalium principiorum efficaciam augere ac modificare potest, ita ut agant celerius, intensius, copiosius quam naturales eorum vires ferant, aut aliquid aliud

(1) Hoc posteriori pacto ipsa Venerabilis Dei Serva Maria de Agreda explicat suam præsentiam supernaturalem apud Indos, dum ipsa in suo conventu manebat. « Ce que je crois de plus certain à l'égard de la matière,—inquit agens de sua bilocatione, — c'est qu'un ange y apparaissait sous ma figure, prêchait et catéchisait les Indiens et que le Seigneur me montrait ici dans l'oraison ce qui se passait. » *Marie d'Agréda et la cité mystique de Dieu* par Dom Guéranger, abbé de Solesmes. *Univers*, 6 juin 1858. — At nota nequaquam ad hunc modum omnes *bilocationes*, quæ ex certis Hagiographiæ monumentis referuntur, posse explicari, sed plures earum realem corporis replicationem supponere.

agant aut modo diverso. Hæc enim etiam a creatis agentibus intra certos quosdam fines fieri videmus. Quidni ergo hæc ipsa possit, imo multa majora vis infinita? — Tertio, quia quod causæ secundæ ex præexistente subjecto efficiunt, ipsa ex nihilo educere potest in temporis momento (1). » Atque huc referas plura sanationis exempla quæ in instante ad Thaumaturgi jussum vel deprecationem consequuta sunt, aliaque id genus eventa. — Concluseris nullam contradictionem sive impossibilitatem etiam consequentem in miraculosorum operum productione reperiri, licet finitæ hominis menti impossibibile sit certo rationem determinare qua hujusmodi miracula in casu contingunt.

13. Quæ hactenus diximus, miraculi possibilitatem probant habito potissimum respectu ad primæ causæ *omnipotentiam* atque ad dependentiam quam ad illam involvunt causæ secundæ. Sed præterea eadem miraculosi interventionis possibilitas probanda est ex ipsius habitudine ad illa summi Dei attributa quæ *moralia* dicuntur. Atque hac altera demonstratione miraculi *possibilitas moralis* proprie statuetur. — Ac primo quidem, ut illa attributa divina jam attingam ex quibus præcipue miraculi possibilitatem Deistæ oppugnant, ostendendum miraculum minime repugnare *essentiali primæ causæ immutabilitati.* Jamvero ad illud præstandum, opportune memineris actionem miraculosam, sicuti opera Dei ad extra universa importare, ex parte ipsius primæ causæ, relationem mere extrinsecam ad creaturam sive ad operationis terminum, qui subsequitur in tempore ad ejus determinationem. Scilicet, cum Deus sit Ens simplicissimum et purissimus omnis perfectionis actus, hinc ipsius activitas, realiter cum essentia identificatur, atque ab æterno omnem suam actualitatem

(1) *Cosmologia*. L. IV, 2, 456.

habet. Proinde quemadmodum agens creatum, ut distinctos effectus ponat, distinctis determinationibus indiget, ob suæ potestatis limitationem, quæ singulis operationibus veluti exhauritur : ita Dei activitas quæ infinitæ Essentiæ actus est, unica determinatione, quantum ex sese est, infinitis effectibus æquipollet, ipsa usque immutata. Dum igitur summus Deus effectum aliquem in tempore producit, entitative idem qui antea erat manet, mutatio vero omnis in *termino* relationis, sive in substantia creata inducitur, quæ cum finita sit et contingens, nonnisi in certa temporis differentia ac proin potentiali et mutabili ratione divino actui subsequi potest. « Cum Deus inquit S. Thomas ubi disserit de ipsis Dei nominibus quæ relationem important ad creaturas, sit extra totum ordinem creaturæ et omnes creaturæ ordinentur ad ipsum et non e converso : manifestum est quod creaturæ *realiter* referuntur ad ipsum Deum, sed in Deo non est aliqua *realis* relatio ad creaturas sed *secundum rationem* tantum, in quantum creaturæ referuntur ad ipsum. Et sic nihil prohibet hujusmodi nomina importantia relationem ad creaturas (idem dic de relatione Dei ad effectum sive terminum miraculosum) prædicari de Deo in tempore, *non propter aliquam mutationem* ejus sed propter creaturæ mutationem : sicut columna fit dextera animali, nulla mutatione circa ipsum existente, sed animali translato (1). » Porro patet hæc principia de divina essentiæ immutabilitate, quod operationes ad extra attinet, nihil minus obtinere in casu miraculi, quam in cæteris ejus operibus quibuslibet. Quare miraculum pro divina immutabilitatis negatione is tantum æstimabit qui falso sumat Deum in istiusmodi opere prius suum decretum sive communem naturalium agentium ordinationem corrigere et emendare. Verum, ex antea dictis (2) facile intel-

(1) *Summ. Th.* I, q. 13, art. 7, in corp. — (2) P. 286 sqq.

lexeris ipsum ab æterno prædestinasse effectum talem qui subsequatur in tempore præter cursum sive modum quo cætera ejusdem generis effectus ordinare decernit. « Dicendum, ait D. Thomas iterum, quod Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate : nam Deus ab æterno prævidit et voluit se facturum quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaret in æterna sua voluntate quæ præter cursum istum quandoque facturus erat (1). »

14. Neque magis miraculum opponitur *divinæ Sapientiæ*. Equidem supernaturalis illius primæ causæ interventio huic Dei sapientiæ detrimentum inferret, si contingeret ab subveniendum causarum secundarum defectui, quasi certis quibusdam casibus vires materialium et creatorum agentium effectui sibi proportionato pares non existerent. Talis quippe defectus in ipso Deo, naturæ auctore, vel negligentiam vel certe limitationem ac defectum argueret. Verum quod usque heic attendas, et supra jam demonstravimus, finis miraculi nequaquam continetur in natura physica sive in physico ordine, ut aiunt, sed spectat ad ordinem moralem, atque eo tandem dirigitur ut homo per effectus sensibiles, quos unus Deus efficere novit, ducatur in cognitionem supernaturalium veritatum. Jam vero non tantum inconveniens nullum, at summa convenientia in eo est, quod ordo physicus ceu inferior subda-

(1) *De Potentia*, q. 6, de miraculis, a. 2. — Eximie heic insignis Theologus III. Fenelon. « Ce serait avoir de la Providence une idée indigne de Dieu, que de ne concevoir pas qu'il doit renfermer *dans une volonté unique et infiniment simple* en elle même et toutes les lois générales et toutes les exceptions qu'il lui plaît d'y renfermer. Il n'est pas moins simple, ni moins sage et parfait quand il fait par une seule volonté plusieurs règles et plusieurs exceptions, que quand il ne fait qu'une seule règle... Il ne lui coute pas plus d'établir dans les esprits et dans les corps, pour toutes leurs modifications, des exceptions aux règles que les règles mêmes... Ce qui paraît diversité de la part des ouvrages entre eux, est, de la part de Dieu, un seul dessein, une seule volonté, et une seule action. » Ita Cameracensis in commentatione doctissima : *Réfutation de Malebranche. c.* 16.

tur ordini morali. Singularis itaque suspensio legis cujuspiam physicæ et immediatæ causæ in mundo visibili præter consuetum ordinem interventio, Dei nedum sapientiam ejus lædat, contra illam adtollit ac commendat (1).

15. At 3° nulla etiam pugna ostendi potest in miraculosa interventione cum *divinæ Providentiæ œconomia.* Nempe finis creationis ultimus in gloriæ Dei accidentalis comparatione positus est, ex manifestatione divinarum perfectionum coortæ. Jam vero ad ejusmodi accidentalem Dei glorificationem, requiritur quidem ut adspectabilis universi ordo certis ac constantibus legibus temperetur neve incongruo modo ejus harmonia perturbetur : requiritur, inquam, ut conspicua adsit in rerum universitate pulchritudo, unitas, constantia et concentus. At demens sit qui insipientiæ Providum numen incuset quod in certis adjunctis, de causa gravi, personali et immediato suo actu interveniat in causarum secundarum serie earumque activitatis exercitium nonnihil modificet. Quid enim hoc nocet universali mundi œconomiæ? Num ex miraculoso aliquo eventu communis ordo perit universi vel etiam, in ea causa secunda, cujus ordinariam activitatem Deus vel suspendit vel immutat, non remanet radicalis ad proprium actum potentia? Ad rem Angelicus : « Licet Deus, inquit, faciat aliquem effectum præter actionem causæ rationalis, non tamen tollit ordinem causæ ad suum effectum. Unde et in igne fornacis remanebat ordo ad comburendum; licet non combureret tres pueros in camino (2) » et addit paulo infra : « Dicendum quod quando Deus agit aliquid contra cursum naturæ *non tollitur totus ordo universi*, sed cursus qui est ex ordine unius rei ad aliam : unde non est inconveniens, si aliquando contra

(1) Recole quæ supra de miraculi fine et convenientia disputavimus, p. 197 sqq.
(2) *De potentia* q. 6, art. 1, ad. 14.

cursum naturæ fiat aliquid ad salutem hominis quæ consistit in ordinationem ipsius ad ultimum finem universi. » Divinarum itaque perfectionum manifestationi, in qua natulis Providentiæ regula suprema est, nihil miraculosa interventio officit.

16. Demum moralis illa possibilitas miraculi optime etiam confirmatur ex possibilitate elevationis humanæ naturæ ad statum supernaturalem. Scilicet in istiusmodi *supernaturalis* divinarum perfectionum manifestationis hypothesi, extraordinaria primæ causæ operatio non modo legibus Providentiæ non adversatur, at ipsis omni ex parte consonat. Nam inprimis posito quod summus Deus libero suæ voluntatis decreto statuerit hominem a se conditum supra conditionis suæ vires adtollere ac participatione quadam suæ naturæ donare, procul dubio inscrutabile illud amoris arcanum hominibus promulgare ipse debebit. Jam vero ut supra vidimus, in præsenti providentia ac spectata hominum communitate, istiusmodi divinæ dispositionis criterium tandem reponendum est in opere aliquo sensibili ac publico, cujus solus Deus causa existere potest. Tali autem operationum genere miracula propriissime continentur. Arctissimo proinde nexu colligantur, in providentiæ actualis ordine, elevationis œconomiæ ejusque possibilitas atque ipsa miraculorum operatio. — Ad hæc, maxima etiam similitudo intercedit inter opus miraculosum et ipsam humanæ naturæ exaltationem. Exaltatio enim supernaturalis elevatio est creaturæ in suo morali sive spirituali esse spectatæ : Miraculum vero propriissime tale elevatio dici potest creaturæ sive naturæ in esse suo physico consideratæ. Quo sensu optime scribit Cl. Hettinger : « Estne miraculum possibile? Analoga quæstione inquisieris : Estne mysterium possibile? Quod enim mysterium est respectu intellectus, hoc idem miraculum est respectu naturæ. Mysterium excedit omnes facultates finitæ mentis : miraculum superat omnes vires naturæ. Mysterium

appellaveris miraculum mentis; miraculum voces mysterium naturæ (1). » Rursum ut ordo physicus subordinatur morali, ita miraculum sive ordo supernaturalis *physico-dynamicus* subjicitur *ordini supernaturali morali* seu ordini elevationis eique tanquam medium ad finem attemperatur. Non uno proinde titulo ethica miraculi possibilitas ex ipsa possibilitate exaltationis humanæ naturæ ad ordinem supernaturalem splendide confirmatur. — Jam vero potuisse Deum elargiri homini elevationis supernaturalis beneficium haud ægre contra Rationalistas conficitur. Sane vi absoluti sui in causas secundas dominii valet ille in hominem agere quæcumque secum repugnantiam non trahunt. Porro verissimum quidem est hominem, ut rationalis natura est in se perfectum existere. Sed quid ejus conditorem prohibeat quominus ulteriorem illi ac prorsus indebitam perfectionem addat? Ecquid obstet quominus sese summus et infinitus Deus rationali creaturæ, transcendenti quadam et intima ratione communicet (1)? Et re quidem

(1) *Op. cit.* I, T. fasc. 1, p. 151.

(1) Plane ad rem Ill. D. Laforêt, Lovaniensis Academiæ Rector : « Dieu ne peut-il pas s'unir d'une manière quelconque à la nature humaine? Et pourquoi ne le pourrait-il pas? Dieu est un être vivant, libre, personnel et, comme tel, parfaitement déterminé; il est présent à tous les points de la création; il est partout et partout vivant, partout agissant, partout soutenant les êtres qu'il a créés : c'est là un fait qui résulte de l'immensité de Dieu et de la conservation des créatures. Dès lors donc il faut bien admettre que Dieu est uni d'une certaine manière à tous les êtres de la création. Maintenant ne peut-il pas y avoir différents modes et différents degrés dans cette union, dans cette présence, c'est-à-dire dans cette action de Dieu sur les créatures?... Ne peut-il pas agir davantage, et ainsi manifester sa présence dans une plus large mesure sur tel point de la création et dans tel point qu'il lui plaît? Évidemment, si Dieu est un être libre et personnel, maître de soi et de son activité, il peut le faire, rien ne l'en empêche. Il n'est pas permis d'élever là-dessus le plus léger doute. Dieu peut donc s'unir d'une union plus étroite à tel homme qu'à tel autre, et agir plus largement sur son intelligence, sur sa volonté, sur tout son être ; il peut manifester en lui une présence plus lumineuse, plus douce, plus tendre, plus pleine; il peut même, en agissant sur cet homme, lui communiquer une lumière et une puissance visiblement *supérieures à l'ordre ordinaire de la nature et de la grâce, comme le don de miracle et de prophétie.* Refuser à Dieu ce pouvoir, ce serait lui

vera, ut paucis universalem elevationis œconomiam complectar, Ordo Supernaturalis formalissime spectatus, prout attenditur in statu viæ, continetur elevatione intellectus et voluntatis per creatam divinæ scientiæ divinæque caritatis participationem; prout vero respicitur in statu termini, consistit in immediata Dei visione et immutabili ejus amore per lumen gloriæ et amorem beatificum. Atqui in illa transcendentali Dei cognitione et dilectione, prout in utroque illo durationis momento consideratur, nihil est quod ulla ex parte impossibile sit. Nam ut scribit D. Thomas, « Deus qui est actus purus absque ulla permixtione potentiæ, *quantum in se est*, maxime cognoscibilis est (1). » Idemque de Dei dilectione pari jure dixeris. Ex parte igitur *objecti* nulla repugnantia existere potest quod magis cognoscatur et perfectius ametur quam hominis facultates sibi relictæ ferant. Sed neque repugnantia ulla adest ex parte *subjecti* sive hominis elevandi. Equidem immensa Dei perfectio infinite humanam capacitatem excedit, neque ullatenus ab ea attingi naturaliter posset. Unde Angelicus subjungit : « Sed quod maxime est cognoscibile in se, inquit, alicui intellectui (puta finito) cognoscibile non est, propter excessum intelligibilis supra intellectum : sicut sol qui est maxime visibilis videri non potest a vespertilione propter excessum luminis (2). » At vero potest omnipotens rerum Dominus huic limitatæ nostræ naturæ defectui et infirmitati supplere, tum proponendo ei, non quidem adæquata, sed analogica ratione, divina illa arcana ac consilia quæ mentis vires excedunt, tum maxime perficiendo et complendo facultates animæ naturales cognoscitivas ac volitivas per auxilia gratiæ tam actualis et transeun-

refuser la libre disposition de lui-même, de son activité; ce serait méconnaître sa personnalité et par conséquent le détruire. » *Les Dogmes catholiques exposés, prouvés et vengés*, 2e édit., l. XI, c. IV, p. 419.

(1) *Summ. Theol.* I, q. 12, a. 1. — (2) *Ibid.*

tis quam habitualis ac permanentis animæque physice inhærentis. Per talia enim adjutoria illud omne creaturæ rationali datur quod necessarium et sufficiens est ut ipsa divinæ naturæ particeps reddatur et actus ponat vitæ æternæ meritorios, in ea quam Deus misericors statuit providentiæ œconomia (1). Porro non tantum minime repugnat actione superioris causæ inferioris agentis facultates physice elevari et compleri, ut potius hoc ipsum consectarium sit legis illius universalissimæ quam sæpius jam meminimus de hierarchica causarum subordinatione. Itaque sive considerentur auxilia *gratiæ prævenientis* et *adjuvantis* seu supernaturalis illustratio mentis ac voluntatis motio, quibus homo ad bonum salutare faciendum divinitus incitatur ac simul in esse suo physico complentur ac perficiuntur ipsæ animæ potentiæ intellectiva et volitiva (2); sive etiam attendatur *gratiæ habitualis* adjutorium seu permanens illa qualitas quæ in ipsa justificatione infunditur animæ eique physice inhæret tanquam vitæ supernaturalis principium quæque hominem formaliter justum ac divinæ amicitiæ consortem constituit : patet in utroque eo supernaturalis œconomiæ elemento nihil esse quod nativæ hominis conditioni ejusque causæ primæ et omnipotentis subordinationi ulla ratione adversetur. — At nulla etiam repugnantia adstrui potest in eorum Theologorum sententia qui existimant in justificatione simul cum gratia illuminationis

(1) Cf. Kilber. *De gratia habituali.* Disp. VI, art. 3.

(2) Huc omnino Didacus Ruiz de Montoja : « Nec enim est completa potentia supernaturaliter intellectiva, nec est completa potentia supernaturaliter volitiva. Unde necessarium est supernaturale *auxilium* vel *habitum* per quod talis potentia compleatur esse causam partialem in genere potentiæ supernaturaliter intellectivæ aut supernaturaliter volitivæ. » — *Comment. ac Disput.* ad 1. P. D. Th. q. 23. — De gratia quatenus *complementum* est facultatum naturalium adesis Cl. von Schazler, in opere prælaudato : *Natur und uebernatur,* c. 1, 4, quibus locis doctus scholasticæ Doctrinæ vindex fuse et erudite confutat recentiorum errorem qui non aliud gratiæ munus assignant quam moralem aliquam et mere extrinsecam facultatum excitationem, ut facilius et efficacius operentur.

et illustrationis ac dono justitiæ creatæ habituali, ipsam quoque Spiritus sancti personam animæ justificati, speciali missione, uniri. Nam, quod unice heic pertimesci vel opponi posset, non magis ex intima illa sui communicatione confunderetur Spiritus sancti persona cum anima justi, quam commiscetur rebus creatis divina essentia vi essentialis suæ immensitatis. Optime, ad rem nostram, illam spiritus sancti cum anima justa necessitudinem explicat Angelicus : « Spiritus sanctus, ait, cum Deus sit, per suam substantiam mentem inhabitat et *sui participatione* bonos facit (1). » Et sui interpres rursum scribit : « Est unus communis modus quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam et præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius : super illum modum communem (sc. divinæ præsentiæ) est unus specialis qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante. Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali sed etiam habitare sicut in templo suo (2). » Explicaturus autem quanam ratione specialis ista Dei in homine justo habitatio approprietur Spiritui sancto, ita pergit : « Non qualiscumque cognitio sufficit ad rationem missionis, sed solum illa quæ accipitur *ex aliquo dono appropriato personæ* per quod efficitur in nobis *conjunctio ad Deum secundum proprium illius personæ*, scilicet per amorem, quando Spiritus sanctus datur (3). » Facile vides in iis textibus statui quidem ab Angelico internam Spiritus sancti cum justo unionem, talem tamen quæ essentialem divinæ humanæque substantiæ distinctionem prorsus retineat. Atque illud quidem

(1) *Summ. cont. Gent.* L. IV, c. 18.
(2) *Summ. Th.* I, q. 43, a. 3.
3) *Sent.* D. 14. q. 2, a. 3.

dictum sit in sententia Theologorum qui tenent præter gratiæ habitum creatum ipsam quoque Spiritus sancti personam in justificatione donari, *missione non communi tribus S. S. Trinitatis personis* sed plane sibi propria. At multi vero Theologi putant unionem Dei cum anima quæ in justificatione peragitur revera communem esse tribus divinis personis, licet *per appropriationem* tribuatur Spiritui sancto, eo quod ex amore Dei pendeat et ad amorem ejus terminetur, cum Spiritui sancto, ex mutuo Patris Filiique amore procedenti, dona gratiæ universim approprientur (1).

17. Sed nulla etiam repugnantia reperiri potest in ea supernaturalis œconomiæ parte quæ ipsius fastigium et consummationem spectat ac fruitione immediata Dei continetur. Dei enim visio immediata transcendit quidem hominis vires at ejus naturæ radicaliter et positive non adversatur, ut posito supernaturali ejus auxilio ad illam evehi nequeat. Audiendus de ea re Em. de Aguirre, nobilis D. Anselmi interpres : « Ratio, inquit, cur visus nequeat elevari ad percipiendos sonos aut spiritus in eo sita est, quod sint omnino extra objectum adæquatum et specificativum ipsius, quod est oculus luce naturali perfusus. Supernaturalia vero licet sint supra quantitatem virtutis naturalem sive proportionem intellectus creati, continentur sub objecto adæquato et specificativo ipsius, quod complectitur *omne verum seu intelligibile,* quoniam intellectus creatus potentia omnino immaterialis est ideoque nulli coarctationi obnoxius ut ad certum aliquod genus intelligibilium restringatur. Quare quæcumque non potest videre aut quidditative cognoscere sola quantitate virtutis naturalis, potest per elevationem attingere, veluti sub ambitu sui objecti adæquati comprehensa (2). » Jamvero auxilium istud quo red-

(1) Videsis Cl. Jungmann. *De Gratia.* P. 237 sqq. — R. P. Franzelin S. J. *De Trinitate*, p. 706 sqq.

(2) S. Anselmi *Theol. Commentar.* T. I, tract. 1, Disp. 8, sect. 5, § 3.

ditur homo capax divinæ visionis consistit in lumine gloriæ sive in qualitate supernaturali permanenter inhærente intellectui beato illumque elevans ad videndam immediate Dei essentiam. Ejusmodi autem auxilium optime naturæ hominis beati attemperari vel exinde constat quod ipse visionis actus ita, vi luminis gloriæ, eliciatur ut simul ad illum concurrat ipse intellectus. Visio enim, juxta receptam in scholis sententiam, est *actus vitalis* beati atque adeo se habet lumen illud quemadmodum habitus quibus potentiæ augentur et perficiuntur (1).—Nihil vero nocere actum illum visionis beatificæ naturali naturæ divinæ et humanæ distinctioni nimis patet quam ut probari egeat. « Hujusmodi autem lumen, inquit Angelicus, intellectum creatum ad Dei visionem exaltat non propter ejus indistantiam (identitatis) a divina substantia, sed propter virtutem quam a Deo sortitur ad talem effectum, licet suum esse a Deo in infinitum distet... Non enim hoc lumen creatum intellectum Deo conjungat secundum esse, sed secundum intelligere (2). »

18. Sane si hæc principia recolas facile videris nullam in œconomia Exaltationis impossibilitatem reperiri. Concludere liceat verbis R. P. Schrader : « Pugna foret 1°, si per supernaturalem hanc humanæ naturæ exaltationem, creationis ordo *a*) vel destrueretur; atqui id non destruitur sed stabilitus evehitur, extollitur; *b*) vel infra se deprimeretur, atqui non deprimitur, sed supra se exaltatur; vel in se *c*) immutaretur; atqui non immutatur in suo ordine, sed ultra suum ordinem perficitur. — Pugna foret 2°, si creatorum increatorumque induceretur confusio; atqui nulla inducitur confusio, sed firmato discrimine statuitur conjunctio. — Pugna foret 3°, si colligeretur oppositio vel inordinatio; atqui inordinatio colligitur nulla ac nulla op-

(1) Cf. Platel. *Synopsis Theol.* P. I, c. 2 et 3.
(2) *Summ. contra Gentes.* L. III, c. 54.

positio, sed pro ratione habituum dumtaxat relationumque justa infertur unius ad alterum ordinatio, ac debita dignitatibus rerum subordinatio : sed nihil porro in rebus inordinati arguendum, quoties apud Auctorem a quo omnia pendent necessario consilium sit et ratio, sit necessario potentia ac providentia : quoties nimirum sapientissimis supremæ mentis decretis æternum præscientis universa, ac futura omnia prævidentis, singula quæque disposita apteque cuncta ad suos fines directa destinataque fuerint, adeo ut verum illud contingat semperque maneat : Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter (1). » At vero statuta ordinis Exaltationis possibilitate, ethica etiam Miraculi possibilitas maxime confirmata est. Talis quippe, uti vidimus, inter *ordinem miraculosum* et ipsam Elevationis œconomiam habitudo intercedit, ut hac stabilita, alterius etiam possibilitas ac notio suapte natura consequantur, cum miraculum proprium Elevationis argumentum existat ac simul ipsius imaginem in ordine physico prorsus referat.

19. Heic quidem sistimus in probanda Miraculi possibilitate. — Porro in his omnibus egimus tantum de Miraculo proprie sumpto, sed hæc quæ diximus vel *a fortiori* Miraculis late sumptis applicanda nemo non videt. Sane, si nulla in eo repugnantia sit quod Deus immediate interveniat in naturam visibilem, minus etiam repugnabit, quod ipse superioris naturæ substantiis vel permittat vel imperet Mirabilia opera coram hominibus patrare. Quippe, ad hoc satis erit si, justa de causa, concedat ut Spiritus, certo aliquo casu, sese immisceant in sphæram inferiorum causarum atque coram illis insitam suam virtutem ac connaturalem potentiam de facto exserant. Satis itaque sit ea de re lectorem remittere ad ea quæ supra dicta fuere de Spirituum virtute. — Reliquum est ut nonnulla ex

(1) *Op. cit.* p. 52.

præcipuis objectionibus quas movent contra miraculi possibilitatem solvamus. Quoniam autem principiis quæ statuimus illæ jam præoccupatæ fuere, satis plerumque fuerit ea paucis resumere.

OBJECTIONES.

1. Miraculi possibilitatem unus omnium acerrime impugnavit Spinoza cujus cæteri increduli sophismata fere recoquere solent. Porro, in loco Tractatus *theologico-politici*, quo de Miraculis agit, sic loquitur : « Ostendam, inquit, nihil contra naturam contingere, sed ipsum æternum fixum et immutabilem ordinem servare. » — Ad hoc autem evincendum sic ratiocinatur : « Ostendimus, ajt, ex eo quod Dei intellectus a Dei voluntate non distinguitur, idem nos affirmare, cum dicimus Deum aliquid velle, ac cum dicimus Deum id ipsum intelligere; quare eadem necessitate qua ex natura et perfectione divina sequitur, Deum rem aliquam, ut est, intelligere, ex eadem sequitur, Deum eamdem, ut est, velle. Cum autem nihil nisi ex solo divino decreto necessario verum sit, hinc clarissime sequitur, leges naturæ universales mere esse decreta Dei quæ ex necessitate et perfectione naturæ divinæ sequuntur. Si quid igitur in natura contingeret, quod ejus universalibus legibus repugnaret, id decreto et intellectui et naturæ divinæ necessario etiam repugnaret, aut si quis statueret Deum aliquid contra leges naturæ agere, is simul etiam cogeretur statuere Deum contra suam naturam agere : quo nihil absurdius. Idem etiam facile ex hoc posset ostendi, quod nimirum potentia naturæ sit ipsa divina potentia et virtus, divina autem potentia sit ipsissima Dei essentia. Nihil igitur in natura contingit quod ipsius legibus universalibus repugnet; at nec etiam aliquid quod cum iisdem non convenit, aut ex iisdem non sequitur. Nam

quidquid fit, per Dei voluntatem et æternum decretum fit; hoc est, ut jam ostendimus, quidquid fit, id secundum leges et regulas quæ æternam necessitatem et veritatem involvunt fit; natura itaque leges et regulas, quæ æternam necessitatem et veritatem evolvunt, quamvis omnes nobis notæ non sunt, semper tamen observat, adeoque etiam fixum atque immutabilem ordinem. Nec ulla sana ratio suadet naturæ limitatam potentiam et virtutem tribuere, ejusque leges ad certa tantum et non ad omnia aptas statuere. Nam cum virtus et potentia naturæ sit ipsa Dei virtus et potentia, leges autem et regulæ naturæ ipsa Dei decreta, omnino credendum est, potentiam naturæ infinitam esse ejusque leges adeo latas ut ad omnia quæ ab ipso divino intellectu concipiuntur se extendant. Alias enim quid aliud statuitur quam quod Deus naturam adeo impotentem creaverit, ejusque leges et regulas adeo steriles statuerit, ut sæpe de novo ei subvenire cogatur, si eam conservatam vult, et ut res ex voto succedant : quod sane a ratione alienissimum esse existimo (1). »

Vel paucis quæ ex Spinozæ libro citavimus, vides negationem quam possibilitati Miraculi opponit principiis Pantheismi niti omnem. Verum facile sit spiritualistis dialecticam hanc machinam evertisse. Nam quod primo Spinoza sumit, Dei intellectum ab ejus voluntate haud distingui, hoc sine distinctione asseri non debet. Sane in simplicissima illa substantia quæ Deus est intellectus et voluntas neque inter se, neque magis ab Essentia *realiter* distinguuntur, at nihilominus intercedit inter Dei intellectum ejusque voluntatem, ac generatim inter divina attributa ejusque Essentiam, *distinctio vurtualis*, cum fundamento in re. Nempe divinus intellectus formaliter dicit divinam Essentiam prout consideratur in suo respectu ad

(1) *Tractat. theologico politic.* c. VI.

scita : contra divina voluntas dicit divinam Essentiam in habitudine ad volita. Porro diversa est habitudo divinæ intellectus ad intelligibilia ab habitudine divinæ voluntatis ad volita; quare aliæ intercedunt relationes inter res finitas mundique ordinem et divinam *voluntatem*, aliæ inter istas et divinum *intellectum*. Nempe, intelligere quidquid intelligibile est, perfectio censenda simpliciter simplex. Ab una enim parte, per hujusmodi adæquatam intelligibilium omnium comprehensionem, consequitur Dei intellectus formalem suum actum, in quo ipsius perfectio sita est : ab alia vero parte, ad comprehensivam rerum etiam finitarum cognitionem, minime fit divina Essentia dependens a rebus a se distinctis : quippe, in infinito illo Ente, nequaquam requirit ejusmodi rerum contingentium cognitio, ut illæ *de facto* et *physice* existant. Ipsum namque, suam Essentiam infinite comprehendendo simul et ipsam, et in ipsa, ceu in exemplari radice, omnia quæ aliquo modulo ejus realitatem repræsentare valent, simplicissimo intelligendi actu ab æterno intuetur. Hinc quidquid realitatis *ac proin intelligibilitatis* existere potest, in ipso actu, quo se intelligit, Deus assequitur. Cum igitur intrinsece necessaria sit divini intellectus ad divinam essentiam habitudo, hinc etiam eadem necessitate constare debet ejus habitudo ad eminentem rerum possibilium omnium comprehensionem, quæ huic intelligendi actui substat. — At vero voluntas divina pro termino habet res ut sunt *in se ipsis*; volendi enim facultas *apprehensiva* est ac supponit suum objectum in *se ipso physice* constitutum. Atqui inde sequitur divinæ voluntatis habitudinem ad res a divina essentia distinctas esse plane liberam. Cum enim Deus essentia sua *infinitus* existat, patet ipsum omnino perfectum esse quin ens aliquod contingens ad existendum determinet. Proinde inter res finitas atque Dei voluntatem relatio simpliciter necessaria nequit

intercedere, sed contra ista relatio prorsus libera erit dicenda. — Inferendum itaque, minime repugnare quod Deus res finitas necessario cognoscat et libere tamen velit, licet divina voluntas a divino intellectu distinguatur *virtualiter* tantum, sive ratione termini. Hæc enim distinctio, ut diversitatem ponit in termino relationis, sic etiam diversitatem ponit in ipsa relationis natura. Altissime Angelicus : « Sicut divinum esse *in se* est necessarium, ita et divinum velle et divinum scire. Sed divinum scire habet *necessariam habitudinem* ad scita, non divinum velle ad volita. Quod ideo est, quia scientia habetur de rebus secundum quod sunt *in sciente*, voluntas autem comparatur ad res secundum quod sunt in se ipsis. Quia igitur omnia alia habent necessarium esse *secundum quod sunt in Deo* (sc. in scientia simplicis intelligentiæ), non autem secundum quod sunt in seipsis habent necessitatem absolutam, ita quod sint per se ipsa necessaria : *propter hoc* Deus quæcumque scit, ex necessitate scit, non autem quæcumque vult ex necessitate vult (1). » — Sed præterea ex dictis sequitur, quiquid ad intelligendi perfectionem pertinet, illud omne Deum assequi ipso actu quo suam Essentiam comprehendit. Ea enim simplicissima intellectione, Deus possibilia omnia, sive creaturarum archetypa et metaphysicam essentiam adæquate intuetur. Quia vero res finitæ quæ in tempore ad existendum determinandæ sunt necessario suo typo essentiali respondere debent, et in suis *individuantibus notis* suo archetypo etiam assimilantur; hinc divini intellectûs perfectio formaliter absolvitur ipsa *simplicis intelligentiæ* scientia nihilque requirit, ex antecedente necessitate, scientiam quam dicunt *visionis*, quæ res finitas jam actu existentes supponit. Hinc vero est quod Philosophi et Theologi ipsam Dei scientiam

(1) *Summ. Theol.* I, q. 19, art. 5, ad 6.

partiuntur in *necessariam* quæ res complectitur in suo eminente et ideali statu, atque in *contingentem* quæ in entia finita, quatenus *physice* existentia terminatur, atque ad decretum Dei liberum consequens est. Sed hoc posito, argumentum Spinozæ, præterquam falsum esse ostendimus, perbelle etiam in eum retorquetur. Nam vel dato quod in Deo intellectus et voluntas non distinguantur, sic quis optime ratiocinetur : Non omnia quæ Deus intelligit, intelligit necessario, *cum scientia visionis sit libera.* Ergo neque omnia quæ vult, vult ex necessitate naturæ. — Animadvertendum insuper quam insulse Spinoza leges naturæ ipsa Dei decreta vocet, ex quo rursum inferat eas intrinseca necessitate et immutabilitate constare. Equidem Spinozæ ac Pantheistis naturæ leges pro divinis decretis habentur : imo Natura qua late patet universa ipse Deus est, prout tamquam commune ac potentiale rerum omnium substratum cogitatur. Sed ostendunt Philosophi primam causam minime pro ejusmodi impersonali subjecto haberi posse, sed contra personali et infinita Essentia subsistere, ut adeo leges naturæ non sint nisi effectus ejus liberrimæ efficacissimæque voluntatis. Falsum quoque quod heic sophista sumit, omnia intelligibilia suam veritatem ex divinis decretis sive ex divina voluntate habere. Nam, ut logici docent, Viritates necessariæ, qua tales, pendent formaliter a divino intellectu omnium intelligibilium fonte exemplari, remote vero et radicaliter a divina Essentia : contingentes vero veritates, seu melius *contingenter* vera, prout pertinent ad scientiam visionis, pendent quidem aliquatenus a divina voluntate, sed istæ nullam, ut diximus, fundant in Dei voluntate necessitatis habitudinem. — His porro animadversionibus eversa habes quæcumque de Miraculi impossibilitate Spinoza adstruit.

2. Aliam objectionem quæ variis formis usque proponitur, petunt ex legum naturæ immutabilitate. Hanc com-

muni consensu proponunt tum Diestæ tum Athei. Notissima verba Voltairii : « Un miracle, ait, est la violation des lois mathématiques, divines, immuables éternelles. Par ce seul exposé, un miracle est une contradiction dans les termes, une loi ne peut être à la fois immuable et violée (1). » Magis etiam absolute in eamdem denegationem veniunt qui post creatum mundum nullam prorsus sive supernaturalem, sive etiam naturalem Dei interventionem in adspectabili universo recipiunt. Sic inter recentiores maxime omnium D. J. Simon : « Il est douloureux de penser que ceux qui admettent la coopération spéciale et particulière de la Providence croient éviter par là de limiter la science et la puissance de Dieu tandis qu'au contraire ils ne font qu'introduire en Dieu par cette fausse notion de la Providence la multiplicité qui est identique avec le non-être... Il y a en Philosophie un problème qui est que l'un ait fait le multiple. L'hypothèse que nous combattons, à ce problème qui est unique, en ajoute un autre entièrement de son fait et c'est de comprendre que le fini puisse modifier l'infini. Ces deux mots : une modification de l'infini hurlent de se voir accoupler. Mais que cette modification de l'infini soit produite par un être fini, c'est ce qu'on ne saurait admettre sans renverser les principes mêmes de la métaphysique (2). » — Eadem magis directe ordini supernaturali objecta habes apud D. Réville : « L'immutabilité, ait, est la pierre de fondation de foi et de ma religion, une pierre que le Miracle ébranle. Et savez-vous bien une chose? C'est que si Dieu n'est pas immuable, si sa volonté n'est pas éternellement identique, si sa liberté est l'arbitraire, s'il peut vouloir une chose aujourd'hui et le contraire demain, c'est alors que tout s'écroule, logique, reli-

(1) Ap. Nonotte : *Dict. phil.* art. Miracle.
(2) *La religion naturelle.* Ed. 2a, p. 265.

gion, immortalité, Evangile, morale. Disons mieux il n'y a plus de Dieu. Il ne reste qu'une Fatalité n'ayant pas même le mérite du Fatum antique, lequel du moins ne revenait par sur ses décrets aveugles, de sorte qu'on savait encore un peu à quoi s'en tenir sur son compte, une fatalité capricieuse de rendre fou quiconque la prendrait sérieusement pour le dernier mot des choses (1). » — Mirer, fateor, talia a viris litteratissimis Miraculorum possibilitati opponi quæ omnia enormem veræ metaphysicæ irrisionem habent. — Nam, quod notes, admittunt ii quos modo citavimus increduli, specietenus saltem, Dei absolute perfecti existentiam. Jamvero, ut perpetuo schola spiritualistica tradidit, Deus ille in se ipso actus purissimus existendi est : cum enim sit ipsum subsistens esse atque Ens a se, hinc ipsius Essentia formaliter habenda pro *æterna et omnipotente activitate*, nulli potentialitati admixta. At si consideres jam hanc infinitam activitatem prout terminatur ad extra sive prout agit in tempore, ipsius simplicissimum actum infinitis iisque diversissimis modis terminatum videris, pro ratione effectuum quos in temporis differentia producit. Sed hoc posito, nonne vides, uno et eodem immutabili actu, ab æterno statui decreta quibus subsequitur mundi ordo consuetus et illa quibus de justa causa, personali primæ causæ creatricis interventione, effectus aliqui præter et supra vires naturæ ordinatas eliciuntur; uno verbo, simul ab æterno constituta sunt per infiniti Dei omnipotentiam normæ quibus mundus adspectabilis regitur earumque, certis casibus, ad altioris causæ influxum, suspensio. Quare is tantum Miraculo mutationem in Deum induci credat, qui istud pro emendatione quadam naturæ aut pro effectu *novi* Dei *actus* habet, quasi prima causa a secundis causis *modifica-*

(1) *Revue de théologie*, Mars 1861.

retur. Primum falsum probavimus ubi ostensum est Miracula fieri ad bonum ordinis *moralis*, at minime spectare ordinem *physicum* sive *cosmicum*, qua talem. Alterum ignorantiam prodit de purissimi illius actus natura, quatenus terminatur ad extra. Quod vero objicit D. J. Simon, lædi divinæ immutabilitatis conceptum ex ulteriori qualibet Dei in mundum interventione, hoc certe aut nullum habet intellectum aut in ipsam primam rerum creationem perbelle retorqueri potest, quam auctor tamen cum suis recipit. Quin necessitas *continuæ* summi Dei interventionis in causas secundas ipsam earum contingentiam evidenter consequitur. Neque enim minus indiget causæ creatricis concursu ens contingens quodlibet, sub singulis durationis momentis, quam ipso sui initio. Ut adeo fundamentum cui nituntur adversarii ad removendam specialis interventionis notionem, quodque in primis adversus operationes supernaturales urgent, contra illos plane retorqueatur (1). At hisce stabi-

(1) Optime Cl. Matignon. « C'est la suprême inconséquence de la philosophie rationaliste d'admettre la Création, et de la considérer comme un fait *purement transitoire*. Car l'être qui ne trouve pas en soi la raison de son existence, n'est pas moins dépendant de sa cause première aujourd'hui qu'il l'était au moment même où il a été produit. Un instant dans sa vie n'entraîne pas l'instant qui va suivre. Il ne peut se soutenir qu'en s'appuyant sur la force qui le fait être, et les anciens n'avaient pas si mal rencontré quand ils le comparaient à l'homme qu'une main puissante tient suspendu sur un abîme. L'acte créateur est cette main invisible. La main est hors du temps, mais elle atteint toutes les parties du temps. L'action qu'elle exerce est simple en elle-même, mais elle se multiplie dans ses effets et les diversifie selon les circonstances. Donc la conservation, et une conservation positive, n'est pas moins nécessaire à tout être fini, pour persévérer dans l'existence, que la création, pour passer du néant à l'être. Descartes regarde cette nécessité comme évidente, et il en tire une preuve invincible qu'il y a un Dieu. — « Je ne crois pas, dit-il, que l'on puisse douter de la vérité de cette démonstration, pourvu qu'on prenne garde à la nature du temps ou de la durée de notre vie; car étant telle que ses parties ne dépendent point les unes des autres et n'existent jamais ensemble, de ce que nous sommes maintenant, il ne s'en suit pas nécessairement que nous soyons un moment après, si quelque cause, à savoir la même qui nous a produit, ne continue pas à produire, c'est-à-dire ne nous conserve. Et nous connaissons aisément qu'il n'y a point de force en nous par laquelle nous puissions subsister ou nous conserver un seul moment, et que celui qui a tant de puissance qu'il nous fait subsister hors de lui, et qui nous conserve, doit se

litis Theodicææ rationalis principiis quid, quæso, jam sibi volunt ista *infiniti per finitum modificatio*, item logicæ et scientiarum atque legis moralis ex Miraculorum possibilitate eversio, quam ridicule magis quam serio, opinor, D. V. Réville describere non veretur. Nonne diceres in doctrina spiritualistica Miraculum exhiberi tamquam eventum ordinarium et fere solitum, quodque Deus ad hominum deceptionem perpetuo dirigit. Sane, si sinceri adversarii sint, fatebuntur miraculosam interventionem vitæ socialis securitati et scientiarum stabilitati haud magis nocere quam superioris causæ cujuscumque influxum. — Quin certi sumus Deum *infinitum* tali ratione suam in res finitas interventionem moderaturum, quæ hominum bono ac commodis usque prospiciat : quare levissima ea recentiorum sophismata vel nullum sensum præ se ferunt vel Dei veri negationem includunt.

conserver soi-même, ou plutôt n'a besoin d'être conservé par qui que ce soit, et enfin qu'il est Dieu. » — Et paucis interjectis auctor pergit : « Vous dites que le Créateur n'intervient plus part des actes directs ; mais les âmes des enfants qui naissent, d'où viennent-elles? Les faites-vous sortir par enchantement du sein de la matière? Les extrayez-vous des autres âmes, selon l'absurde système du *traducianisme?* Ou bien appelez-vous la métempsycose à votre secours, et prétendez-vous que les hommes du XIXe siècle sont les mêmes, sauf l'habit, que ceux du temps de César ou d'Alexandre? S'il en est ainsi, avouons qu'il n'y paraît guère. Enfin il faut bien expliquer l'apparition des nouveaux venus. Direz-vous, avec les modernes origénistes, que toutes les âmes ont été créées au commencement, mais qu'elles ne viennent qu'en temps et lieu habiter notre planète? Qu'avons-nous fait, où étions-nous pendant tant de siècles? Faut-il ressusciter les corpuscules de Leibniz et le long sommeil dans les éléments spermatiques? Ou enfin notre existence actuelle est-elle un anneau quelconque d'une chaine infinie de pérégrinations, et devons-nous, avec M. Jean Raynaud, nous promener éternellement d'étoile en étoile? On le voit, le repos complet de Dieu depuis la création n'est pas si facile à comprendre ; cette hypothèse soulève un monde de difficultés dont le rationalisme aurait dû se préoccuper davantage. Il a beau dire que la la création était complète à sa première minute, qu'elle avait en elle à sa naissance tout ce que les siècles ont développé et tout ce que la suite des siècles amènera ; cette réponse vague et prétentieuse ne satisfait en rien ; elle n'explique ni la persévérance dans l'être, ni l'action des créatures, ni la perpétuelle succession des générations humaines. La création une fois reconnue, il est impossible de demeurer en chemin, il faut aller jusqu'à confesser qu'elle se continue incessamment par la même puissance, quoique d'une autre manière. » *La question du surnaturel*, p. 266.

5. Specialis primæ causæ interventionis impossibilitatem *quam ex Dei immutabilitate* Deistæ negant, Materialistæ ac Positivistæ recentiores ex *ipsa virium physico-chimicarum æternitate et intrinseca necessitate* derivant. « Le principe essentiel de la science, inquit D. Renan, est de faire abstraction du surnaturel (1). »— Equidem norim eundem auctorem alibi asserere Miraculi possibilitatem a se minime negari sed ejus cognoscibilitatem tantum et criticam certitudinem in dubium vocari (2). Verum, contradictioria ista asserta non nisi varias mobilissimi ingenii evolutiones esse quisque videt, quibus aut lectoribus fucum facere, aut polemicæ aspera declinare cupit. Profecto D. Renan, qui positivismi dogmata recipit, logice agit ubi Miraculi impossibilitatem adstruit. — Magis candide Miraculi impossibilitatem ex naturæ legum immutabilitate et necessitate deducit D. Buchner : « Comment serait-il possible, rogat, que l'ordre immuable dans lequel les choses se meuvent fût jamais interrompu, sans causer un déchirement irrémédiable au monde, sans livrer nous (sic) et l'univers à un arbitraire désolant, sans admettre que toute science est un fatras puéril, toute recherche sur cette terre un travail inutile. » Et paulo post : « Personne ne saurait comprendre comment *une raison qui gouverne*, s'accorde avec des lois immuables. Ou ce sont les lois immuables de la Nature qui gouvernent, ou c'est la raison éternelle : les unes à côté des autres entreraient à tout moment en collision. Si la raison éternelle gouvernait, les lois de la nature seraient superflues, si les lois immuables de la nature gouvernent, elles excluent toute autre intervention personnelle (3). » Eadem habet alter Materialismi antesignanus E. Littré qui de thesi supernaturalistarum agens, notat in eorum systemate absurde retineri hinc extramun-

(1) *Lettre à ses collègues.* Cf. Ill. Meignan. *Op cit.* p. 68.
(2) *Vie de Jésus.* Introd. p. 4.
(3) *Force et Matière.* Trad. Gamper Ch. Immutabilité de la matière.

danas supernaturalis Causæ determinationes, illinc ipsas naturæ leges : « Tandis qu'alors (inquit, dum loquitur de iis temporibus quibus omnia naturæ phænomena soli causæ primæ tribuebantur), une seule et même conception suffisait pour interprêter l'ordre naturel et merveilleux, présentement il faut admettre une double conception, l'une pour l'un, l'autre pour l'autre. Il faut admettre qu'en général les lois du monde prévalent et font aller la grande machine, mais qu'en particulier des volontés arbitraires les suspendent et les troublent. Il faut admettre que les choses obéissent à deux systèmes de forces complètement distinctes, les forces immanentes de la matière et les forces intercurrentes des êtres supérieurs (1). »

4. Ut istiusmodi positivistarum exceptioni occurramus, qua vel ipsam Ordinis supernaturalis hypothesim *a priori* conclamatam et veluti anti-scientificam Philosopho omittendam pronuntiant, operæ pretium fuerit, pro hodiernæ polemicæ debito, paucis eorum præcipuas sententias delineasse, quibus cupiunt omnem causæ primæ et extramundanæ notionem evertere atque ita ipsum supernaturalis interventionis fundamentum tollere. — Scilicet, si quis Materialistarum recentium libros evolvat, compertum is facile habebit potissimum imo unicum argumentum, cui eorum assertiones superstruuntur, reponi in materia ejusque virium aseitate et æternitate. Appellant quippe inprimis legem illam, quæ modernæ scientiæ observatione magis in dies stabiliri videtur, inalterabilem ponderabilium et imponderabilium elementorum permanentiam per infinitos mutationis continuæ fluxus : atque ex illa materiæ *indestructibilitate*, deducunt ipsius æternitatem (2).

(1) *Introd. à l'ouvrage de M. Salverte :* Des sciences occultes 3e ed. Paris 1857, p. XXXIX.

(2) Cf. Buchner. *Force et Matière.* c. I et II. — Videsis de permanentia elementorum materialium Ex. D. Docq, Prof. Lovan. in opere quod lauræa donavit Societas regia scientiarum naturalium Batavo-Lugdunensis : *Examen des théories relatives a la nature des agents physiques.* Rotterdam, 1865, c. II, § 2, p. 70.

Porro statuta æternitate et necessitate materiæ (l'éternité de la matière), consimili modo inferunt æternitatem essentialis *materiæ vis* (l'éternité de la force). Hanc autem deducunt ex principio *unitatis virium physicarum ac reciprocæ eorum transformationis.* Considerationem istam præ cæteris illustratus est D. Molescott in suis litteris *de circulari vitæ cursu.* Ejus porro mentem sic descripserim : Vis (la force essentielle) in se ipsa semper eadem perseverat, at diversis modis manifestatur, ita ut octo vires fundamentales, in quarum investigatione occupatur physica, calor, lumen, electricitas, magnetismus, affinitas, gravitas vis mechanica ac cohæsio, non sint nonnisi multiplices unius cujusdam principii manifestationes, quod in *motu mechanico* reponitur (le mouvement). Ex illa vero virium unitate ac motus jugi transformatione infert auctor earum æternitatem. Atque ita statuta æternitate tum ipsius materiæ, tum essentialis materiæ vis, universi complexum repræsentat ceu circularem et æternam motuum seriem quorum unusquisque a præcedenti motu dimanat et causa motus subsequentis ipse evadit (1). Ex his cosmologicis principiis, quæ positivistis communia sunt, deducunt ipsi causæ extramundanæ cujuslibet inutilitatem atque proin miraculosæ supernaturalis interventionis *radicalem et antecedentem repugnantiam.* — Itaque, ut his breviter pro nostro instituto occurram, observabo in primis, quod materiæ *indestructibilitatem* attinet, hac prorsus concessa, nequaquam sequi ejus æternitatem. Quid enim? Nonne optime inter se conciliantur hinc quidem materiæ actualis indestructibilitas, illinc ipsius contingentia et temporalis creatio? Quænam logica connexio reperitur inter utrumque hujus argumenti membrum : Non valent agentia naturæ physicas vires in præsenti destruere. Ergo neque ab

(1) *Lettres sur la circulation de la vie.* Trad. Cazelles, maxime Lett. 5, 6, 17.

Ente infinite potenti (hypothetice saltem sumpto) illa potuerunt creari? Nonne ipsi theologi admittunt ex principiis metaphysicis materiam, cum jam existere incæperit, posthac nulla vi creata destrui jam posse? Quin, ut animadvertunt doctissimi hujus ætatis physici, experientiæ non subjacet nisi *præsens* phænomenorum status : quare dum Positivistæ ad ipsius rerum *initium*, ex sola empirica observatione, gradum faciunt, systematis causa agunt et scientificæ methodi prætergrediuntur limites. Gravissimum in ea re est judicium viri qui nequaquam supernaturalismi suspectus sit : « Nullus mortalium, inquit Cl. Virchow Berolinensis physiologus, novit quid ante actualem mundi statum extiterit. Scientia empirica nullum habet investigationis fundamentum præter præsentem universi formam. Materialistæ eo contendunt, ut phenomena cosmica et anthropologica ex materiæ viribus explicent : *experientiam transcendunt ac systema condere moliuntur*. Atqui systemata speculationis fœtus sunt, non experientiæ nec investigationis (1). » Similibus innixis principiis notavit alter empiricæ ac positivæ physicæ dux D. Stuart Mill, leges naturæ nihil nos docere de mundi origine : quin aperte fatetur, nihil in illis esse, quod hypothesi primitivæ Creationis et Notioni Dei infiniti repugnet, ut adeo, illo judice, necessario τὸ *Supernaturale*, ut illi loquuntur, sive *immediata ac directa primæ causæ interventio* ad rerum initia sit agnoscenda (2). Nimis proin debilis argumentatio adversariorum, ut pluribus illam exagitem. Referam tantum nonnullas observationes D. Caro, quæ optime ad rem faciunt. Audiamus, inquit ipse, quid Materialistæ ex hoc facto Materiæ indestructibili-

(1) « Personne après tout ne sait ce qui était avant ce qui est... La science n'a d'autres données que le monde qui existe... Le matérialisme se constitue à l'état de système. Or les systèmes sont bien plus le résultat de spéculation que le résultat de l'expérience. » *Revue des cours scientifiques*. Ann. 1864, p. 310.

2. Cf. opusculum D. Littré : *Auguste Comte et M. Stuart Mill* passim, item Caro : *Le matérialisme et la science*, p. 174.

tate derivent. — Si constitit modo, aiunt, nullam atomum perire, materia necessaria et æterna sit oportet. Quod annihilari nequit, creari non potest : atqui materia nunc indestructibilis est, ergo æterna est. — Sane ita argumentantur homines isti, at iis solum placere potest eorum argumentatio, qui ultro Positivismi dogmata recepere. Esto igitur! facta recipio, at quam parum derivatur ex illis ista quam volunt conclusio! — Nihil perit in mundi hujus adspectibilis elementis, materiæ quantitas jugiter eadem perseverat. Concedo totum. Et mihi persuasum est, nullam atomum jam addi præexistenti materiæ. At nonne possunt optime istiusmodi facta componi cum idea *Causæ creatricis?* Nonne possum ex perpetuitate materiæ inferre permanentiam actus Causæ creatricis, propriis suis legibus constantis? Certitudo ista de materiæ permanentia et indefectibilitate non est protrahenda ultra limites observationis, cui innititur. Verum hæc non attingit nisi materiam *prout actualiter existit et conspicitur :* præter jus igitur omne is agit, qui ex illa ad materiæ æternitatem gressum facit. Tacet siquidem *observatio* statim ac de *origine* materiæ quæstio movetur. — Cæterum quam miser logicus ille est, qui ex impossibilitate *actualis materiæ annihilationis* concludit ad impossibilitatem primitivæ ejus creationis! Quisnam est, amabo te, nexus necessarius inter utramque hanc enuntiationem? Quare illud quod hic et nunc nequit desinere *incipere* non potuit? Quare, quæso, illud, quod modis humanis destrui non potest, non potuit vi superiore creari? Ab una istarum propositionum ad alteram non venies nisi *experientiæ empiricæ* (qua una niti possunt Positivistæ), valedicas (1). Sic fere ille.

(1) « Voici le raisonnement que l'on bâtit sur ces faits : S'il est établi, nous dit-on, que pas un atome ne peut se perdre, cela prouve l'existence nécessaire et éternelle de l'atome. Ce qui ne peut être anéanti ne peut être créé, la matière est actuellement indestructible, donc elle est éternelle. Je ne crois pas me trom-

5. Sed nec felicius agunt adversarii, dum æternitatem virium physicarum evincere volunt ex principio earum *unitatis* et *mutuæ transformationis*. Namque in primis accuratioris physicæ judicio non plane, arbitror, probaretur famosum Positivistarum assertum, vires physicas reciprocæ *transformationi* patere (1). Equidem factum nemini dubium est, sibi *succedere* ejusmodi virium manifestationes, sed utrum proprie dicta *transformatione* motus isti gignantur, hoc, licet probabile satis sit, pro certo tamen necdum inter

per en rétablissant dans ce sens l'argumentation des matérialistes. Mais qui ne voit que cette argumentation ne peut satisfaire que ceux dont le parti est pris d'avance? Ici encore on confond l'exactitute des faits avec celles du raisonnement. Pour ma part, j'admets les faits, mais je puis en tirer aussi légitimement une conclusion fort différente. Rien ne se perd; la quantité de matière reste la même, je l'accorde; de même que rien ne se perd, rien ne se crée, soit. Je me tiens pour convaincu que si j'avais des balances assez fortes et assez précises pour me permettre une verification, l'expérience constaterait qu'aucun atome ne vient s'ajouter à la masse persistante sous les formes les plus diverses, de même qu'aucun atome n'en peut être à aucun instant retranché. J'admets tout cela. Mais est-ce que ces faits ne s'accordent pas aussi bien avec *l'idée de la création* qu'avec le prétendu principe de *l'éternité de la matière?* Ne puis-je pas en inférer aussi légitimement la vraisemblance de l'acte créateur, constant à lui-même, fidèle à ses propres lois. La certitude positive que rien ne se perd, que rien ne se crée, est selon le véritable esprit de la science expérimentale, une certitude sans doute, mais dans certaines limites, et dans ces limites seulement : elle est circonscrite à la partie de l'univers qui nous est accessible et connue, dans les bornes du temps où nous enferment moyens d'investigation. — Au delà s'il y a un au delà, en dehors de cette partie de l'univers déterminable par la science, en dehors du temps perceptible à nos expériences, plus rien que l'inconnu pur, le possible, l'indéterminé. C'est donc outrepasser d'une manière choquante les droits et la portée de l'expérience positive que de déclarer qu'elle conclut à l'éternité de la matière. *Elle ne conclut qu'à la persistance de la matière dans sa quantité actuelle et déterminable.* Elle est absolument muette, elle doit l'être, elle le sera toujours *sur les origines et sur l'avenir.* Qui ne voit d'ailleurs la faute de logique que renferme une proposition pareille : ce qui ne peut être anéanti n'a pu être créé? Pourquoi cela? Quel rapport nécessaire y a-t-il entre ces deux idées : *l'impossibilité de l'anéantissement et l'impossibilité de la création primitive?* Pourquoi ce que nous ne pouvons détruire par nos moyens humains n'a-t-il pu être créé? Voilà à coup sûr une transformation bien inattendue de cette proposition parfaitement inoffensive qu'établit la science, à savoir, que nous ne pouvons rien retrancher ni ajouter à la quantité immuable de la matière. — De cette proposition à l'autre, que soutiennent les matérialistes, on ne peut passer sans sortir de l'expérience. » *Op cit.* p. 225. sqq.

(1) Cf. Buchner. *Op cit.* c. III. *Immortalité de la force.*

doctos habetur. Itaque, si rigorose loquendum sit, dare possumus, quod *plurimum* vires physico-chimicæ mutuo sibi succedunt : imo definire valemus mensuram *motus mechanisi* (la quantité de travail) cui determinata *Caloris* quantitas proportionatur; quod vero cæteras, *a calore distinctas*, vires physico-chimicas spectat, rem definire hactenus non licet : quare hoc tantum certo statuere possunt empirici, scilicet vires sive melius *virium effectus* ita se mutuo excipere, ut, uno desinente, alter existere incipiat (1). Jamvero huc reducta recentioris physicæ de re nostra doctrina, quonam pacto, quæso, ex illa adstrui logice poterit *vis materialis aseitas et æternitas* (*l'éternité de la force*)? — Nimirum, quod fuse prosequitur vir qui in præsentis quæstionis solutione non minori audacia quam ingenio et labore perstitit, D. Saigey, *vis materialis* (*la force*) neque arcana quædam *ἐνεργεια* peculiaris naturæ, imo neque essentialiter inhærens et coæterna materiæ proprietas sit : verum si eruditioribus physicis credendum sit, nihil aliud demum censenda est *vis physica* nisi *series motuum, derivata ex anterioribus motibus ac insequentibus continuata.* « Vocabulum *vis* (la force), sic iterum Cl. Caro resumens præcitatum auctorem, nihil aliud scientificis est, quam elliptica expressio certæ *effectuum* serii. Jure dixerim Materialistis : De viribus materiæ eatenus loqui fas est, quatenus per illos effectus significantur, quos vires istiusmodi exserunt. Quidquid præterea a vobis asseritur de virium existentia, origine, æternitate, essentiali cum materia habitudine, illud omne procul ab experientia petitum est ac idealismi nota inuritur. Observatione empirica deprehenduntur *tantum effectuum transformationes* : vis ipsa ei manet inac-

(1) Cf. D. Bossu in examine theoriæ Materialisticæ L. Buchner : *Revue catholique*, nº de Mai, Lovanii 1868. Hanc positivisticæ methodi confutationem distincto fasciculo edidit Fonteyn, sub titulo *Un matérialiste.* Examen sommaire de l'ouvrage du Dr Buchner 1868.

cessa nec aliter scientia vocabulo illo utitur nisi ad instar elliptici cujusdam effectuum symboli (1). » Porro his ex physicorum placitis constitutis, Positivisticæ sententiæ inanitas jam proxime patet. — Equidem demus, ultima scientificæ observationis et universi elementa esse *materiam* et *motum*, atque illa ab invicem separata nunquam de facto reperiri. Sed hoc concesso, solvenda jam quæstio capitalis, *num certo constet, materiam sibimetipsi adæquatam motus sui causam existere?* Age licet illud ultro præsumant adversarii, nullo tamen argumento probant. Esto nunquam materiam occurrere nisi motu præditam : parum tamen logicus sit, qui inde inferat motum ab ipsa materia produci. Latius quippe patet conclusio præmissis. Quin, fatentibus physicis, qui systematici esse nolunt ac præ cæteris etiam Cl. Virchow (2), materia charactere ornata comparet, qui hypothesi *de motu essentiali* plane opponitur, nimirum inertia sive sua ad motum etad quietem indifferentia essentiali (3). Esto igitur, vires physico-chimicas reduci ad varias *motus mechanici* species. Profecto exinde nedum ejusmodi virium *aseitas* et *necessitas* sequantur, multo magis earum contigentiam intuleris. Motus enim, quo afficitur *materia de se indeterminata* non materiæ ipsi, sed principio ipsi *extrinseco* adscribendus est. Quod virium physico-chimicarum

(1) Le mot force doit être considérée comme l'expression elliptique d'une classe déterminée d'effets. Nous pouvons dire aux Matérialistes : vous n'avez le droit de parler des forces qu'au point de vue *des effets* que ces forces supposées produisent... Mais en dehors de ces données positives, tout ce que vous avancerez sur l'existence de la force, sur son origine, sur son éternité, sur son inhérence essentielle à la matière, c'est de *l'a priori*. La science expérimentale ne saisit que des *transformations d'effets*, elle n'arrive pas jusqu'à la force elle même; elle ne se sert de ce mot que comme d'une abbrévation commode. *Op. cit.* p. 233.

(2) *Gesammelte Abhandlungen*, 2 Aufl. 1856.

(3) Cl. de materiæ contingentia ac de vero sensu hujus asserti : *materia ex sese iners est*, quod a pluribus perperam exponitur egregie disserentem D. P. Janet, ex Instituto Parisiensi : *Le Matérialisme contemporain en Allemagne*. Paris 1864, p. 52 sqq. Hunc auctorem vel eo libentius cito quod minus supernaturalisticæ, ut ajunt, tendentiæ suspectus sit. — Item Cl. Guthlin : *Les doctrines positivistes en France*, p. 77 sqq.

contingentiam plane statuit. Egregie hoc ipsum ostendit D. Caro, cujus argumentationem, quamvis satis prolixam, non possum textui non inserere : « En quoi, scribit, l'*unité des forces physiques*, à supposer qu'elle soit hors de toute contestation, est-elle plus conforme à l'hypothèse matérialiste qu'à l'hypothèse d'un principe créateur? En vérité je ne puis le comprendre. Ne soyons pas dupes du mot *force* qui fait si aisément illusion dans les esprits. Sans doute il arrive que quelques matérialistes reconnaissent de bonne grâce que ce mot ne représente qu'une abstraction. Mais trop souvent ils semblent oublier cet important aveu et quand ils parlent de l'unité de la force, de l'immortalité de la force, de l'impossibilité de concevoir que la force puisse être détruite et qu'elle ait pu être créée, on dirait qu'il s'agit pour eux de quelque principe d'action d'une nature toute particulière ou tout au moins d'*une propriété essentielle et constitutive, inhérente et coéternelle à la matière*. Or, si l'on s'en tient rigoureusement aux données expérimentales, la force n'est rien de semblable. Elle ne représente d'une manière claire qu'*une série de mouvements* produits par des mouvements précédents, se transformant et se continuant dans une série de mouvements ultérieurs. En dehors de cette idée il n'y a rien que des rêves, un pur roman métaphysique. — Le mot *force* doit être considéré comme l'expression elliptique d'une classe déterminée d'effets. — Nous pouvons dire aux matérialistes : vous n'avez le droit de parler des forces qu'au point de vue des effets que ces forces supposées produisent. Estimez telle force en la comparant à un poids, je vous comprendrai, appréciez-la en lui donnant un équivalent numérique en kilogrammes. Estimez le travail de la force en le mesurant par l'élévation d'un poids : traduisez ce travail en kilogrammètres, je vous comprendrai encore. Mais en dehors de ces données positives

tout ce que vous avancerez sur l'existence de la force, sur son origine, sur son éternité, sur son inhérence essentielle à la matière, c'est de l'à priori pur. — La science expérimentale ne saisit que des transformations d'effets, elle n'arrive pas jusqu'à la force elle-même, elle ne se sert de ce mot que comme d'une abréviation commode. Nous ne saisissons que du mouvement et des transformations du mouvement. Mais en tout cela où prenons-nous le droit de rien affirmer *sur le principe même du mouvement, sur son inhérence essentielle à la matière, sur son immortalité?* L'auteur des remarquables études que nous avons citées (1) sur l'unité des phénomènes naturels est aussi explicite que possible sur ce point qui touche de si près aux origines scientifiques du matérialisme. Il résulte de ses déclarations expresses que, dans le langage précis de la physique et de la mécanique *une force n'est pas à proprement parler un attribut, une proprieté, un principe de la matière.* Scientifiquement toute cause de mouvement n'est que le mouvement précédent, ce qui fait qu'un certain mouvement donne lieu à un autre mouvement; voilà la définition positive de la force, il n'en est pas d'autre pour le physicien. — La seule différence entre les forces connues de la matière et celles qui ne le sont pas encore serait que, dans certains cas, un mouvement nous apparaît clairement comme la continuation ou la transformation d'un autre mouvement, tandis que dans d'autres cas la loi de transformation n'est pas fixée, l'équivalence des mouvements n'est pas déterminée, ce que l'on exprime en disant que l'origine de ces mouvements nous demeure cachée, ou bien encore que certaines forces restent indéterminées. Au sommet le plus élevé des sciences de la nature apparaissent ces deux éléments qui sont les derniers auxquels

(1) D. Saigey in opere : *L'Unité des phénomènes naturels.*

puisse remonter l'investigation scientifique : le mouvement et la matière. Mais M. Moleschott et ses disciples sont-ils en mesure de démontrer que la matière soit douée de produire d'elle-même le mouvement? En aucune manière. Ils l'ont toujours affirmé, d'après ce seul fait que la matière dans le monde actuel, se présente toujours sous la condition du mouvement. Cela suffit-il pour résoudre la question d'origine et pour soutenir que la matière éternelle *se soit mise de toute éternité et d'elle-même en mouvement?* On voit combien il faut franchir d'intermédiaires pour arriver à une conclusion pareille. Et cependant si la matière n'est pas un vain mot et ne se dissipe pas à l'analyse en une abstraction insaisissable, j'ose soutenir qu'elle offre une idée inintelligible à l'esprit, *tant que l'on n'y fait pas entrer une propriété toute contraire à celle du mouvement, l'inertie.* — Cette propriété, la science est obligée d'en tenir compte dans tous ses calculs mécaniques. L'inertie, nous disent les physiciens, est le résultat principal de l'expérience et le fondement de la mécanique. La matière n'entre en mouvement que quand elle est sollicitée du dehors, elle ne perd son mouvement qu'en le communiquant. La quantité de mouvement est immuable; il ne s'en crée ni ne s'en détruit. C'est ce qu'un des savants les plus illustres de ce temps-ci exprimait un jour dans son langage familier, lorsque, pressé de questions sur l'essence de la matière, il se déclarait incompétent pour y répondre, ajoutant d'ailleurs que quelle que soit la matière dans son fond intime, la physique doit toujours la faire entrer dans ses calculs, ne fut-ce que *comme coëfficient d'inertie.* — Cette propriété de la matière, résultat principal de l'expérience, base de tous les calculs de la physique et de la mécanique, est-elle favorable aux hypothèses du matérialisme? *N'est-elle pas au contraire en opposition presque manifeste avec l'idée que l'on soutient d'une*

prétendue propriété que posséderait la matière de se mouvoir? S'il est scientifiquement établi que la matière n'entre en mouvement que quand elle est sollicitée, qu'elle ne perd son mouvement qu'en le communiquant, ne semble-t-il pas plus analogue à l'esprit de la méthode expérimentale d'en conclure que le mouvement a été *communiqué* à la matière, *qu'il lui a été imprimé du dehors?* Des phénomènes de mouvement produits et transmis dans une matière inerte, voilà tout ce que nous saisissons d'intelligible à l'origine de toute science physique et naturelle. Quel qu'il soit et de quelque source qu'il provienne, il reste constant que c'est ce mouvement initial qui est la vraie force, l'unique force déployée sous des formes si multiples, dans l'infiniment grand et dans l'infiniment petit des mondes. J'admets volontiers que toutes les séries de mouvements si variées qu'on appelle ordinairement les forces physiques se ramènent par l'analyse expérimentale à un principe unique, *le mouvement.* Cette nouvelle conception de la nature n'est pas faite pour affaiblir dans nos âmes le sentiment que fait naître en elle la contemplation de l'Univers. Je ne sache rien de plus grand à concevoir, à l'origine des phénomènes cosmiques, que cette unité de cause, le mouvement, déployée dans une variété infinie d'effets. — *Reste à savoir quel est le principe du mouvement.* — Tout est là. Ce n'est pas l'expérience qui peut résoudre un pareil problème. Tout ce qu'elle peut et doit exiger, c'est que les raisonnements métaphysiques ne soient pas contraires à ces données et à ces faits. Or je ne saurais comprendre en quoi cette conception de l'unité des forces physiques serait en opposition avec l'idée que nous nous faisons d'un *principe créateur moteur et organisateur de la matière.* La métaphysique ne serait-elle pas, au contaire, autorisée à dire au nom des progrès les plus récents des sciences positives, qu'elle y trouve cette double base où

s'appuie sa démonstration la plus connue : *une matière inerte, un mouvement communiqué* (1). »

6. Certe ea, quæ summis tantum labris delibavimus de Positivismi recentioris principiis, sufficiunt ut constet ex ipsis nullatenus everti fundamenta supernaturalis et miraculosæ interventionis seu *habitudinem naturæ ad primam causam extramundanam et omnipotentem.* Omitto, ne excrescam alia argumenta, quibus *ineluctabiliter*, ex collatis experientiæ empiricæ et rationis deductionibus, existentiam primæ causæ personalis et infinitæ contra atheos et Positivistas evincunt Metaphysici. Spectant huc præ primis necessitas causæ creatricis interventionis ad explicandam primam vitæ originem sive primitivi parentum paris existentiam, cum *generatio spontanea*, etiam in speciebus inferioribus animalium, scientificæ observationi repugnet (2); item evidens *finalitatis* existentia in legum mundi harmonia, quam incassum tollere cupiunt ex theoria Darwiniana de specierum transmutatione (3), ac maxime omnium ordinis intelligibilis sive phænomenorum cogitationis, libertatis et conscientiæ consideratio. Hæc quippe non modo primæ et creatricis causæ aseitatem (4) et a mundo ac viribus materiæ physicis distinctionem, sed ejus etiam personalitatem et infinitam perfectionem evidenter evincunt. Quæ argumenta, quorum expositio ad nos haud pertinent, si simul colligas, facile videbis, spiritualismi ac supernaturalismi causam nihil ex renascentis materialismi conamine sibi metuendum habere : itemque legem illam de subordina-

(1) Caro *Op. Cit.* p. 231 sqq.

(2) Qui de hoc argumento recentiorum opinionem rescire cupit, adeat opus præcitatum D. Janet, p. 95 sqq, quibus recenset auctor præclaram partem quam in ea quæstione definienda habuit vir clarissimus D. Van Beneden, Lovan. Acad. Professor.

(3) Cf. Janet, *Op cit.* p. 160 sqq. — Videsis etiam Cl. Bernard *Introd. à l'étude de la médecine expérimentale*, T. I, p. 154.

(4) Cf. Kleutgen, *Philosophie der Vorzeit.* T. IV, p. 494 sqq.

tione activitatis causarum inferiorum influxui causæ omnipotenti et extramundanæ, cui proxime innititur miraculi possibilitas, omnem suam vim retinere.

7. Sed his notatis nihil jam ex positivistarum objectionibus remanet. Certe nihil magis debile contra nos afferri poterat quam istud D. Buchner dilemma, aut retinendam exclusive legum cosmicarum immanentem activitatem, procul amandata causa creatrice qualibet, aut omnia mundi eventa soli Numinis supremi voluntati et operationi committenda esse, suppressis causis secundis quibuslibet. Scilicet omnino concipi potest medius quidam status, ac retineri hinc quidem constans causarum secundarum activitas, illinc vero essentialis earum a causa prima et necessaria dependentia, ex qua ulterius consequitur illarum subordinatio personali et *supernaturali* causæ primæ actioni cui *miracula* respondeant. — Quam ridenda etiam ista plurimodum lamenta, actum esse de scientiæ progressu, de artibus et civilitate humana, imo vero concidere penitus Dei Providentis notionem si miraculosæ et supernaturalis interventionis possibilitas retineatur (1). Sane post dicta hæc pigeat

(1) Sic scribit E. Renan : « Tout calcul est une impertinence, s'il y a une force changeante qui peut modifier à son gré les lois de l'univers... Si des hommes réunis et priant ont le pouvoir de produire la pluie ou la sécheresse... la Météorologie n'aurait plus de raison d'être. Si on venait dire au physiologiste et au médecin : Vous cherchez la raison des maladies et de la mort : c'est Dieu qui frappe, guérit, tue, le physiologiste et le médecin répondraient : Je cesse mes recherches, adressez vous aux thaumaturges.... Il en est de même de l'histoire... Elles (les sciences historiques) supposent qu'aucun agent surnaturel ne vienne troubler la marche de l'humanité, que cette marche est la résultante immédiate de la liberté qui est dans l'homme et de la fatalité qui est dans la nature. » *Lettre à ses collègues.* — Similiter fere D. Larroque : « Je nie simplement la possibilité des Miracles considérés en tant que faits contraires aux lois de l'ordre naturel. La raison conçoit Dieu gouvernant le monde par des lois générales et constantes, d'où résultent cet ordre merveilleux et cette harmonie universelle... On conçoit que sa sagesse et sa veracité exigent le maintien des lois qu'il a imposées au monde... La doctrine des miracles supprime donc une des meilleures raisons que nous ayons de croire en Dieu. Bien plus le principe de la persistance des lois qui régissent le monde physique et le monde moral est pour nous la condition essentielle de toute étude et de toute science : en sorte que l'intelligence qui abjure-

confutare quæ nonnisi vel vanis postulatis vel falsis rerum notionibus inniti satis ostendimus. Hæc tamen sunt præcipua argumenta quibus moderni homines Miracula et ordinem supernaturalem universim insectantur.

8. Paucis tandem solvenda alia quæpiam objectio satis apud adversarios frequens ac varia forma exposita.— Eadem natura est, ajunt ordinis physici et ordinis moralis. Sed ordo moralis nequit a Deo immutari, ergo nec physicus. Ergo Miracula sunt impossibilia. — Respondeo longe disparem utriusque ordinis esse conditionem. Ordo quippe moralis, posita entis rationalis hypothesi, illico immota et absoluta necessitate exsurgit. Statim enim ac concipis ens *finitum*, ratione et arbitrio præditum, inter necessarias normas quibus vi suæ naturæ subjicitur, deprehendes essentialia ejus officia tum erga Deum, tum erga consimilia sibi entia, tum etiam erga semetipsum. Ergo ordo moralis, prout in suis essentialibus legibus sive præceptis consideratur, essentialiter sequitur ipsum rationalis creaturæ conceptum, idque non accidentali tantum ratione, sed ex metaphysica necessitate : derivatur enim tum ex ipsa entis rationalis essentia, tum ex primitiva relatione voluntatis creatæ ad Summum Bonum, quod ipsius principium et immota omnis boni regula existit. Jamvero essentia rerum metaphysica una tantum et immutabilis est : habitudo autem voluntatis creatæ ad voluntatem divinam, prout hæc regula et mensura est rectitudinis, pariter immutabilis atque necessario ad unum determinata. Contra *physicus* ordo formaliter constat effectibus agentium naturalium quatenus modo uniformi insitas suas facultates exserunt. Sed physica causa, licet si sibi relinquatur, eosdem in eisdem adjunctis producat effectus, eo tamen ipso, quod particularis et finita

rait ce principe se condamnerait elle-même à ne pouvoir rien connaître et se placerait ainsi dans le vide le plus complet. » *Examen critique des doctrines de la religion chrétienne*, T. II, c. 4.

est, involvit essentialem subordinationem causæ primæ atque infinitæ, cujus activitatis influxu ipsius virtus et activitas varia ratione immutari potest. Ergo ordo moralis ex se toto immutabilis apparet : contra ordo physicus essentialem dependentiam habet a prima causa creatrice ac necessario ejus actioni subditur. Concludendum, Deum libere intervenire posse in ordinem physicum eumque modificare, non vero in ordinem moralem, saltem quod ejus primaria præcepta spectat. Nam in iis morum regulis quæ minus primitiva sunt nec spectant ad Legis moralis *essentiam*, illimitatum Dei dominium rursum sua jura obtinet, quare in istis *excipere* sive *dispensare* potest, ut factum novimus, v. g. in lege de Polygamia sub societate primitiva (posito cum communi theologorum sententia quod ista œconomia ex Dei dispensatione orta fuerit), etc. — Quibus disputatis inferre tandem erit, ordinem moralem et ordinem physicum, quod rem nostram spectat, longe diversæ esse rationis, neque ab uno gressum ad alterum fieri posse.

CAPUT II.

DE MIRACULI COGNOSCIBILITATE.

1. Nullam sive intrinsecam, sive extrinsecam impossibilitatem in eo esse quod prima causa, personali actu, interveniat in causarum secundarum seriem, atque effectus exserat supra facultatem earum omnem, hactenus ostensum : quin etiam probavimus, in Revelationis supernaturalis hypothesi, saltem sub præsenti Providentia ac spectata hominum communitate, ejusmodi Miracula non possibilia modo ac maxime congrua, sed vero aliquo sensu necessaria esse dicenda. Jamvero, ut quisque videt, ex hoc ipso consequitur, supernaturalia ista opera ab hominibus certo

dignosci posse. Nequit enim infinitæ sapientiæ Deus consiliis suis criteria addidisse inefficacia, sive talia, *quorum probativus valor humanæ menti sufficienti certitudine non innotesceret.* Sed ex polemicæ exigentiis præstat, ut hanc ipsam Miraculosorum eventuum cognoscibilitatem positiva et directa ratione demonstremus. Porro speculativæ investigationes quæ in ea re institui possunt, duo distincta capita complectuntur. Vel enim inquiri potest in Miraculi cognoscibilitatem *ratione generali et veluti abstracta,* quatenus speculative statuantur notæ ac criteria quibus miraculosi naturalis eventus supra naturæ vires *transcendentia* certo probetur : vel etiam considerari speciatim potest, non tam miraculosi operis quidditas *in sua generalitate,* sed critica et *experimentalis* ejusdem determinatio, sive certitudinis et evidentiæ *subjectivæ* ratio, juxta quam eventus miraculosus humanæ menti de facto manifestatur : quod utrumque disputationis caput, etsi intime inter se connexum, nihilominus, tam ordinis quam polemicæ hodiernæ gratia distincte juvat pertractari. Prius enim proprie respicit *speculativam et abstractam* miraculi cognoscibilitatis faciem, et in primis spectat ejus elementum *formale* seu supernaturalem indolem ; alterum refertur potius ad Miraculi cognoscibilitatis partem *practicam* et *concretam* ac versatur maxime circa physicum sive *materialem* eventus statum, licet non omnino a formali ejus elemento abstrahat, ut dicendis constabit. Ad hæc, qui nostra ætate miraculosum et supernaturalem ordinem insectantur, ii magis empiricam illam et concretam determinationem impugnare solent quam notas quibus supernaturalistæ ejus cognoscibilitatem contineri tradunt. Quare priori hujus capitis paragrapho, agemus de signis quibus supernaturalia eventa universam et generalissime sumpta discerni ab hominibus possunt. Dein, in sectione altera, speciatim dicam de experimentali et practica Miraculosi facti determinatione, (la constatation du Miracle)

juxta normas critices historicæ. Tandem comparativam et criticam disquisitionem instituemus præstigiorum et Mirabilium quæ veris Miraculis opponuntur, quo melius etiam pateat eorum ab ementiti nominis portentis distinctio.

§ I.

DE MIRACULI CRITERIIS AC NOTIS.

1. Objectiva Miraculi criteria ex ejus notione atque inprimis ex ejus fine derivanda. Utroque enim hoc elemento tam intrinseca indoles quam propria supernaturalis operationis destinatio comprehenduntur, ex quibus illius notæ et caracteres dimanant. — Jamvero, si ad illa quæ supra de objectiva Miraculosi operis notione diximus attendas, videris primam ejus notam, seu, ut melius loquar, primam ejus *conditionem sine qua non* hanc esse, ut opus ex objecto, fine ac circumstantiis omnibus summo Deo non sit indignum. Hanc conditionem exquirit ipsa divinæ effectûs originis hypothesis. Nequit enim agens perfectissimum opus patrare, quod in singulis suis adjunctis sanctum non sit et moralitatis regulis per omnia conforme. Ad hoc, cum ipsum rationis et conscientiæ dictamen naturalis quædam Dei revelatio sit, fieri nequit ut earum præscriptis adversetur revelatio supernaturalis ejusve criteria : ut adeo possit a priori pro falso et ementito prodigio tale eventum haberi quod ex una etiam circumstantia certo refragetur regulæ morum ac legibus justi honestique. — Imo, ut effectus tanquam vere miraculosus recipiatur, requiritur ut non tantum honestus sit, sed etiam ut manifestam aliquam sive corporalem, sive spiritualem utilitatem hominibus quibus exhibetur afferat. Itaque, si hujusmodi utilitas desit, suspendendum judicium et prodigium suspectum

habendum erit. Non enim consuevit Deus sapientissimus extraordinarie et præter constitutum ordinem in natura intervenire, quin hominibus luculenter manifestet consilii hujus rationem; ut proin eventus inutilitas maximam de divina portenti origine suspicionem secum habeat. Contra, veritatem signi pro divino adducti multopere commendant positiva ejus tum honestas tum utilitas, prout illa tum ex circumstantiis universim sumptis, tum maxime etiam ex fine operis colligitur, sive utilitas proxima conspiciatur, sive remota certo appareat. — Omnia hæc complectitur optime Cl. Liebermann : « Inter divina miracula, inquit, computari non possunt, quæ in se ridicula sunt et Deo indigna, vel in modo, quo patrata sunt, obscœnum aliquid habent et bonis moribus inimicum neque si doctrina quam confirmare debent, in morum corruptelam tendit aut religioni naturali aut veritati jam certo revelatæ contradicit. Merito præsumitur illa prodigia Deum auctorem habere quibus homini auxilium impenditur... Tunc quoque Deum intervenisse censendum est, quando Miraculum editur in confirmationem Doctrinæ quæ Deo digna, tota ad fovendam pietatem et morum sanctitatem promovendam composita est (1). » Porro ad hanc ethicam miraculosi effectus considerationem quæ tam magnam partem in ejus recognitione habet, spectat etiam ipsa circumstantia *Quis*, sive Thaumaturgi persona. Verum de hoc requisito supra, ubi de causa miraculi efficiente egimus, satis dictum est. Summa autem eorum, quæ ibidem notavimus, hæc est, de jure ordinario requiri in Thaumaturgo vitæ probitatem et sanctitatis laudem non obscuram : absolute tamen necessariam hanc conditionem dici non posse, neque proin ex operantis malitia malam portenti originem certo probari. Exceptionis tamen legitimitas

(1) *Instit. Theol.* Ed Mogunt, 1861, T. I, p. 69.

seriis argumentis probanda, severiore aliorum adjunctorum examine (1).

2. Jamvero, quod repetere heic liceat, nullus a nobis circulus committitur, si doctrinam miraculo, miraculum vero doctrina dijudicanda dicamus. Nam utrumque verum est, at sub diverso respectu : veritas quippe doctrinæ, ex qua miraculum æstimandum asserimus, veritas ejus *naturalis* est, quatenus, lumine rationis ipsius intelligimus doctrinam, quæ miraculo confirmata perhibetur, dignam esse debere ut pro divinitus revelata habeatur, neque proin posse quidquam Deo indignum continere. Contra veritas doctrinæ, quæ ex miraculo colligitur, veritas ejus *supernaturalis* est, manifestata per ipsum Dei testimonium, quod miraculo exhibetur. Hinc honestas illa doctrinæ est mere *conditio sine qua non* atque antecedens prærequisitum miraculosæ et supernaturalis Dei interventionis. Quare nullus in casu nostro circulus committitur, quum agatur de rebus inter se prorsus disparatis.

3. Altera conditio prærequisita in Miraculo, ejus connexio est proxima vel remota cum Doctrina revelata vel consilio aliquo divino cujus probationem ipsum continet. Nam Miraculum involvit directam et supernaturalem Dei interventionem, neque valet ens sapientissimum talem operandi modum adhibere nisi propter finem gravissimum : aliunde, ut vidimus, finis unicus qui, in præsenti Providentia, Miraculo deputari potest, ad ordinem moralem pertinet atque in ethica et religiosa hominis institutione tandem reponitur. Sed inde sequitur quod Miraculosus eventus essentialiter haberi debeat pro manifestativo divinæ veritatis. Ergo nedum relatio Miraculi cum doctrina quam afficit adventitia sit vel conficta, ut sæpius adversarii objiciunt ; contra ita ei essentialis est ut in manifesta Miraculi connexione cum doc-

(1) Vide supra, p. 179.

trina, necessaria supernaturalis eventus conditio jure statuatur. — Ista autem connexio magis aut minus explicita esse potest. Nunc quippe ad apertam Dei nominis invocationem miraculum a Thaumaturgo patratur (1) : nunc vero connexio ista ex circumstantiis declaratur, ut in sanctorum visionibus, extasibus etc.

4. Quoniam de prærequisitis miraculi conditionibus loquimur, hæc etiam heic memorari debet, quod nimirum, si supponatur inter diversæ doctrinæ Thaumaturgos pugnam suboriri, veri nominis miraculum, ex omnium adjunctorum splendore, manifesto divinam suam originem demonstret. — Sane hoc sibi debet summus Deus ut operis sui excellentiam manifestis indiciis declaret. Atque ita reapse actum, quotiescumque perversi homines suis mirabilibus supernaturalis testimonii vim elidere conati sunt. Quid commemorem Pharaonis magos, qui *per incantationes Ægyptiacas* (2) phænomena plura a Mose et Aarone patrata æmulati, tamen nunquam ad transcendentem istorum operum faciem imitandam pervenere? Sic virgæ utrorumque in serpentes conversæ, at virga Aaron devoravit virgas eorum; sic etiam vertere magi aquas Ægypti in sanguinem ad exemplum Aaronis, at non potuere, ut notat Origenes (3), eas rursum pristino statui reddere, quod ipse præstitit. Item nec in advocanda maxima scyniphum turma, neque in divexandis Hebræis pœnis gravissimis, Ægyptii circulatores Mosi pares exstiterunt, quare vel ipsi tandem coacti fuerunt agnoscere *Dei digitum;* quin Pharao populusque ad Mosem confugit, præsidium adversus immissa mala deposcentes. Neque secus novi Testamenti diebus actum cum Elyma Mago, qui Pauli prædicationem apud Sergium Asiæ mi-

(1) *Exod.* 4, 8. — 7, 17. — 8, 10 sqq. — *Matth.* 9, 6. — *Joh.* 11, 42. — *Act. Ap.* 3, 9, etc.

(2) *Exod.* 7.

(3) *Hom.* 15, in lib. Numer.

noris proconsulem suis prodigiis impedire cupiebat : hunc quippe Paulus Dei nomine subita cæcitate percussit. *O plene omni dolo et omni fallacia*, ita Apostolus ad eum, *fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc, ecce manus Domini super te et eris cæcus non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo et tenebræ et circuiens quærebat qui ei manum daret* (1). — Itaque, quando plures Thaumaturgi operibus certent, verum miraculum ex circumstantiis tam physicis quam moralibus *insigni ratione* debet internosci. Atque hæc nota, in casu, ad necessarias miraculosi eventus conditiones pertinere dicenda est.

5. Hæc de Miraculi prærequisitis conditionibus. Veniendum nunc ad positivum ac singulare ejus criterium, quod in eo jacet ut comprobetur certo *supernaturalitas eventus* sive *ejus transcendentia supra vires naturæ omnes*. Porro ista supernaturalis facti conditio unice attenditur in ipso effectu, seu *divinæ operationis termino*. Quod enim attinet ad *modum* quo miraculosum opus patratur, sive *ad rationem qua intrinsece constituitur*, hujus quidem comprehensio, ut minime deprehendi ab homine potest, ita nec ad *effectus* ipsius cognitionem requiritur. Quod dictum sit adversus eos, qui cum Schelling aliisque recentissimis etiam incredulis (2), miraculi cognoscibilitatem impugnant eo quod pro absurdo habent *supernaturale* Revelationis factum ex *supernaturali item effectu* confirmari, *cum supernaturale natura sua sensus et observationem excedat*. Saue, prout heic consideratur, miraculum propriissime constituitur per *extraordinarium* ac *sensibilem* divinæ operationis effectum : hic vero non minus observari potest quam phænomenon cosmicum quodlibet. Itaque

(1) *Act. ap.* c. 13, 10.

(2) *Methode des Akadem. stud.* p. 205. Item auctores Diarii : *Essays and Reviews* ap. Hl. Meignan : *Les Evangiles et la Critique*, p. 107. « Un miracle, ajout, est un fait surnaturel, et ce qui est surnaturel ne peut être l'objet d'un témoignage. »

quæstio de Miraculi cognoscibilitate, proprie continetur ipsius physici *effectus* sive *facti* miraculosi examine. In effectu autem duo distinguenda : *materiale* quippe et *formale*, sive physica et sensibilis facti quidditas atque illius supra naturæ vires transcendentia. Materiale autem Miraculi, ut facta sensibilia universa sensuum testimonio et observatione colligitur (1), quæ autem empiricæ istiusmodi observationis et certitudinis conditiones spectant, illa uberius exponemus, ubi de *experimentali supernaturalium eventuum recognitione* sermo erit. Tota igitur investigatio ad illud reducitur ut assignetur character, quo certo *effectus supra vires naturæ omnes transcendentia* demonstretur, atque, quæ huc consequitur, *supernaturalis ejus conditio.*

6. Age, ut ista transcendentia probetur, duo plane sufficiunt : 1°, ut cognoscat quis legem naturæ cui effectus miraculosus suo modo opponitur; 2°, ut sciamus a nulla Naturæ lege, a nullo creato agente ejusmodi effectum produci *in concreto casu* potuisse. Primum autem nullam quoque habet difficultatem : plurimas quippe naturæ leges perspectas habemus; quin ipsa miraculosi eventus hypothesis, ceu effectûs *qui præter constitutum cursum sit, quem natura in similibus adjunctis retinet,* supponit hanc ipsam legem, quæ in casu suspenditur, vere cognosci. Nodus igitur quæstionis in eo est, scilicet, quonam pacto certo rescire possimus, nullam aliam Naturæ legem extraordinarium effectum producere potuisse? Porro non sine disceptatione et asperitate istud quæsitum esse illico vides : legum enim naturæ omnium cognitionem habet nemo; quomodo igitur unquam constare poterit de naturalium agentium *omnium* impotentia ad effectum, qui miraculosus dicitur, producendum?

7. Respondemus, 1° : verum quidem est non adesse nobis

(1) « Un homme sage témoin d'un fait inoui peut attester qu'il a vu ce fait et l'on peut l'en croire. » Rousseau. *Lettres écrites de la Montagne*, p. 107.

legum naturæ cognitionem positivam, sive nobis adæquate non patere omnium causarum virtutem. Attamen quæcumque sit nostra naturalium causarum ignoratio, nemo sincerus inficietur adesse nobis, *in casibus compluribus*, cognitionem unius alteriusve legis *negativam*, quatenus, ex observatione empirica, jam certo novimus quid pleræque hujus universi causæ efficere *non valeant*. Sic nullus sit qui dubitat nullam esse naturæ causam sive cognitam sive incognitam, quæ possit vitam reddere cadaveri, vel claram futuri, maxime liberi, notitiam communicare homini, vel in instanti morbum inveteratum auferre, plagas tumentes curare, sensuum organa alte vitiata sanare, corpora multiplicare, absolutum sibi in naturam dominium comparare. Hæc enim omnia partim ex principiis metaphysicis, partim ex certissima plurium sæculorum observatione comparata habemus (1). Itaque si unum alterumve hujusmodi phænomenon producatur, illud præter ac super vires naturalium agentium contingere dicendum erit, ac proin miraculosum esse : si vero effectus qui pro supernaturali allegatur non satis conspicua ratione cognitas naturæ leges, seu causarum finitarum potestatem excedat, ut plane compertum sit ipsum a nullo naturali agente in concreto suo statu produci potuisse, nequaquam pro miraculoso erit recipiendum. Talia quippe signa operibus suis novit Deus addere quibus tuto ac certissime dignoscantur a prudentibus. Quare exceptio ista apud adversarios adeo frequens, scilicet, fieri posse ut eventus, quem tanquam supernaturalem reputant, non sit nisi effectus legis cujusdam naturæ hactenus incognitæ vel certe raræ et extraordinariæ, hæc, inquam, exceptio verum quæstionis sensum plane evertit. Ponimus quippe Miraculum *semper* tali transcendentiæ charactere ornari ut sive ex metaphysicis principiis, sive etiam ex

(1) Cf. Denzinger, *Op. cit.* T. II, p. 352. — Item Apologetam præclarum R. P. Gatti, *Institut. Polemico Apologeticæ*, T. II, p. 511.

certo experientiæ universalis et perpetuæ dictamine, compertum sit ipsum a nullo finitæ virtutis agente effici potuisse : quod si de ea re dubium maneat, suspendendum judicium est neque miraculum admittendum. Quidquid igitur fingatur de interventione cujuslibet latentis vel incognitæ causæ naturalis, illud omne, quomodocumque proponatur, supponit ignorantiam Quæstionis. — Nec melius opponi potest nostram de legum cosmicarum constantia experientiam forte incompletam esse, neque facile homini affirmandum aliquem eventum vere naturæ vires excedere. Scilicet experientia qua derivatur cognitio humani generis de agentium naturalium potestate colligitur ex constante observatione effectuum : effectus autem istiusmodi constantes nihil sunt aliud nisi applicatio activitatis quæ causis creatis inest; hæc autem activitas ab illarum natura et essentia immediate derivat. Sed rerum essentia ac natura immutabilis est. Ergo experimentalis cognitio quam de facultate creatorum agentium ex constanti observatione generis humani habemus, prorsus certa et rata habenda est. Porro adeo certa et explorata est ista legum cosmicarum constantia, adeo firma persuasio illa quod hactenus observata universi harmonia non turbanda sit *ex interventione legis extraordinariæ* vel agentis creati operatione, ut ordo socialis totus, hominum inter se commercia, jura successionum, hæreditatum et munerum, atque ipsæ empiricæ scientiæ omnes illis innitantur (1). Ut adeo aut cum scepticis faciendum sit aut omit-

(1) Optime R. P. Félix : « J'arrive à la difficulté estimée magistrale; elle se réduit à dire que le fait miraculeux étant supposé contradictoire ou du moins supérieur aux lois de la nature, pour pouvoir se prononcer formellement sur la certitude de son existence, il faudrait avoir la connaissance parfaite et adéquate de toutes les lois de la nature. Cette objection, en apparence fort spécieuse, n'est au fond rien moins que philosophique. Et d'abord, elle a pour ceux qui la font le très-grave inconvénient de dépasser son but. Car elle ne tend à rien moins, s'il faut en presser les conséquences, qu'à supprimer la science elle-même. Prenez-y garde, en effet, cette difficulté, si elle a raison contre nous, a raison aussi contre vous; et elle vous conduit logiquement à l'impuissance de constater

tanda illa adversariorum exceptio. Quin ejusmodi constantiæ legum Naturæ vadem habemus non modo empiricam omnium temporum observationem quam tantopere jactant adversarii, verum etiam ipsam Dei sanctitatem ac sapientiam. Postulat quippe Numinis Providi notio ut in

scientifiquement même une seule loi de la nature. Devant tout fait qui se pose dans l'évidence de sa certitude, en vous montrant dans la même lumière la cause qui le produit, vous pourriez toujours venir opposer, même à l'évidence physique, votre fin de non-recevoir. Vous pourriez dire : *Qui sait* si ce fait attribué à une cause que nous prétendons connaître, n'est pas l'effet d'une autre cause que nous connaîtrons demain? *Qui sait* si ce phénomène dont nous nous vantons de tenir la cause enfermée dans nos formules scientifiques, n'est pas le produit lumineux d'un agent demeuré obscur, et qui viendra peut-être un jour se poser devant la science, pour réclamer sur ce fils glorieux le droit de sa paternité jusqu'ici méconnue? Qui ne voit que, dès lors, il n'y aurait jamais, à proprement parler, de science de la nature, puisque les faits les plus palpables et les lois les mieux constatées ne seraient jamais que des faits *inexpliqués* et des lois *problématiques*? Pourquoi en est-il autrement? Pourquoi l'inconnu que vous supposez ne peut-il ébranler la certitude que vous possédez? Pourquoi le mystère n'est-il pas admis à rendre témoignage contre la science? Pourquoi, Messieurs? Par ce que vous admettez avec des lois dans la nature, une *harmonie* dans la nature; parce que vous savez que, pas plus que Dieu, elle ne se ment à elle-même; parce que vous êtes absolument assurés que la nature qui vous disait hier *oui*, sur un point déterminé, ne vous dira pas *non* demain; parce qu'enfin, scientifiquement certains de l'existence d'une loi de la nature, vous êtes scientifiquement certains qu'elle ne sera pas démentie par une autre loi de la nature. Eh bien! Messieurs, cette base que vous donnez vous-même à la science de la nature, nous l'acceptons, et sur cette base nous établissons la possibilité de constater le fait miraculeux; et nous disons avec vous : De même que, dans le monde mathématique, il ne peut pas y avoir de formule en contradiction avec une autre formule vraie; ainsi, dans le monde physique, il ne peut pas y avoir une loi réelle de la nature en contradiction avec une autre loi réelle de la nature. Dès lors, je me demande pourquoi, étant donné qu'il existe un fait miraculeux, je ne pourrais jamais arriver à la constatation certaine du fait miraculeux? Si, d'un côté, je possède un fait rayonnant dans sa propre lumière; et si, de l'autre, je tiens dans l'étreinte d'une formule scientifique une loi de la nature, une seule, la loi même qui gouverne ce fait : est-ce qu'il ne m'est pas démontré d'avance que jamais une autre loi de la nature ne viendra la démentir? Quelle que soit la puissance de l'inconnu, je sais qu'il ne détrônera pas le connu debout sur la base de sa certitude. S'il en était autrement, il n'y aurait plus de science, parce qu'il ne pourrait jamais y avoir de conclusion certaine. Il faut choisir, ou bien admettre que nous ne sommes en possession certaine d'aucune loi dans l'empire de la nature; ou bien admettre que jamais l'inconnu ne peut être appelé en témoignage contradictoire contre la certitude du connu. » — R. P. Felix : *Jésus Christ et la Critique nouvelle* 1864, p. 135.

opere suo non reponat leges quæ sibi invicem opponantur, maxime cum istiusmodi exceptionibus homines ineluctabili exponerentur errori. Ad rem Salv. Tongiorgi : « Colligimus, ait, duo esse principia a priori quibus legum physicarum constantia et *futurorum eventuum* cum præteritis similitudo stabilitur. Primum : causæ necessariæ, positis requisitis ad agendum, necessario agunt, nisi impediuntur virtute divina. Alterum : divina Sapientia postulat ut constantibus legibus utatur, in mundi administratione atque causarum naturalium effectus vel nunquam vel rarissime impediat (1). »

8. Consimili etiam ratione solves dubitationem eamque magis difficilem quæ in nostra materia exsurgere posset ab exceptione quam peteret quis ex interventione Spirituum sive dæmonum (de bonis enim Spiritibus nequit esse

(1) *Cosmologia* Liv. IV, c. 1, n. 423. Cf. Liberatore : *Instit. Phil.* Edit. Rom. 1861, p. 227. — Prorsus ad rem quæ habet. Cl. Bergier : « Nous ne connaissons pas toutes les lois particulières de la nature, mais nous connaissons une loi générale qui nous garantit la certitude de celles que nous connaissons; c'est la sagesse de Dieu et sa providence. Nous développerons, s'il vous plaît, ce principe; il fournit la réponse à la plupart de vos objections. C'est la sagesse de Dieu, auteur des lois morales, qui nous répond de la certitude des lois générales physiques; parce que, s'il n'y avait rien de certain dans la nature, il n'y aurait rien de certain non plus dans la société, dans notre état, dans nos devoirs. Je suis assuré qu'il n'y a aucune loi possible dans la nature, en vertu de laquelle un mort puisse être rendu à la vie, parce que la résurrection, devenue naturelle, changerait nécessairement l'ordre de la société... Si par une loi physique inconnue, mais possible à connaître, de simples paroles pouvaient guérir toutes les maladies, serions-nous encore obligés de veiller si exactement à notre conservation et à celle d'autrui? Si, par une autre loi physique, un corps humain pouvait marcher sur les eaux, voler dans les airs, pénétrer les autres corps, quelles barrières pourraient assurer notre vie et notre repos? Si le cours des astres pouvait être naturellement suspendu, quelle règle nous resterait pour distinguer les temps, pour mettre un ordre dans la société? Ainsi du reste, la même sagesse, la même bonté, la même providence qui veut que je sois assuré dans mon état, de mes obligations, de ma destinée, est mon garant de la certitude des lois physiques. Remarquez, je vous prie, que toutes les découvertes physiques sur lesquelles vous insistez, loin d'affaiblir ma preuve, la confirment. Depuis Adam jusqu'à nous, a-t-on découvert une nouvelle loi physique qui ait introduit un nouvel ordre moral, ou qui ait donné quelque atteinte à la règle immuable des mœurs? » *Dict. de Theol.* ad v. Miracles.

difficultas.) Et sane, ut in parte priore diximus, prorsus stupenda est hujusmodi Spirituum potestas et amplissima facultas ad mirabilia opera patranda in visibili hoc mundo. Unde verissime de illis scribit Augustinus : « Quid autem possunt per naturam, nec possunt per prohibitionem, et quid per naturæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens : *alii dijudicatio Spirituum* (1). » Sed quamvis prorsus summa sit spirituum malorum potestas, generatim spectata, in ordine ad producenda mirabilia istiusmodi opera, attamen ne unquam ipsi *bonæ fidei hominibus* sua præstigia pro miraculis obtrudant, impedit eadem hæc quam allegavimus primæ causæ ac providi Numinis sanctitas et sapientia. Hujus quippe est tum singula naturæ agentia suo proprio et hierarchico ordine concludere, tum cavere ne homines superiorum Spirituum interventione in errorem plerumque incluctabilem abripiantur. Quamobrem aut prohibebit summus Deus ne Spiritus coram hominibus mira sua præstigia proferant, aut, si certis casibus hæc illis permittat, ex indubiis signis eorum interventionem prudenti cuique comprobabit, ut postea fusius dicemus.

9. Porro, si hæc quæ modo dicimus attente scruteris, videris hanc certitudinem quam de Cosmicarum legum constantia habemus per se quidem physicam esse, sive in observatione empirica fundatam : reductive tamen metaphysicam posse vocari, quatenus ex ejus negatione tolleretur principium metaphysicum de Dei infinita sapientia et sanctitate. Apte præcitatus auctor : « Propositiones sive physice sive moraliter certæ, ait, ad metaphysicam certitudinem reducuntur *demonstratione indirecta*, quotiescumque posita earum falsitate, jam de aliquo principio

(1) *De Trinitate*. L. III, c. 9.

metaphysico certo dubitandum esset, v. g. ignis effectus fore in posterum constanter eosdem qui modo sunt, est physice certum et ita hoc est physice certum, ut si oppositum teneas, unum aut alterum tibi dicendum sit, videlicet vel causam necessariam non determinari ad unum, vel Deum naturæ auctorem sapienter non agere. Quæ duo cum *metaphysice* repugnent, dicendum propositionem metaphysice certam esse (sc. reductive et indirecte). Quæ metaphysica certitudo, ut patet, est hypothetica (1). » Hucusque ille.

10. Verum hæc ipsa conclusio, fieri non posse quod effectus qui hominum moraliter omnium sententia, vincit naturæ leges hactenus observatas causæ alicui secundæ tribuatur, melius etiam declaratur, si attendas singularem miraculosarum operationum circumstantiam. Nimirum miraculosa eventa generatim consequuntur ad solam Thaumaturgi voluntatem deprecativam vel imperativam, excluso *evidenter* medio quolibet cum effectu proportionato, ut vere dicas esse penes thaumaturgum, quod supernaturalem istiusmodi effectum attinet, expeditum in naturam dominium. — Jam vero repugnat ut eventus in talibus adjunctis productus arcanæ legi cuipiam naturæ legi tribuatur. Nam hujusmodi in naturam dominium vi cujus aliquis eam pro arbitrio ac solo voluntatis nutu, immutet atque ultro suis consiliis mancipet, convenire nequit finitæ naturæ agentibus. Quæ illatio ipsi principio contradictionis innititur. Finita quippe agentia per se conclusa sunt *intra ordinem naturæ;* in hypothesi vero adversariorum esset ut *supra naturam* forent, cum solo suo imperio, effectus producerent constitutum rerum cursum prorsus excedentes. Nulla enim finita ac secunda causa est quæ ad operationem suam non indiget mediis ei proportionatis : solius autem infinitæ causæ est pro sua omnipoten-

(1) *Logica*, L. I, c. 11, n. 408.

ti voluntate ac nutu effectus producere quoscumque velit. — Neque dicat quis adesse fortassis Thaumaturgo legis cujusdam arcanæ notitiam, cujus opera ipse mirum producat effectum quem pro miraculoso cæteris exhibet. Nam nequit providum Numen in suo creationis opere leges sibi vere oppositas reposuisse : multoque minus permittere ut particulare agens assequatur tale in naturam dominium quo novit eum esse abusurum cum inevitabili detrimento aliorum. Dein fingendum non est adesse in miraculosis operibus artificiosam cujusdam legis applicationem, addito machinarum apparatu vel operationum atque industriæ solertia : talia profecto nisi *evidentissime* absint, atque certo constet effectum *ad solum agentis nutum* vel saltem *sine ulla ejus cooperatione* fuisse consequutum, Miraculi existentia non foret in casu recipienda. Ut non dicam nimis absurde poni Thaumarturgo legem arcanam innotuisse quam coævi ignorant communiter omnes, postea vero hanc legem fuisse denuo ignoratam, neque nostra quidam ætate, adeo physicis scientiis excultam, ullam ex hisce legibus quibus olim subsequuta miracula fuere, doctioribus jam patere. Procul dubio qui talia comminiscitur miraculum omnium maximum reciperet, ut miracula negaret. Immanem hanc absurditatem optime perstringit Em. de la Luzerne in sua de miraculis Dissertatione : « In istiusmodi exceptione, ita fere ille, ponunt ab una parte *legem physicam*, cui subsequitur miraculum, omnino cunctis ignotam : atque aliunde ita perspectam Thaumaturgo, ut clare et infallibiliter ejus eventum, certo suo tempore, prædefiniat. Tribuitur, inquam, homini isti comprehensio infinitorum propemodi casuum quibus varie modificari lex ista poterat, ac supponitur legem illam constanter effectum exserere contrarium huic quem in cæteris adjunctis omnibus habet, idque Thaumaturgo prænoscente, imo vero determinante. Jam vero, si hoc demus, undenam stupendam hanc notitiam

homo ille habere tandem possit nisi a Deo? Perevidens mihi sit, in ea hypothesi, miraculum substitui miraculo, imo, ut miraculum abnegetur, adscribi hominem scientiam haud minus miraculo portentosam (1). »

11. Tandem pro supernaturali habendum esse opus quod iis adjunctis omnibus ornatum est quæ diximus, confirmatur ex generis humani totius consensu. Nimirum ipsa natura insita est hominibus quotquot existunt omnibus tendentia invincibilis, qua pro Dei ipsius manifestativo recipiant effectum qui legibus naturæ omnibus superiores existit quique iis circumstantiis ornetur quas modo descripsimus. Unde scribit Em. de Lugo : « Miracula *ex communi hommum sensu a natura ipsa insito*, censentur specialia signa et sigilla quibus Deus specialiter voluntatem et mentem suam manifestat (2). » Certe illam tendentiam, quam increduli negare non audent, adeo realem vel ipse J. J. Rousseau agnovit, ut fateatur ex viso Miraculo fortassis dementem se evasurum, cum pro divino nollet recipere. Hinc nullius gentis historia sit, quæ ejusmodi opera quibus divina consilia ad se delata sunt, non commemoret (3). Sed communis *rationalis naturæ sensus* nequit hominem inclinare in falsum : secus suapte sponte mens ad errorem ordinata foret atque de omni scientifica certitudine jam esset actum. Quare, universalem ejusmodi hominum sensum sive inclinationem, positis conditionibus requisitis, tanquam certitudinis et evidentia criterium recipiunt Logici omnes. Quippe obtinet in casu Tullii adagium : « De quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est (4). » Ergo si effectus hisce adjunctis ornatus omnibus quæ diximus, præter humanæ naturæ communem sensum, re-

(1) *Dissertation sur les miracles*, p. 102.
(2) *De virtute Fidei divinæ*. D. II, n. 29.
(3) *Lettres de la Montagne*, L. 3.
(4) *De nat. Deorum*, L. 1, c. 17.

apse non Deo, sed arcanæ alicui naturæ legi esset adscribendus; fatendum foret hominum genus ex sua conditione ad errorem trahi, neque ullam ei ad certam cognitionem viam manere. Quod qui diceret, is latissimam scepticismo viam pararet: quin, cum talis rationalis naturæ deordinatio tandem in ejus auctorem refunderetur, Deum ipsum erroris atque mali moralis quod huc sequeretur, positivum auctorem faceret. Rursum igitur intuleris, fieri non posse ut summus Deus ac Providum Numen permittat ita modificari in certo casu communem naturæ cursum, ut opera ponantur his characteribus ornata quæ in miraculoso et supernaturali eventu requiruntur, cum tamen nonnisi naturales cujusdam ignotæ causæ effectus habenda essent.

12. Disputationis præsentis conclusio sit, supremum fundamentum cognitionis eventus miraculosi universim sumpti esse *physico-morale*. Constat quippe tum ipsa physica et materiali effectus supra naturam transcendentia, tum etiam ordinis moralis consideratione duobus momentis seu factoribus comprehensa: hinc quidem *momento subjectivo* sive innata et invincibili rationalis naturæ tendentia referendi primæ causæ effectus cosmicos et sensibiles iis ornatos adjunctis quæ modo descripsimus; illinc *momento objectivo* seu ipsa constantia legum naturæ et cursûs ejus constituti permanentia, *quatenus innititur ultimo ipsius Dei providentiæ et sanctitati*. Fundamentum autem illud *physico-morale*, cui supernaturalium effectuum cognitionem innixam esse dicimus, apprime respondet miraculosi eventus conditioni, quod ipsum *criterium physico-morale* existit, quemadmodum supra, ubi de Miraculi fine actum est, monuimus (1). Hoc tantum addam, fundamentum morale, maxime considerationem Dei Providentis, præcipuam prorsus attentionem sibi heic adsciscere, atque in eo supremum ac potissimum discerniculum

(1) Vide infra p. 207.

reponendum est effectus transcendentiæ non tantum supra vires naturæ physicæ, verum etiam supra facultatem Spirituum universam.

§ II.

DE RATIONE DIGNOSCENDI MIRABILIA SPIRITUUM OPERA PROUT ASSUMUNTUR IN DIVINORUM CONSILIORUM MANIFESTATIONEM.

1. Ex iis quæ non semel jam notata fuere tum de nativa Spirituum virtute, tum de miraculi causa instrumentali et efficiente, patet superiores illas substantias non modo, vi potentiæ obedientialis, divinitus adhiberi posse ceu instrumenta miraculi proprie dicti, sed etiam ex suis nativis viribus mirabilia innumera patrare posse, quæ relate ad nos, sæpius pro veri nominis miraculis haberi debeant. Porro generatim heic inquiritur quonam pacto illa opera Spirituum, quæ applicatione virium suarum naturalium exserunt in mundum visibilem a miraculis proprie dictis internosci possint? Quomodo, inquam, rescias quandonam Spirituum mirabilia certo *in divinum manifestativum* assumantur?

2. Ad hujus quæsiti solutionem animadvertendum rursus Spirituum ejusmodi duplicem esse classem : malorum quippe et bonorum sive Angelorum et Dæmonum. — Utrique porro ordini maximam competere in materiam corpoream atque entia organizata ac viventia universim potestatem antea vidimus, ubi brevem eorum virtutis descriptionem ex probatissimis Scholæ auctoribus exhibuimus. Age prima atque maximi momenti regula quæ in ea re quam nunc investigamus præ oculis est habenda hæc sit, aliter disputari posse de Spirituum potestate in materiam corpoream atque in ipsa elementa quibus varia universi entia constant, si abstracta ratione eam consideres; aliter

vero si in concreto seu in actualis mundi statu præsentisque Providentiæ ordinis œconomia illam respicias. — Equidem dubium existere potest nullum quin Spiritus, si libere sibi relinquerentur, effectus complures exerere possent quos ipsi, cum eorum facultatis nativæ limites ignoremus, sæpe sæpius pro divinæ et omnipotentis virtutis manifestativis seu veris miraculis haberemus. At secus habet si Spirituum potestatem spectes in concreto, atque supposito eo qui nunc existit Providentiæ regimine, prout ex distinctis entium hierarchiis ac gradibus ordo exsurgit universi. Cum enim hoc postulet recta mundi œconomia, ut una creaturarum hierarchia non sese ultro in alium cujusdam hierarchiæ ordinem ingerat, sed unaquæque in sua serie conclusa maneat, hinc jam vides non posse spirituales substantias indistinctim, coram hominibus, sua mirabilia portenta edere, sed in iis tantum casibus quibus eorum potentiæ liberum exercitium Deus permittit vel etiam imperat. Porro exinde illico sequitur nunquam esse metuendum ne superiorum spirituum opera mirabilia hominibus *pro veris miraculis* exhibeantur, in iis saltem casibus quibus ex iliis vel ipsi prudentes ineluctabiliter deciperentur : *quod quidem unice probativo miraculorum valori heic posset opponi.* Porro ex hoc principio sponte sequitur quæstionis heic propositæ solutio. Nempe de Spirituum bonorum operibus difficultas nulla moveri potest. Si enim ii Deo jubente vel tolerante, sua mirabilia hominibus ostentent, hoc procul dubio nonnisi ob finem sanctissimum et veritatis comprobationem facient. Mali vero Spiritus si suis præstigiis hominum fidem a Deo tentare permittantur, profecto ipsa portentorum *ethica conditione* interventionem suam prudentibus haud obscure patefacient. Quippe aut in ipso operandi modo, inhonestas, turpitudo, impietas, superstitio, multiplex scurrilitas, inutilitas, abnormis etiam multiplicitas vel certe aliquid minus Deo digni ac suspecti evidenter inerit, aut in

operis fine, si non proximo at saltem remoto, perspicua etiam conspicietur operantis malignitas, prout sive morum corruptelam, sive virtutis eversionem, sive religionis rerumque divinarum irrisionem, sive alios etiam minus rectos fines, Deo injuriosos aut illo indignos prosequitur. Idem de cæteris operis adjunctis universim dixeris. Licet enim Spiritus nequam identidem sese in Angelum lucis transfiguret, nunquam tamen eousque suis artibus proficiet, ut *hominum prudentium* animos decipiat, ac mendacia portenta pro divinis miraculis eis *inevitabiliter* obtrudat. Secus enim ipsa Providentiæ ratio Deique existentia summo jure in dubium revocaretur (1).

3. Constat ex dictis non posse Deum sanctum ac providum malis spiritibus sua mirabilia permittere, nisi ex indiciis certis a prudente quovis homine mala eorum origo innotescere possit. — Sed ulterius quæritur num semper distingui in praxi possint opera bonorum Spirituum quæ virtute sua naturali eliciunt a veri nominis Miraculis? Respondeo : 1°, quædam Miracula sunt quæ transcendentiâ suâ omnem creatam vim superant et manifesto ordinem dicunt ad causam omnipotentem et infinitam. Ita vaticinia certa, distincta, minuta de futuris libere contingentibus eventu probata, vel ex principiis metaphysicis nonnisi tali causæ tandem possunt tribui quæ comprehensivâ suâ scientiâ complectitur quidquid objectivam existentiam in quocumque durationis momento habebit, ipsasque adeo indifferentis arbitrii futuras determinationes : quod nonnisi intelligentiæ infinitæ sit. Hinc nonnisi divinæ scientiæ tribui possunt celeberrimæ prophetiæ quæ inter Hebræos exstabant de sceptro non exituro de Juda donec veniret Deus domus Israël (*Gen.* XLIX) ; de Virgine paritura, (*Is.* VII ; 41) ; de Bethlehem Ephrata Messiæ ortu nobilitanda

(1) Cf. Orig. *L. II cont. Cels.* n. 93,94. — Item Horantium : *Locor. theol.* L. IV, c. XI.

(*Mich.* IV; 8 sq.; V 2); de servo Jehovæ passuro pro peccatis populi (Is. LIII); de evertendis templo et civitate Jerusalem (Daniel. IX, 23 sqq.) : quibus adde etiam prophetias ab ipso Christo prolatas de propria passione et crucifixione (*Matth.* XX, 18), de trina Petri negatione (*Marc.* XIV, 30), de propria Resurrectione (ib. X, 30) etc. — Infinitam quoque scientiam arguit certa cognitio de rebus arcanis ac cordis secretis, qualis sæpius occurrit in Christo, v. g. ubi Pharisæo Simoni retexit quæ intra se cogitabat de ejus in mulierem peccatricem indulgentia (*Luc.* VII; 39); item ubi Scribas coarguit qui sinistre de illo cogitabant quod paralytici peccata dimitteret (*Matth.* IX, 2) etc. Item nonnisi divinæ potestatis opus esse potest mortui resuscitatio. Illius enim solius sit rursum animam et corpus unire cujus fuit illa primum creare. Ut proin Lazari resurrectio, (*Joh.* XI), resuscitatio filiæ principis (*Matth.* IX, 18) filii Viduæ Naïm (*Luc.* VII, 11), Tabithæ (Act. Ap. IX, 40), etc. certa divinæ interventionis signa habenda sint. Quamquam enim spiritus ad tempus specietenus animare valeant ementitum aliquod corpus, attamen nequeunt exercere in illo opera quæ immanens vitæ principium postulant. — Quin imo, quamvis curationes plurimæ Spirituum opera fieri procul dubio possint, tamen nonnullæ etiam istiusmodi generis sanationes in Evangeliis comparent quæ non possunt per simplicem Spirituum vim explicari. Ejusmodi sint subita sanatio mulieris quæ a duodecim annis sanguinis fluxu laborabat (*Marc.* V, 29), restitutio instantanea usus manus aridæ (*Luc.* VI, 10), mundatio istorum decem leprosorum subito, ad Domini verbum, consequuta (*Luc.* XVII, 12), instantanea sanatio hominis per triginta octo annos jacentis in infirmitate sua, ad piscinam probaticam (*Joh.* V, 9), etc. Quamvis enim maxima sit Spirituum in humanum corpus potestas, attamen si attendatur inveteratus gravissimorum morborum quos meminimus character et

instantanea eorum curatio, colliges hujusmodi sanationibus virtutem Spirituum non sufficere. Atque idem, generatim saltem, dixeris de curatione subita vulnerum, fracturæ membrorum, verbo, omnium affectionum quæ lentum naturæ processum, ex natura sua, requirunt ut possint sanari. Vides itaque ejusmodi prodigia, in multis saltem casibus, tanquam divinæ et omnipotenti ac infinitæ causæ adscribenda ultro sese nobis exhibere. — Verum 2°, ultro largior innumera prodigia existere de quibus decretorie non valeas pronuntiare utrum soli Deo an forte Spirituum bonorum seu Angelorum virtuti sint referenda. Quod facile intuleris ex iis quæ supra de naturali potestate immaterialium substantiarum diximus. Nihil tamen illud detrimenti affert probativo Miraculi valori, quatenus ceu divinæ Religionis Criterium respicitur. Nam uti supra jam notavimus, boni spiritus sua portenta edere non possunt nisi in veritatis argumentum atque spirituale hominum bonum. Imo isti spiritus non interveniunt in causarum secundarum seriem, nisi Deo specialiter jubente vel expresse tolerante. Proindeque, licet certo aliquo casu distinguere certo nequeas utrum opus quod producitur soli Deo referendum sit, an etiam Angelorum propriæ virtuti, debeatur, hoc nihil nocere potest probativo ejus valori, in ratione Criterii divinæ Revelationis. Atque idem etiam dixeris de hypothesi illa satis metaphysica qua poneretur malos Spiritus assumi a Deo, contra propriam quidem voluntatem at vi illimitati quod ipse Deus in res prorsus omnes habet dominii, ut virtute sua propria, mirabile aliquod signum edant in confirmationem doctrinæ revelatæ vel alicujus divini consilii manifestationem. Namque, non diffiteor, tali etiam casu haud secus ac in præcedente hypothesi quam de Angelorum operibus posuimus, fieri sæpe poterit, ut homo effectum divinæ virtuti adscribat vel a vero miraculo non valeat discernere. Sed rursus nihil inde spiritualis detrimenti timendum, cum in casu opus natura sua

stupendum, ab ipso Deo in suorum consiliorum manifestationem adhibeatur, *præter operantis* quidem voluntatem, at sine ulla hominum pernicie.

4. Atque hæc quidem dicta sint de iis operibus quibus vel insita ac connaturalis Spirituum facultas acquivalet et quorum principalis causa existunt. Ulterius enim patet, posse etiam eos a Deo adhiberi ceu instrumentales *miraculorum proprie talium* causas, quo casu ad miraculosa eventa dignoscenda eædem recurrunt regulæ quæ præcedente paragrapho statutæ sunt. Dictis itaque constat, opinor, nunquam a Spiritibus portenta exhiberi posse quæ *cum divinis operibus sive Miraculis* ab homine prudenti confundi possint, in iis nempe rerum adjunctis quæ cum inevitabili deceptionis periculo conjuncta forent. Dubitatio proinde omnis quæ aliquando existat in eo unice versari potest, utrum in casu opus mirabile *Deo* an potius *bono Spiritui* sit referendum, vel etiam (in speculativo satis casu) nativæ malorum spirituum efficaciæ. Verum hac dubitatione nihil sibi timendum habere prudentes jam patet. — Hic sistimus in assignanda ratione qua effectus miraculosi tam propriissimi tales quam latius dicti internoscuntur. Quæ autem theoretice statuimus, hæc ubi determinata Spirituum mirabilia considerabimus planiora etiam fient.

Scholion. Stabilitæ regulæ ad discernenda opera Miraculosa valent pro singulis istiusmodi eventibus. Verum, ad judicandum utrum aliquod in specie eventum Dei vel bonorum spirituum influxui debeatur an magis dæmonum actioni, opus quandoque fuerit attendere ad ipsam facti particularis cum tota serie portentorum cui interseritur, connexionem. — Etenim ex dictis constat plura ipsorum mirabilia haud minus stupenda existere quam bonorum Spirituum signa. Quare, in particularibus quibusdam adjunctis, fieri posset ut *divina* sive *angelica* vel *dæmoniaca* portenti indoles non ex ipsa effec-

tus conditione physica innotescat : quin imo neque semper infallibiter colligeretur ex alicujus singularis *effectus* conditione ethica, cum in aliquo casu posset se Satanas in Angelum lucis transfigurare et ita finem rectum in opere imitari, ut hominem falsitas et error fugiant. Quare consideranda etiam inprimis ipsa *facti particularis* connexio cum tota manifestationum quibus comprehenditur serie, ut ita tum ex signis objectivis quæ jam descripsimus, tum ex adjunctorum maxime moralium æstimatione *adæquata* certum et completum judicium efformari possit. Quæ omnia multo quidem facilius peraguntur de facto, ubi eventa viva et præsentia investiganti adsunt quam ubi abstractis et emortuis litteris describenda sunt, maxime attento Dei Providentis regimine cujus auxilium nunquam deest facientibus quod in se est.

CAPUT III.

DE CRITICA MIRACULOSI EVENTUS COGNITIONE NECNON DE PROPRIO GRADU CERTITUDINIS ET EVIDENTIÆ CUJUS SUPERNATURALIA EVENTA CAPACIA SUNT.

1. Quæ superiore sectione statuimus de miraculorum criteriis notisque, illa generali et abstracta ratione eorum cognoscibilitatem atque maxime *supernaturalem* conditionem demonstrant. Restat ut hanc ipsam Miraculorum cognoscibilitatem in sua concreta et experimentali determinatione investigemus. Idque vel eo minus omittendum quod recentiores increduli ipsa criteria, quibus supernaturalis miraculosi operis indoles declaratur, veluti a priori jam conclamata, negligere affectant atque potissimum exprobant supernaturalistis ipsa facta quæ ab illis Miraculis accensentur ad scientificæ critices normas minime esse exacta (1).

(1) « Ce n'est donc pas au nom de telle ou telle philosophie, c'est au nom d'une constante expérience que nous bannissons le miracle de l'histoire. Nous ne

Nostrum igitur sit, hoc paragrapho altero, ea speciatim complecti, quæ ex legibus critices tam rationalis quam historicæ ad experimentalem ipsius miraculosi eventus determinationem faciunt, atque evincere eventus quos pro miraculosis supernaturalistæ recipiunt, veræ certudinis et evidentiæ subjectivæ capaces esse atque conditionibus omnibus satisfacere quas scientifica critica ad historicam facti veritatem jure postulat. Cernis quæstionem in qua versamur reduci totam ad actualem regularum *applicationem*, quas modo miraculosorum eventuum recognitioni *theoretice* statuimus, atque potissimum ad materiale miraculi constitutivum sive ad ipsum eventum concrete consideratum spectare.

2. Jamvero quoniam in critica, ut dicunt, supernaturalium eventuum recognitione versamur, dicendum in primis nomine Critices generalissime accepto intelligi scientificum rerum examen quatenus, pro varia earum indole, omni ex parte earum certitudo exploretur ac nihil pro rato recipiatur nisi quod manifestissimis veritatis argumentis comperiatur ornatum. « Critica *subjective* sumpta, inquit Cl. Welte, continetur facultate rite rem quampiam dijudicandi *ex propriis suis normis ac regulis* : objectivo sensu accepta constat tam theoria quam applicatione istiusmodi regularum (1). » Ex hac autem notione vides illo nomine *Critices*, quod instar arcani cujusdam symboli jactant recentiores increduli, nihil aliud venire nisi scientificam certitudinis et evidentiæ quæ rebus singulis competit recognitionem, *ad illas leges exactam quas propria rei et ordinis intelligibilis ad quem pertinet conditio postulant.* Ut proin statuantur principia quibus innitur miraculosorum factorum determinatio, statuenda ante omnia propria species certitudinis quæ ipsis ex rei natura proportionata est.

disons pas « le miracle est impossible » nous disons : « Il n'y a pas eu jusqu'ici de miracle constaté. » E. Renan, *Vie de Jésus*, Introd. p. LI.

(1) *Dict. Encycl. de Théol.* ad v. *Critique Biblique.*

3. Age, ut passim monent logici, certitudo sive ille mentis status quo ipsa sine formidine oppositi objecto suo assentitur, triplicis generis esse potest, pro varietate motivi cui nititur ista intellectus adhæsio. Aut enim versatur mentis consideratio circa ideas absolutas ac necessarias rationis; aut circa facta experientiæ sive internæ sive externæ; aut circa ordinis ethici principia ac eventa propriæ experientiæ inaccessa. Priore casu mens eapropter sine formidine idearum convenientiam vel discrepantiam affirmabit eo quod notionem prædicati in notione subjecti inclusam vel cum illa identificatam perspicit, sive hoc agnoscat immediata mentis intuitione, sive mediata deductione, quam certitudinem *metaphysicam* dicunt. Si vero de utriusque experientiæ factis agitur, certam eorum existentiam mens deprehendet ex observatione naturæ vel conscientiæ testimonio : atque certitudo illa vocatur *physica*. Tandem certam cognitionem de ethicis veritatibus ac factis propriæ experientiæ imperviis ex morum investigatione aliorumque testimonio mens assequitur, unde istam certitudinem *moralem* dicunt. — Atque hæc est certitudinis partitio ex objectorum natura petita quæ vulgo inter logicos obtinet. Huic autem affinis est illa divisio quâ certitudinem et evidentiam ab illa derivatam, distinguunt in *apodicticam* et in *moralem late dictam* sive, ut alii loquuntur, in *immediatam* et *mediatam*. Apodicticæ autem certitudinis proprium est talem in animo evidentiæ fulgorem gignere ut cum illo *ne imprudens quidem dubii possibilitas* componi possit : quod contingit in judiciis quæ versantur tum circa veritates maxime primitivas et simplices rationis, tum circa phænomena conscientiæ et experientiæ quæ subjecto immediate præsentia sunt. Certitudinis vero *moralis late dictæ* est veri nominis mentis adhæsionem, omni prudente formidine solutam producere, ita tamen ut dubii *imprudentis* possibilitas usque remaneat : quemadmodum contingit in plerisque judiciis humano testi-

monio innixis, ac consequentiis abstrusioribus magisque remotis rationis speculativæ, in iis maxime quæ ad voluntatis arbitriique informationem atque ordinem morum universum spectant (1). Quamvis autem hæc divisio a nonnullis non satis accurate fuerit proposita, per se tamen nihil falsi habet dummodo sana vocabulis notio tribuatur.

4. Ut autem hæc omnia ad rem nostram transferamus, dicendum quod *per se* certitudo quam de effectu super-

(1) Ad rem satis R. P. Buffier : « Il faut avouer, dit-il, qu'entre le genre de premières vérités, tiré du sens intime (ordre métaphysique), et tout autre genre de premières vérités, il se trouve une différence; c'est qu'à l'égard du premier on ne peut imaginer qu'il soit susceptible d'aucune ombre de doute; et qu'à l'égard des autres, on peut alléguer qu'ils n'ont pas une évidence du genre suprême d'évidence. Mais il faut se souvenir que ces autres premières vérités qui ne sont pas du premier genre, ne tombant que *sur des objets hors de nous*, elles ne peuvent faire une impression aussi vive sur nous que celles *dont l'objet est en nous-mêmes*, de sorte que, pour nier les premières, il faudrait être hors de soi; et, pour nier les autres, il ne faut qu'être hors de la raison. Ainsi pour ôter toute équivoque, si quelques-uns s'opiniâtraient à ne donner le nom de certitude évidente qu'au premier genre de vérités, qui est le sentiment intime de notre propre perception, et à ne donner aux autres que le nom de vraisemblance au suprême degré, ce ne serait plus, comme on voit, qu'une question de mots, dont je ne m'embarasserais pas, car on serait toujours obligé de convenir avec moi, que ces sortes de vraisemblances au suprême degré, sont parmi le genre humain ce qu'on appelle des certitudes évidentes; et que pour en douter sérieusement dans l'usage de la vie, *il faut renoncer au sens commun*... Bien que les différentes sortes de premières vérités soient d'une évidence un peu plus ou un peu moins vive en nous l'une que l'autre, elles ne laissent pas d'être toutes véritablement évidentes; puisqu'elles ont assez de clarté pour déterminer notre raison, naturellement, infailliblement et necessairement à penser telle chose sur tel objet, qui est également à la portée de tout le genre humain. En effet, la première règle de vérité, reconnue universellement de tous, savoir, le sens intime de notre propre perception, tirant toute sa force de la nature, partout où se trouvera le sentiment de la nature, il se trouvera aussi une vraie évidence, et une règle nécessaire de vérité : en sorte qu'une plus grande vivacité de lumière fera bien connaître une chose plus vivement, mais non pas plus réellement. C'est donc la nature et le sentiment de la nature que nous devons reconnaître pour la source et l'origine de toutes les vérités de principe, soit qu'elles se trouvent accompagnées d'une plus grande ou d'une moindre vivacité de clarté. Car d'imaginer que la nature peut nous conduire mal, quand elle nous détermine à un jugement dont la clarté est moins vive, ce serait soupçonner qu'elle peut nous guider à la fausseté de manière ou d'autre; et ce serait alors ne plus savoir ce que nous sommes nous-mêmes, et ce que nous devons penser. *Traité des premières vérités*, P. I, c. 8.

naturalis existentia homo assequi potest non est nisi *physico-moralis.* Nam primo quidem miraculi elementum *materiale* continetur *facto* aliquo sensibili, ex hominum moraliter omnium sententia cursui naturæ opposito quodque nobis innotescit vel *propria sensuum perceptione*, *vel aliorum testimonio.* Formale vero Miraculi elementum, sive supernaturalis ejus origo colligitur tum ex legum *cosmicarum impotentiæ cognitione,* sensu superius exposito, tum maxime *Dei providentis ac sapientissimi mundi Rectoris notione.* — Sed enimvero materiale illud miraculosi operis elementum, cum *facto* constituatur physico, observatione propria vel aliorum relatione acceptum, nonnisi certitudinis illius capax est quam physicam vel etiam laxiore vocabulo moralem appellant. Eventus vero supernaturalitas licet reductive et indirecte cum metaphysica certitudine nobis possit demonstrari, uti dictum supra fuit ; per se tamen et directe nonnisi cum evidentia physico-morali menti exhibetur. Quippe hæc operis supernaturalitas manifestatur mediante ipso facto sensibili : ulterius vero innititur effectus transcendentiæ cognitio notitia legum naturæ quæ rursum nonnisi physicæ certitudinis objectum existunt : tandem supremum fundamentum sive ultima ratio ex qua, uti docent communiter Theologi operis supernaturalitas dijudicatur, seu Dei Providentis notio, nobis apodictice quidem, non tamen sine prolixa satis et implexa argumentatione innotescit, ut optime certitudinem illam de effectus transcendentia vel late *moralem* vel certe *mediatam* vocare valeamus. Vides certitudinem quæ eventui miraculoso, adæquate spectato, ex ipsa rei natura convenit, non eam esse quam recepto vocabulo metaphysicam sive immediatam dicunt sed illam quam physicam vel moralem, vel tandem mediatam vocant.

5. Verum, quamquam ita se res habet nihil exinde detrimenti inferendum existimes Miraculorum certitudini. Nam ut dictis jam sequitur, gradu quidem differunt inter

se variæ istæ certitudinis species quoad formalis adhæsionis motivi naturam, non vero quoad mentalis assensus securitatem quæ in singulis absoluta est. Is proinde qui de veritatibus moraliter certis atque in specie de Miraculorum existentia eapropter dubitaret, quod evidentia metaphysica non constant, ipsam veræ intelligibilitatis conditionem everteret : exquireret namque in omnibus indiscriminatim objectis atque in specie *in factis* talem certitudinis et evidentiæ gradum qui, ipsa rerum natura, nonnullis tantum convenire potest. Metaphysica quippe evidentia, ex immediata idearum connexionis intuitione comparata, tantum veritatibus ordinis speculativi proportionatur, ut absurdus sit qui de illa in factis experientiæ et testimonii cogitet quorum certitudo observatione colligitur naturæ atque morum. Quin imo, ad apertum scepticismum ille viam pararet. Hæc enim est prima certitudinis conditio, ut mens illis judiciis assentiatur omnibus, quæ tantam evidentiæ lucem habent ut omne rationabile dubium expellant. Atqui veritatibus et objectis certitudinis *physicæ* et *moralis* haud minus quam veritatibus ordinis metaphysici illa adest evidentia qua omnis de opposito formido depellitur. Certa quippe experientia et legitimum hominum testimonium quibus notitia ejusmodi objectorum comparatur, genuina veritatis et certitudinis criteria existunt ab omnibus logicis ceu talia proposita, quibus proinde veri nominis certitudo procuratur et quorum ultimum fundamentum tum rationalis hominis natura tum ipsa Dei infiniti sapientia et Providentia existunt. Ut non addam, hanc dubitationem quam quis de iis quæ morali tantum evidentia constant moveret, vel quotidianis vitæ humanæ societatis commercii exigentiis conclamandam fore. Nam res etiam summæ, vitæ inquam atque mortis vicissitudines a quibus omnia pendent inter homines muniaet officia tam privata quam publica, relationes politicæ et civiles universæ nequaquam certitudini metaphysicæ, sed physicæ

tantum vel morali innituntur. Quare aut hominum vitæ conditio omnis atque ipsa quoque naturæ rationalis primigenia inclinatio evertenda aut iis etiam assentiendum veritatibus quæ physica et morali certitudine atque evidentia tantum ornantur.

6. Fundamentalia illa rei logicæ principia non satis, hac ætate retinuere, in eventuum supernaturalium indagine, catholici nonnulli scriptores, atque inde, ipsi certe inviti, occasionem adversariis præbuerunt Miraculorum existentiam in discrimen vocandi. Inter alios memorandus heic G. Hermes, summi ingenii vir at philosophicæ novitatis præter modum amans. Is principia Kantiani criticismi rebus theologicis incaute applicans, negavit Miraculosi eventus existentiam a *ratione theoretica* certo cognosci posse, ipsam tamen patere *rationi practicæ,* atque licet scientificæ evidentiæ incapax sit, practica quadam probatione donari nihilominus posse. Paucis ista Hermesii theoria nobis exponenda, tum quod directe principia attingit, quibus critica Miraculosorum eventuum determinatio pendet : tum quod systematico apparatu opiniones expressit illorum omnium qui, potissimum inter Germanos, hypercriticismi Kantiani rebus religiosis in re nostra applicuere.

7. Itaque certitudinis fontem duplicem Hermesius statuit : animadvertit quippe rerum veritatem aut menti cum intrinseca necessitate imponi ex apodictica earum evidentia, quod vocat τὸ *tenere pro vero* : aut ipsi ex extrinsecis motivis proponi qui cum *morali* tantum evidentia conjuncti sint, et fidem magis gignunt quam scientiam : atque illam certitudinis moralis speciem dicit τὸ *admittere pro vero.* Priore porro certitudinis et cognitionum genere continetur, Hermesio auctore, *Ratio theoretica* sive ordo intelligibilitatis puræ, atque singularis ejus character est ipsa *antecedens dubitandi impossibilitas :* altera autem cognitionum classe exsurgit *Ratio practica,* sive rerum agenda-

rum et factorum ordo atque hujus quidem certitudinis proprium hoc est, *quod dubii saltem irrationabilis possibilitatem non excludat*, at simul hominum universali praxi et communi suffragio recipiatur et *summam verisimilitudinem* habeat, ut adeo ad morum et factorum determinationem sufficere dicenda sit (1). — Sed, his præmissis, observavit vir acutissimus legum naturæ ad miraculosum opus impotentiam, nonnisi implexa satis ratiocinatione evinci atque quod rei caput sit, nobis mediante ipso supernaturali *facto* innotescere. Hinc, ex principiis a se positis, Miraculi cognitionem logice negare debuit Hermesius *rationi theoreticæ* atque uni *rationi practicæ* permittere. Quare asseruit *certitudinem* proprie dictam de facti miraculosi existentia dari nunquam, summam tamen de ipso exhiberi probabilitatem, licet cum ea retineri debeat dubitandi possibilitas. Cum vero huic maximæ verisimilitudini accedat clarum dictamen *rationis practicæ*, pronuntiantis recipiendam esse religionem tam probabili criterio ornatam, statuit negligendas esse istas *dubitatiunculas rationis theoreticæ* atque rationis præticæ suasioni accedendum. Ipse vero, quo melius ostendat ipsa naturæ voceimpelli hominem ut practicæ rationis dictamini morem gerat, exemplum petit ex civili vita : notat namque ratione theoretica seu apodictica nunquam constare corpus fœtidum de facto vita carere ; aliunde, certo imperare rationem practicam ut corpus istud sepulturæ mandetur. Porro illud practicæ rationis dictamen necessario *supponit* certum mortis factum. Hæc igitur pro certa admitti debet. « Vere, — inquit Hermes paucis ea omnia quæ rem nostram spectant resumens, — ratio theoretica... ob suam necessitatem comprehendendi est jam necessitata ad *tenendum* pro reali illud, quod nos per externum sensum intuemur.

(1) Introd. philos. § 81. — *Acta Hermesiana*, p. 31 sqq.

Sed hoc non excludit necessitatem *admittendi* illud pro vero ex morali officio, quia in iis circumstantiis semper potest rationabiliter dubitari *theoretice* de veritate hujus sensationis (quæ exercitium sive dictamen practicæ rationis determinat), ac utrum ea sensibilis cognitio non sit nisi mera illusio (1). » Jam vero, his positis, finge modo corpus fœtidum ad Thaumaturgi jussum, restitui vitæ : sane hic mortui ad vitam reditus jure pro miraculo erit habendum, non proprie *vi rationis theoreticæ* sive ob cognitionem stricte certam, sed vi rationis practicæ et summæ verisimilitudinis quæ, in rebis agendis, pro certitudine recipi debet, nisi velimus ordinem socialem penitus everti. Atque idem dixeris in similibus casibus universis. — Hæc fere in re nostra Hermesius.

8. Nihil de periculo hujusce doctrinæ, adeo Kantianis principiis consonæ dixerim. Quippe, Hermesio auctore, non obstante certitudine quam ratio practica suppeditat, semper jus dubitandi conservat *ratio theoretica*. Porro, quod verissime notat R. P. Perrone, si dubitandi possibilitatem, quam vel certissimis veritatibus opponere possis quorum evidentia non pertingit ad ordinem stricte metaphysicum sive *apodicticum*, ipsi *rationi* tribuas, non vero *soli voluntatis pervicaciæ;* Religionis christianæ certitudo omnis grave procul dubio detrimentum subibit. Exinde enim Christi vita atque Miracula nunquam ita certo adstrui poterunt quin, *ex ipsa ratione*, dubia nequeant ei opponi. Quæ unica consideratio suspectum Hermetii criticismum redderet. — At vero, ut summa tantum capita attingam quæ rem nostram maxime spectant, dum critices jura nimium exaggerat vir doctissimus, haud satis logicæ et certitudinis legibus prospexit Hermesius. Ac in primis ecquis non videt ex ipsius principiis rationi practicæ obsequendum quidem

(1) *Introd. Phil.* p. 228. Cf. Perrone : *Præl. Theol.* Ed. Lov. T. IX, p. 465.

esse *quando de certis quibusdam adjunctis mens omnino persuasa est :* atque, in nostro casu, credendum doctrinæ *si* miraculis sit confirmata, sed nequaquam de ipsa *existentia* talium circumstantiarum certitudinem homini fore affuturam. Nam actualis ille adjunctorum concursus *ratione theoretica* nequit cognosci, juxta Hermesii principia : sed neque deprehenditur magis ex *ratione practica.* Illa enim, quod nimis Hermesium fugisse videtur, officium commonstrat atque dictat in *certis adjunctis* adimplendum : verum *utrum de facto* heic et nunc talia adjuncta concurrant, nihil per se ipsam rescire poterit. Vides juxta stricta hypercriticismi Hermesiani principia ordinem ethicum atque illa omnia quæ *rationis puræ* sphæra non sunt comprehensa nutare ac veluti a suis tolli fundamentis, nulla vere relicta humanæ *voluntati* in rebus agendis regula (1).

9. Quin 2°, si rem acute inveestiges, non minimam contradictionem sententia Hermesii continet. Quippe si ipsi credas, moralis certitudo alicujus *facti* ex dictamine rationis practicæ pendet tota, quatenus ista *officii obligationem* in certo casu proponit, cum facto connexam. Sed aliunde est ut illa ethicæ obligationis quæ hic et nunc eminet certitudo prævio supponat facti existentiam certo etiam constitisse. Ergo in rebus agendis ac muneribus adimplendis, certitudo de *officii* obligatione tandem derivabitur ex *facti* certitudine ac simul, ex Hermesii mente, facti certitudo ab ipsa evidentia officii resultat.

10. At his etiam omissis quæ gravissima sunt, ipsum Hermesii opinionis fundamentum ex supra animadversis eversum habes. Videlicet, præter veritates metaphysice seu apodictice certas et evidentes, alia sunt intelligibilia plurima quæ veri nominis certitudinem continent atque

(1) Cf. ea de re D. Lonay : *Dissertations philosophiques sur les principales vérités de la religion,* p. 318, ubi solide Hermesiana principia confutat.

proin nullam dubitationem quæ *ex ratione* oritur compati possunt. Huc spectant veritates illæ omnes ordinis tam physici quam moralis quibus mens sine ulla formidine assentitur, cum legitima sensuum vel sensus intimi perceptione deprehendantur aut ex testimonii indubia auctoritate colligantur — Neque hanc animi adhæsionem fundat in casu obsequiosa quædam fides vel *officii moralis* obligatio, vi cujus theoreticum dubium, quod etiamnum remaneret, homo deponat et agendi normam conformet *practicæ rationis* dictamini. Hæc enim Hermesii commenta facultatum humanarum œconomiam mire pervertunt, cum in judicando nescio quem voluntatis affectum ipsi rationis evidentiæ substituant. Sed enimvero assensus firmitas nititur in casu in ipsa objecti intelligibilis evidentia et certitudine. Nimirum veritatibus physici et moralis ordinis sine formidine assentitur homo eo quod, ex lumine rationis, novit fieri non posse ut facultates ab ipsa natura ad cognoscendum comparatæ ipsum in errorem inducant, si requisitis fuerint conditionibus ornatæ, neque admitti etiam possit testimonium debitis conditionibus instructum fallax existere. Quod sane principium non minus apodictica evidentia affulget quam metaphysica principia quælibet et proxime connectitur cum ipso contradictionis principio, quod in casu sic efferretur : *Creatura rationalis essentialiter nata est ad veritatis assequutionem.* Quare nullatenus intellectûs assensus veritatibus facti et testimonio repeti debet ex rationis practiæ dictamine sed ab ipso rationis theoreticæ lumine. — Equidem norim huic assertioni de facultatum cognoscitivarum legitimitate opponi posse ab Hermesio *dubium universale* ceu principium philosophandi habitum fuisse. Verum, ut observat R. P. Kleugten in sua Hermesianismi confutatione (1), aut ejusmodi dubium methodicum

(1) Cf. *Philosophie der Vorzeit.* T. II, p. 370 sqq.

extenditur ad ipsam veri certo cognoscendi facultatem aut saltem a neganda primigenia mentis ad veritatem destinatione abstinet. Priore casu patentem et irreparabilem scepticismum induci nimis patet, ut adeo, in ea sententia, dubium methodicum in æternum sterile et nullum philosophandi principium foret habendum. Si enim vel nativa mentis ad judicandum facultas incerta tibi sit, ipsa dubitatio pro illusorio phantasiæ commento jure habebitur, neque ulterius de cogitandi methodo erit investigandum. — At si originalem animi ad certitudinem assequendam destinationem recipias, illico exsurgit *rationale* evidentiæ mediatæ seu, si mavis, *physico-moralis* fundamentum quod non aliud est nisi *ipsa hominis natura intellectualis* et objectivus facultatum cognoscitivarum valor. Porro hoc jam constituto, inferes in iis judiciis quæ comparantur ex debita sensuum relatione vel legitimo testimonio, remanere quidem *irrationabilem* dubitandi possibilitatem, sed simul non minus absurditatem ejusmodi dubitationis menti apparere, quam si de objecto immediatæ et apodicticæ evidentiæ ageretur. In utroque quippe casu mens assensum denegaret rei quam sine oppositi formidine, ex reflexa etiam analysi, veram et certam judicat. Quod enim ex diverso motivo sive formali objecto assentiatur, hoc, ut vidimus, firmitatis *gradum* in assentiendo modificare potest, sed *essentialem certitudinis rationem* sive *rationalem dubii exclusionem* minime attingit (1). — Ergo fundamentum supremum moralis certitudinis non est proprie *voluntatis dictamen* sive practicus quidam affectus, sed ipsum rationis lumen : itemque huic morali certitudini non theoretica dubitandi facultas, sed irrationalis tantum potentia coëxistere potest. Hac autem observatione plane corruit fallax isthæc *rationis puræ* methodus.

11. Ex modo disputatis colliges Miraculosa eventa prout

(1) Cf. Liberatore : *Logica*, n. 118, R. ad obj. II.

in *materiali sua et physica quidditate respiciuntur*, veri nominis certitudinis et evidentiæ, juxta proprium intelligibilitatis ordinem, esse capacia. Sed inde etiam inferre licet cuinam *criticæ recognitionis* methodo sint subjicienda. Scilicet, Miracula, seu effectus personalis Dei vel Spirituum interventionis, inprimis constant facto sensibili, et qua tali cæteris factis per omnia simili : ac nonnisi mediante hoc facto, supernaturalis eorum character innotescit. Atqui, *factum* qua tale non est alius certitudinis per se capax quam physicæ vel moralis : in eo igitur critica miraculosi eventus investigatio versari tantum potest, ut hanc physico-moralem *facti* certitudinem in aperta luce ponat, procul dubio *rationabili* quolibet, non secus ac obtinet in quæstionibus facti universis, quæ proprium objectum constituunt *criticæ historicæ*. Proinde qui facti miraculosi recognitionem talibus normis subjiceret quæ historicæ recognitionis conditiones excedant quæque magis spectent objecta certitudinis metaphysicæ, is nativam Quæstionis faciem procul dubio deformaret atque de miraculosis eventibus talem evidentiam exquireret quæ *in re facti* minime potest postulari.

12. Quanam igitur ratione eventus miraculosi certitudinem, ad omnes critices historicæ normas exactam, reportare poterimus? Respondemus distinguendum esse inter miracula quæ immediata observatione deprehenduntur et illa quæ mediante aliorum testimonio colliguntur. Priore casu factum ex debita sensuum perceptione deprehenditur Nihil enim certitudini obstare potest extraordinaria eventus indoles. Unum enim inquiritur, num *heic et nunc* sensus tibi referant *facti existentiam?* Quod vero transacta hactenus experientia contraria eventa tibi renuntiaverit, hoc nequaquam præsentis perceptionis realitatem infringere valet, cum secus nulla de facto extraordinario vel necdum hucusque observato certitudo haberi unquam posset.

13. Si vero effectus supernaturalis testimonio innotescat,

expendendæ in primis erunt conditiones quæ critici exigunt ad plenam testimonii omnibus numeris absoluti fidem. Primo itaque factum ipsum illustre, obvium et publicum esse debet, taleque quod nullam proprie dictam impossibilitatem continet vel oppositionem cum aliis quibusdam factis certis, vel cum perspectis alicujus gentis vel epochæ moribus et statu. Ex parte autem testium requiritur ut plures fuerint oculati, vel saltem, si pauciores sint, ut numerum gravitate compensent; dein ut testimonium perhibeant coram iis quibus facile sit falsitatem rescire. Rursum oportet ut primi isti testes fuerint mentis sanæ et graves, probitate commendati ac tales qui omnia eventus adjuncta scrutari potuerint. Porro si de producta testium serie agatur, oportet ut eorum relatio non interrupto testimonio ad posteros pervenerit. Huic autem testimonio multo major fides conciliabitur si testium interfuisset facto non credere, eo quod graviora secum consectaria haberet, vel etiam testes incommodis, vexationibus atque ipsi morti fuissent exponendi, nedum lucri vel cujuslibet commodi temporalis in testimonium adducerentur. Quin relationi auctoritatem plane maximam adderet, si testes variæ ætatis, conditionis atque indolis sint ac nihilominus perpetuo sibi cohæreant et in dato testimonio perseverent : si eorum relatio historicis documentis corroboretur, ut sunt monumenta artis, festa anniversaria, inde ab eventus tempore ad seram posteritatem celebrata; constans gentis traditio, locorum nomina, regimen sacrum vel politicum, narrationes scriptorum, præsertim si diversæ sint religionis vel sententiæ ac nullo inter si commercio colligati (1). Hæc enim omnia, si in testimonio concurrant, indubiam ejus auctoritatem faciunt. Quod enim nonnulli opposuere, unumquem-

1) Cfr. de Testimonii normis criticis Cl. Bonnet : *Recherches sur les preuves du Christianisme*, c. 7-31.

que testem in se esse fallibilem atque adeo collectionem universam eadem fallibilitate infici, hoc quidem sensu verum est quod homo quisque, nisi sibi caveat, errare possit, at non ita accipi debet, quasi positis ponendis error vitari non possit. Quin, ubi illa quæ diximus requisita adsunt, error timeri nequit, nisi sumas aut naturam sponte inclinari in falsum, aut homines conditionis maxime variæ sine ulla causa, imo, certo imminentibus gravissimis incommodis, ad testandam falsitatem conspirare, quod vel metaphysice repugnat, cum poneret creaturam rationalem veritatem certo assequi non posse (1). — Neque magis opponatur temporis successio. Hæc, fateor, maxime suspectam faceret traditionem cui sufficientes authentiæ dotes desint : at nihil per se nocet traditioni, dictis conditionibus stipatæ, quin multum eam commendat. In casu enim priorum testium suffragium accedit insequentium, quorum intererat falsitatem eventus si deprehenderent, ultro vindicare, et quos omnes impostura et fictio latere non potuit. Quippe *commenta delet dies*, una veritas superat ævum. Traditionis igitur, his quas diximus notis insignitæ, antiquitas non modo certitudem eventus, quantumvis in se ipso extraordinarius supponitur non tollit, sed illam firmat et auget.

14. Hæc quæ hucusque notavimus, respiciunt extrinsecas conditiones quæ ad empiricam miraculosorum eventuum ex ipsa rei natura exiguntur. Verum præter illas negligi etiam nequit *subjectiva* quædam ethici ordinis conditio quæ maximi plane momenti est. Nimirum, quod semper præ oculis in præsenti disquisitione habere oportet, criticum examen de miraculosi eventus existentia præsupponit probatum jam ac receptum theodiceæ naturalis dogma *de primæ causæ personalis et infinitæ existentia*. Ut enim *operari* consequitur *esse*, ita antequam de super-

(1) Cf. Tongiorgi : *Logica* L. II, c. 7, n. 636.

naturalis Dei in mundo visibili operationis existentia inquiras, exigit ratio ipsa ut ipsam Dei existentiam ceu prævium quodpiam lemma demonstraveris ac porro admiseris (1). Exinde autem sequitur 1° : præpostere agere qui negato vel systematice neglecto præliminari isto cujuslibet supernaturalis interventionis fundamento, sese ad empiricum facti pro miraculo allegati examen accingeret. Is enim violaret legem critices scientificæ universalissimam *de servando hierarchico et logico quæstionum nexu et ordine*. Quod quidem vitium commune est scholæ atheisticæ recentioris totius, ut magis constabit dum conditiones recensebimus quas ipsi examini Miraculorum præstituunt, quæ omnes innituntur sive explicitæ sive implicitæ negationi agentis extramundani cujuslibet. Quare in coæva cum Positivistis polemica si quis efficaciter agere cupit, is, opinor, minus causam vinceret qui directa ratione eorum methodum in dijudicandis factis supernaturalibus explodendam sumeret. Necessarium enim ante omnia foret negativum eorum postulatum de inutilitate et absurditate Causæ creatricis a materia ejusque viribus distinctæ confutare. — Verum hæc de stricto demonstrationis ordine dicta sint quatenus ex supernaturali eventu ultro inferas ipsum Deum infinite sanctum et veracem, directo suo testimonio doctrinam aliquam approbare et pro divina hominibus exhibere. Minime tamen negamus, imo plane largimur, *indirecta ratione* posse atheo Supernaturale eventum comprobari. Quippe positis his signis quæ supra ad Miraculosum opus dignoscendum assignavimus, et maxime conspicua effectus transcendentia atque indubia ejus a *sola Thaumaturgi voluntate dependentia*, exclusis mediis ei proportionatis quibuscumque, inferre tenebitur quilibet bonæ fidei homo, vi principii causalitatis, effectum non modo

1. Cf. Humbert : *Ueber die wissenschaftliche begründung des Wunders*, p. 14.

superare vires naturæ sed ipsis evidenter opponi atque ordinem dicere ad causam a naturalibus agentibus distinctam quæ expeditum in eas dominium habeat : in quo rude aliquod lineamen et remotum fundamentum christianæ de Deo infinito et Causa creatrice doctrinæ existit, cui ceu basi prærequisitæ ordo supernaturalis innititur totus. Quin addimus de facto hanc esse factorum Miraculosorum efficaciam ut, ab una quidem parte, iis qui existentiam Dei vivi et personalis, ex lumine rationis jam recepere, porro ipsius consilia et voluntatem deferant et manifestent, quorum cognitione ad beatitudinem finemque suum ultimum proxime disponuntur ; ab alia vero parte, iis qui Dei existentiæ refragantur, non raro testimonium istius exhibeant, quo attentius argumenta de Dei existentia considerare incipiant et mox, recepto primordiali isto dogmate, ad ulteriorem veritatis assequutionem, Deo providente, perducantur. — Sed ex dictis etiam inferes 2°, præter accuratam observationem adjunctorum omnium, requiri etiam in Miraculi recognitione, tanquam *subjectivam* conditionem, *morales dispositiones* quas ille solus negliget qui quæstionis statum non intelligit. Ex hoc enim ipso quod, natura sua et objective loquendo, Miraculum prævie supponat *causæ creatricis existentiam*, exiguntur in homine qui de illis inquirit, *humilitas* et *sinceritas* quæ ex præstabilita summi Dei existentia in ente rationali inesse debent, ubi opera explorat quæ *hypothetice* saltem summo huic Numini adscripta feruntur. Ita proinde comparatus miraculi indagator esse debet ut dum nullam prætermitit conditionem quam severa et industriosa recognitio postulat facti ejusque adjunctorum omnium, evidentiæ tamen cedere paratus sit, atque istis certitudinis historicæ et philosophicæ argumentis assentiri quæ *dubium rationabile* omne expellunt. — Quæ omnia quantum a recentiorum Positivistarum pseudo-critica methodo abludant, mox videbimus.

15. Sed ad illa jam deveniendum est, quæ adversus experimentalem istam Miraculosi eventus recognitionem, *attento inprimis materiali ipsius elemento*, increduli afferunt. Atque in primis heic citandus Humius occurrit, tum quod ejus sophismatum solutio novam lucem addet dictis, tum quod illa ab adversariis passim nostra ætate renovantur. — Porro Humius, innixus principiis sensualisticæ Lockii scholæ, *negative* miraculosi eventus cognoscibilitatem impetit, atque hoc in primis contendit, adesse miraculo, etiam *materialiter* inspecto, tales conditiones ut nullatenus sive personali experientia, sive aliorum testimonio, utcumque firmo, innotescere certo valeat. Ad hoc evincendum adstruit in quæstionibus facti unicum cognitionis fontem, nempe *experientiam*, esse recipiendum : imo fidem quam aliorum testimonio præbere solemus non alio niti fundamento nisi conformitate eorum relationis cum propria nostri ipsorum experientia. Hinc infert in re facti experientiam *constantem* et *uniformem* unicam veritatis ac certitudinis regulam et mensuram existere. Obortis vero in contrarium opinionibus vel testimoniis, singula singulis jubet committenda, ut ex illarum comparatione vel certitudo vel saltem probabilitas aliqua de alterutrius veritate evinci possit. His vero animadversis, notat Humius in hypothesi facti supernaturalis sive Miraculi duas sibi opponi experientias : nempe unam quæ continet *casus hactenus observatos omnes*, alteram in qua heic et nunc, ex hominum testimonio vel etiam propria recognitione, certiores reddimur de peculiaris effectus existentia *qui cursui naturæ contrarius sit*. Sed enimvero probabilius est homines, quæcumque eorum veracitatis existant argumenta, fallere aut falli quam cursum naturæ interrumpi. Ergo illud idem principium ex quo, Humio judice, testium veracitas ac miraculi existentia deducitur, experientiæ videlicet auctoritas, vim testimonii hominum in eo peculiari et extraordinario casu infringit. Cum enim

duæ experientiæ sibi invicem opponantur, experientia frequentior alteri est præferenda (1).

16. Hæc est paucis contracta Humii et innumeri qui cum eo sentiunt incredulorum agminis adversus Miraculosorum eventuum recognitionem expostulatio, quæ licet Cl. Bergier splendissima omnium objectio visa sit, attamen nonnisi putidum satis sophisma sit (1). — Et primo quidem, quam falso asserat Humius nostram de factis cognitionem omnem ab experientia pendere facile constat. Nam, vago isto Experientiæ nomine intelligit Anglus philosophus vel humani generis cognitiones empiricas omnes, quo casu nemo non videt talem scientiæ summam, nedum personali experientia acquisita habeatur, contra per aliorum testimonium maximam certe partem obtineri ac communicari : vel intelligit Humius loqui de *experientia nostra personali,* quo etiam casu falsissima ipsius doctrina est et apertum scepticismum continet. Sane homo cum fidem habet factis quæ vel suis sensibus vel certo hominum testimonio dicidit, nullatenus eo ducitur propter suæ experientiæ personalis dictamen, at movetur tum ipsa rationalis naturæ invincibili inclinatione, tum

(1) *An inquiry concerning human understanding.* Sect. X. — Hanc Humii argumentationem contraxit fere ipsis Auctoris verbis Cl. Bergier: « La plus éblouissante (objection) au premier coup d'œil est celle que D. Hume a traitée fort au long dans son *dixième Essai sur l'entendement humain,* où il s'est proposé de prouver qu'aucun témoignage ne peut constater l'existence d'un *miracle.* Un miracle, dit-il, est un effet ou un phénomène contraire aux lois de la nature; or, comme une expérience constante et invariable nous convainc de la certitude de ces lois, la preuve contre le *miracle,* tirée de la nature même du fait, est aussi entière qu'aucun argument que l'expérience puisse fournir. Elle ne peut donc être détruite par aucun témoignage, quel qu'il puisse être. En effet, la foi que nous ajoutons à la déposition des témoins oculaires est aussi fondée sur l'expérience, c'est-à-dire sur la connaissance que nous avons que ce témoignage est ordinairement conforme à la vérité. Si donc ce témoignage tombe sur un fait miraculeux, il se trouve deux expériences opposées, dont l'une détruit l'autre, ou du moins dont la plus forte doit prévaloir à la plus faible. Or, comme il est beaucoup plus probable que des témoins se trompent ou veulent tromper, qu'il ne l'est que le cours de la nature est interrompu, l'on doit plutôt s'en tenir à la première supposition qu'à la seconde. » *Dict. Théol.* ad v. Miracles.

maxime objectivæ evidentiæ luce, quatenus cernit mens impossibile esse ut testimonium his quas antea descripsimus conditionibus ornatum, fallax existat. In ipso igitur objectivæ evidentiæ fulgore, minime vero in ista quam Humius comminiscitur experientia personali, hominum fides in casu innititur (1).

17. At præterea principia ab Humio contra eventus miraculosi recognitionem proposita, non modo factorum supernaturalium existentiam, sed certitudinem historicam universam funditus evertunt. — Quippe, si ex hominum testimonio ad omnes critices normas exacto, non valeam dignoscere factum aliquod, quoniam anteriori experientiæ oppositum est, tale factum ne tunc quidem admiserim ubi immediate et certa sensuum perceptione mihi innotuerit. Nam et in his quoque adjunctis, antecedenti experientiæ opponi dicendum erit. Accedit, ex paritate rationis, quod non eventus supernaturales tantum, verum et facta simpliciter extraordinaria recipi nunquam jam possent. Atque hoc ipsum Humius fateri cogitur : quippe provocat ad exemplum Indi cujuspiam qui testimoniis omni exceptione majoribus certior factus de gelu phænomenis quibus septentrionales nostræ regiones affliguntur,

(1) Optime Cl. Bergier : « Il est faux, inquit, que l'expérience que nous avons de la véracité ordinaire des témoins et des historiens soit la seule raison de la croyance que nous leur donnons. Nous les croyons parce qu'il est impossible qu'un grand nombre de témoins et d'historiens contemporains se soient trompés sur les faits qu'ils rapportent ou qu'ils se soient accordés pour nous tromper. Notre foi est donc fondée non seulement sur nos observations mais sur l'impossibilité du contraire. » *Traité de la vraie Religion*, T. IV, p. 290. Et in alio loco hæc habet de eodem argumento : « Nous nous fions au témoignage par un instinct naturel qui nous fait sentir que sans cette confiance la société humaine serait impossible. Nous nous y fions dans l'enfance avec plus de nécessité que dans l'âge mûr et plus nous devenons vieux, plus nous devenons défiants... Nous nous y fions en vertu de la connaissance intime que nous avons de la nature humaine. Ce n'est ni une simple présomption, ni une expérience purement négative ou une ignorance, mais une connaissance positive et réfléchie. » *Dict. Théol.* art. *Miracle*.

nequaquam, si Anglo homini credas, hisce relationibus fidem habere posset. — Quin, posito nostram in testimonio fidem unice experientiæ personali inniti de hominum veracitate, nunquam eorum auctoritati plenam fiduciam exhibere possemus, cum adeo sæpe homines mendaces ac deceptores deprehenderimus. Perspicis ex iis Humii contra miraculosa eventa expostulationibus certitudinem perire omnem ac nudum scepticismum stabiliri. Imo, quoad ipsam *facti* recognitionem, si suis principiis Humius stare velit, vel ipsa *personalis experientiæ certitudo* magnam certe partem peribit. Quot enim facta sunt quibus contraria experimenta opponere possis? Quam paucæ igitur empirici ordinis veritates certæ atque firmæ remanent! Satis hoc ipse sophista perspexit, ut fateri debuerit, experimentales nostras cognitiones nullo *rationabili* fundamento niti, sed *instinctiva* tantum et *cæca consuetudine*. Humium ipsum audiamus : « Après avoir observé, inquit, la liaison constante de deux choses, de la chaleur, par exemple, avec la flamme, ou de la solidité avec la pesanteur, nous ne sommes déterminés que *par habitude* à conclure de l'existence de l'une de ces choses l'existence de l'autre... Aucune induction expérimentale ne procède du raisonnement, *elles naissent toutes de la coutume*. Quand on a vérifié, par plusieurs exemples, que deux choses de différentes espèces, comme la flamme et la chaleur, la neige et le froid, sont constamment jointes ensemble, notre âme contracte la coutume d'attendre du chaud ou du froid, toutes les fois que le sens de la vue est frappé de nouveau par le feu ou par la neige, et de croire que ces qualités se manifesteront à l'approche de ces objets. *Cette croyance est un résultat nécessaire des circonstances où l'âme se trouve placée...* Ce sont là des espèces d'instincts naturels, qu'aucune suite de pensées, aucun acte de l'entendement ne sauraient ni produire

ni réprimer (1). » Vides eosdem illos sophistas qui miraculi cognoscibilitatem tantopere insectati sunt, non minus ipsa certitudinis humanæ fundamenta, in rebus mere empiricis, exturbare.

18. Atque hæc quidem fere *argumenta sunt ad hominem* invicta tamen et nunquam a sophistis infirmanda. Verum, quod tanta confidentia plurimi cum Humio jactant, nimirum, certitudinem experimentalem de facti miraculosi existentia, quantavis existat, elidi per oppositam humani generis experientiam, non secus ac vis aliqua mechanica ex contraria vi annihilatur ac destruitur, hoc, inquam, quam parum scite isti proferunt vel unica hac observatione constat quæ eorum commenta radicitus tollit. — Scilicet utraque illa experientia, una de eventibus naturæ consuetis, altera de eventu constituto naturæ cursui opposito, sunt speciei, formaliter diversæ neque proin sibi invicem *sub eodem respectu* opponi dicendæ sunt. Nam eventus naturales per se ex viribus agentium naturalium insitis dimanant : at vero effectus miraculosus quem posterior illa experientia refert, vim creatam excedit omnem et a nobis apprehenditur ceu primæ causæ immediate in mundo intervenienti adscribendus. Ergo ambæ illæ experientiæ de factis quidem disparatis sunt, nullatenus vero de rebus sibi adæquate contrariis. Oppositio ab incredulis allata existeret, fateor, si in utroque casu eventus viribus naturæ tribueretur; sed ubi distinctio causæ principalis retinetur, nulla in allegatis effectibus experientiæ oppositio existere potest (2).

(1) *Essais philosophiques.* Essai 5e.

(2) Ad rem Cl. Bonnet : « Quand je dis que l'expérience de tous les temps et de tous les lieux dépose que les morts ne ressuscitent point, je ne dis autre chose sinon que le témoignage de tous les temps et de tous les lieux atteste que les morts ne ressuscitent point. Si donc il se trouve des témoignages que je suppose très valides, que les morts sont ressuscités, y aura-t-il conflit entre les témoignages? Je dis que ces témoignages qui attestent que les morts ressus-

19. Ex his quæ contra anglum sophistam disputavimus inferes nihil ex famosa ejus objectione contra certitudinem *facti miraculosi* evinci. Ut non omittam, prorsus negligi ab homine incredulo incluctabilem ac positivam vim argumenti quod, ad facti supernaturalis recognitionem, deduximus ex testimonio hisce dotibus circumdato quas critici exigunt ad certitudinem omnibus numeris absolutam (1).

20. Criticæ Humii adversus Miraculosi eventus recognitionem expostulationes *negativam* faciem præ se ferunt. Verum audiendi jam ii qui *positive* criticas normas proposuere quas servandas velint in supernaturalium eventuum recognitione. Primus qui dedita opera ejusmodi

citent point n'attestent pas *qu'il est impossible que les morts ressuscitent.* Les témoignages qui paraissent en opposition sont donc simplement différents. Or si les témoins qui attestent que les morts sont ressuscités ont toutes les qualités requises pour mériter mon assentiment, je ne pourrai raisonnablement le leur refuser, parceque des témoignages différents (sur des faits objectivement distincts) ne peuvent prouver l'impossibilité de cette résurrection... Pourqu'il y eût ici une contradiction réelle entre les témoignages, il faudrait que ces témoins qui m'attestent la résurrection d'un mort m'attestassent en même temps qu'elle s'est opérée suivant le cours ordinaire de la nature. Or je sais très bien que, loin d'attester cela, ils ont toujours rapporté le miracle à l'intervention de la toute puissance. » *Recherches phil. sur les preuves du christianisme.* Ch. 13.

(1) Breviter atefficaciter heic doctus Bergier : « Lorsqu'un fait sensible et palpable, naturel ou miraculeux, est attesté par un grand nombre de témoins qui n'ont pu avoir un intérêt commun d'en imposer, qui n'ont pas pu même user ensemble de collusion, qui paraissaient d'ailleurs sensés et vertueux, il est impossible que leur témoignage soit faux; nous y déférons alors avec une entière certitude, en vertu de la connaissance intime que nous avons de la nature humaine. Ce n'est ici ni une simple présomption, ni une expérience purement négative, ou une ignorance, mais une connaissance positive et réfléchie. Dans ces cas, il est absurde de dire qu'il est plus probable que les témoins se sont trompés ou ont voulu tromper, qu'il ne l'est que le cours de la nature est interrompu; pour que l'un ou l'autre de ces inconvénients eût lieu, il faudrait que le cours de la nature humaine fût changé. Nous avons donc alors un témoignage tel que David Hume l'exige, *un témoignage de telle nature, que sa fausseté soit plus miraculeuse que le fait qu'il doit établir.* Dieu peut avoir de sages raisons d'interrompre pour un moment l'ordre physique et le cours de la nature, mais il ne peut en avoir aucune de renverser l'ordre moral et la constitution de la nature humaine : le premier de ces *miracles* n'a rien d'impossible; le second serait absurde et indigne de Dieu. » Ubi supra. — Conf. Campbell. *Dissertation sur les Miracles.* Paris 1765, ubi debita opera Humii commenta confutavit.

investigandi Methodum descripsit incredulus est sæculi postremo elapsi, auctor opellæ cui titulus : *Questions sur l'Encyclopédie.* Postquam multis ipsam Miraculi possibilitatem impugnasset, asserit nullum esse ex hisce eventibus quos Miraculis accensent qui, vel in sua *physica et materiali quidditate consideratus*, critico examine recognitus fuerit. Hoc autem sic probat : « Ut Miraculo detur fides, inquit, haud satis est, illud vidisse, errare enim quis potuerit. Plurimi sibi Miraculum contigisse imaginati sunt : modo sanati fuere *ex supernaturali quadam potestate*, modo in lupos commutati, in aëra elevati baculo insidentes, quin incubi et succubi exstiterint! — Requiritur porro ut Miraculi testes fuerint homines prudentissimi, numero plurimi, optime valentes, quorum nihil intererat Miraculum referre. Oportet in primis istos solemni juramento eventui fecisse fidem. Quid enim! formis authenticis quotidiana vitæ negotia aguntur! Negligentur vero dum de rebus agitur, a quibus fortuna religiosa pendet hominum! Sed fac contigisse *authenticum* miraculum : nihil adhuc confectum est. Monet quippe Christianorum scriptura Magos Miracula operari posse. Ergo requiritur ut Miraculum doctrina comprobetur ac doctrina ornetur Miraculis. Neque hoc satis. Optimam sane doctrinam docere potest vaferrimus hominum eamque magicis artibus confirmare, ut Pharaonis circulatores fecere. Quare, ab dubium tollendum omne, miraculis *prophetiæ* præeant necesse est : ut de his certitudinem habeas, oportet ut istas clare audieris proponi ac reapse eventu comprobari videris; oportet ut perbelle calleas linguam qua scripto mandata fuere istiusmodi Vaticinia. — Nec quidquam juvat te oculis vidisse miraculosum eventum. Requiritur insuper ut juridice a primoribus Gentis recognitum fuerit : quin neque hoc dubitationem vicerit omnem. Fieri namque potest ut gens aliqua vaticinio vel Miraculo in sui gratiam patrato haud parum juvetur. Statim vero ac commodi ratio

eventui associatur, certitudo de ipsius existentia jam vacillat omnis. Quocirca, nisi Miraculum, quantumvis prænunciatum, tam publicum sit atque exploratum quam Eclipsis quæpiam, ratum tibi sit ipsum mero præstigio contineri. Hinc cuperem supernaturale opus fieri coram Academia scientiarum Parisiensi vel Londinensi Instituto, assistente facultate Medica neque omissis armatis præsidiis qui mobilis vulgi studia ac turbas compescant (1). » Eadem principia miraculo de Christi resurrectione applicanda volebat insignis fidei christianæ adversarius Nicolaus Freret, quod prodigium dubium ipse habebat eo quod *juridica* examinis forma recognitum non fuerit (2). — At hæc ipsa renovarunt nostris diebus naturalistæ et positivistæ. Citandus inprimis D. Ausonius Franchi qui nullum supernaturalem eventum recipiendum ab eruditis asserit, nisi coram physicis et physiologis, in publico Anatomiæ theatro locum habeat (3). Vetera more suo evolvit et styli elegantia commendavit E. Renan in suis ad Vitam Jesu Prolegomenis. « Que demain, un thaumaturge se présente avec des garanties assez sérieuses pour être discuté; qu'il s'annonce comme pouvant, je suppose, ressusciter un mort; que ferait-on? Une commission composée de physiologistes, de physiciens, de chimistes, de personnes exercées à la critique historique, serait nommée. Cette commission choisirait le cadavre, s'assurerait que la mort est bien réelle, désignerait la salle où devrait se faire l'expérience, règlerait tout le système de précautions nécessaire pour ne laisser prise à aucun doute. Si, dans de telles conditions, la résurrection s'opérait, une probabilité presque égale à la certitude serait acquise. Cependant comme une expérience doit toujours pouvoir se répéter, que l'on doit être capable de

(1) *Quest. sur l'encyclop.* — Cf. Bergier. *Dict. Theol.* ad v. miracles.
(2) *Examen critique des Apologistes de la religion chrétienne,* c. 3.
(3) *Il Rationalismo del popolo.* Losanna Edit. 2ª, 1861, p. 122 sqq.

refaire ce que l'on a fait une fois, et que dans l'ordre du miracle il ne peut être question de facile ou de difficile, le thaumaturge serait invité à reproduire son acte merveilleux dans d'autres circonstances, sur d'autres cadavres, dans un autre milieu. Si chaque fois le miracle réussissait, deux choses seraient prouvées : la première, c'est qu'il arrive dans le monde des faits surnaturels; la seconde, c'est que le pouvoir de les produire appartient ou est délégué à certaines personnes. Mais qui ne voit que jamais miracle ne s'est passé dans ces conditions-là; que toujours jusqu'ici le thaumaturge a choisi le sujet de l'expérience, choisi le milieu, choisi le public; que d'ailleurs le plus souvent c'est le peuple lui-même qui, par suite de l'invincible besoin qu'il a de voir dans les grands événements et les grands hommes quelque chose de divin, crée après coup les légendes merveilleuses? Jusqu'à nouvel ordre, nous maintiendrons donc ce principe de critique historique, qu'un récit surnaturel ne peut être admis comme tel, qu'il implique toujours crédulité ou imposture, que le devoir de l'historien est de l'interpréter et de rechercher quelle part de vérité, quelle part d'erreur il peut recéler (1). »

21. Resumendæ jam paucis istæ Incredulorum de critica Miraculi recognitione assertiones, quibus continentur ea omnia quæ maxime ab iis miraculorum cognoscibilitati opponuntur. Et primo, quod exigit auctor quem primo loco citavimus ut nempe miraculosi eventus testes sanæ mentis homines existant, ac tales qui hisce qualitatibus ornantur quæ ad testimonii legitimitatem faciunt, hoc verissime habet, sed ad illud sufficere possunt conditiones quas supra recensuimus : ut enim ostensum a nobis fuit, aut istis veritas testimonii certo colligitur, aut universalis scepticismus est admittendus. Dicent forte pecu-

(1) *Vie de Jésus :* Intr. p. LI.

liarem probationem jure reposci de eventibus quæ tam incredibilem faciem præ se ferunt? Respondeo revera oportere, ut eventui cuilibet, maxime si extraordinarius sit, sua sanctio adsit : verum hæc pro rerum natura diversa est. Nimirum, si sermo sit de facto publico, illustri, quod veluti in oculos incurrat omnium, stultum sit exigere ad illius fidem formas juridicas. Sane victoriæ Alexandri Magni, Romæ fata, Caroli Magni et Napoleonis gesta non *officialibus* relationibus, sed publica hominum notitia posteris innotuere. Nempe in hisce factis, fama et omnibus manifesta eventus conditio juridicas formas eximie supplet, quæ in domesticis ac civilibus rebus exiguntur *propter certæ et conspicuæ notitiæ defectum.* (3). Sed idem certe in iis miraculis contingit quibus propriissime, ceu credibilitatis motivis, fides innititur supernaturalis. Sic, ut unum alterumve tantum ex iis meminerim, si gens universa, in captivitatem deducta, sub ipsis persecutorum oculis, mare sicco vestigio transeat atque hostes effugiat, ecquis de *officiali* talis facti recognitione cogitet? Hoc tamen prodigium, in Hebræis contigisse testantur annales gentis et historiæ tam sacræ quam profanæ, geographiæ atque palæographiæ monumenta. Rursum ubi Christus a mortuis suscitavit filium Viduæ Naïm, narrante Evangelista, *accepit omnes timor et magnificabant Deum dicentes : quia Propheta surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam. Et exiit hic sermo* (hoc miraculum) *in universam Judæam de eo et in omnem circa regionem* (1). Item quando sanavit cæcum natum, civitati universæ notissimum, non plebs tantum, sed Hebræorum scribæ et sacerdotes factum omni ex parte investigarunt ac demum fateri coguntur : *Quomodo aperti sunt tibi oculi?* quærunt : *alii dicebant : quomodo potest homo peccator hæc signa facere* (2)?

(1) *Luc.* 7. — (2) *Joh.* 9. — (3) Cf. Bergier : *Certit. des preuves du Christ.* c. III.

Quid Resurrectionis factum commemorem et visum Christum plus quam quatuor centum hominum? Quid sacerdotes dicentes de claudo a Joanne et Petro sanato : *Quid faciemus hominibus istis... factum enim notissimum est nec possumus negare* (1)? Nonne demens sit qui in istis juridicas formas exposcat? Nonne publica istiusmodi factorum indoles eminenti ratione securitatem continet quæ in juris processu existit? — Quoad illa autem Miraculosa eventa cui minor publicitas inest et *a quibus nonnisi secundarie pendet Revelatæ fidei Divinitas*, illa reapse examini juridico, severitatis maximæ, Ecclesia subjicit, cum nullum Tribunal sit qui majori cura causas explorat quam S. Rituum Congregatio in Beatificationis et Canonizationis negotiis. — Neque magis responsionem meretur conditio illa altera, qua exigunt adversarii ut Miraculum certis prophetiis fuerit prænuntiatum, ne forte pro veris Miraculis circulatorum mirabilia recipiantur. Profecto si prophetiis Miracula fuerunt prædicta atque porro eis respondeant, novum in hoc eorum authentiæ argumentum habetur. Sed hoc minime necessarium existimes. Dummodo enim sive propria experientia, sive certo et indubio hominum testimonio certior factus fueris de eventu qui conditionibus eis ornetur quas paulo ante descripsimus, sufficientem de miraculo certitudinem fueris consequutus. Cæterum Prophetia ipsa Miraculo continetur. Quare, in adversariorum sententia, huic alia Prophetia præcesserit oportet atque sic in infinitum erit procedendum.

22. At venire festino ad præcipuam hanc conditionem quam ad Criticam Miraculi determinationem requirunt increduli, quamque ipso hoc tempore tantis clamoribus expostulant. Itaque, ut de miraculosi eventus existentia critice constet volunt : 1°, Ut contingat coram cœtu quo-

(1) *Act. Ap.* 16; 4.

dam scientifico physicorum, medicorum, physiologorum etc. 2°, Ut fiat locis, modo et in iis rerum adjunctis quæ observatoribus placuerit determinare. 3°, Ut non tantum semel effectus vere obtineat, sed quotiescumque jusserint scientiæ Magistri. — Paucis de his exigentiis earumque legitimitate dicendum. Generali itaque assertione affirmamus istas normas quas Miraculorum recognitioni præstituunt negativæ philosophiæ homines sanæ critices principiis adversari. — Porro ut rite hoc capias, nota duplicem Miraculorum classem distingui. Priore continentur Miraculosa eventa *quæ propriissime dicuntur Fidei credibilitatis motiva,* propter maxime publicum et omnibus manifestum supernaturalis suæ originis characterem. Alterâ comprehenduntur miracula quæ, licet in se ipsis vere supernaturalia existant, minorem tamen publicitatem vel etiam minus conspicuam transcendentiæ notam præ se ferunt. Quæ quidem Miracula *priorum confirmativa* potius dixeris quam proprie dicta Fidei credibilitatis argumenta.

23. Jamvero hypercritorum conditiones non posse applicari iis Miraculis *quibus formalissime revelatæ Religionis demonstratio innititur,* facile ex eorum consideratione deduxeris. Videlicet, ut rem concrete attingam, prodigia ista constant, in ordine physico, sanatione morborum instantanea, cibi exigui multiplicatione largissima, rerum transmutatione reali, mortuorum resurrectione atque in primis ipsa Domini resurrectione : in ordine vero morali sive psycologico continentur potissimum istiusmodi miracula vel secretorum cordis revelatione manifesta, futurorum eventuum prædictione, eventu comprobata etc. Ad hæc, in his operibus omnibus evidens conspicitur dependentia effectus a sola Thaumaturgi voluntate, nullo ad illum adhibito apparatu vel medio naturali quocumque. Habes igitur eventa in sua physica et materiali quidditate maxime conspicua et illustria, *omnium oculis et observationi exposita.* Insu-

per, quod ex dictis sequitur, non modo in physica sua entitate, sed etiam in *sua supra naturam transcendentia* idem illud publicitatis signum portendunt. Opponuntur quippe legibus cosmicis quarum cognitio penes homines existit universos ac communi vulgi notitiæ subest, non vero dubiæ vel abstrusioris conditionis legibus quæ solis scientificis patent. Quin imo, non tantum ex adjunctis suis *objectivis* summam istam publicitatem illa Miracula sibi vindicant, sed eamdem quoque habent vel ex *subjectivis* suis circumstantiis, sive ex natura examinis cui subjecta fuere : patrata enim fuere coram, sub omnium oculis, cernentibus vel iis quorum plurimum intererat falsitatem, si quæ modo occurrisset, retegere, ut discere est tum ex Evangelio tum ex Actibus Apostolorum. Atqui, propter concursum horum adjunctorum est, ut supernaturalia illa eventa *quibus propriissime argumenta Fidei Criteria continentur,* facta dici debeant *publica* et *historica.* Sed inde illico deducitur scientificam investigationem quam, suapte conditione, compatiuntur talia prodigia, illam esse quæ *factis historicis* propria est. Itaque si sermo sit de iis qui immediate istiusmodi eventui interfuere, hoc unice ad ejus recognitionem critica postulat ut quis sensibus rite comparatis utatur ac mente integra, quibus tum factum observare valeat, tum ejus supra naturæ vires transcendendentiam et moralia adjuncta universa itemque actualem cum doctrina religiosa connexionem et omnimodam a sola Thaumaturgi voluntate dependentiam colligere. Si vero agatur de eventu qui mediate ex testium auctoritate cæteris innotescat, ut certa illius notitia habeatur, satis fuerit explorare utrum ipsi testimonio conditiones adsint quas ex critices legibus requisitas diximus, ad plenam fidem faciendam, ut sunt testium qualitates, unanime in multiplici sortis, fortunæ, ætatis varietate testimonium, spei ac commodi cujuscumque absentia, constantia nescia flecti-

minis, suppliciis, morte ipsa fortior. Si enim hæc verificentur, nihil jam aderit quod jure desideret criticus ad *historicam facti certitudinem*. Ergo quamvis *scientificum examen* optimo jure adhibeatur in recognoscendis miraculis reconditioris, ut sic loquar, naturæ vel quorum physica indoles et omnimoda supra leges cosmicas transcendentia obscurior et incertior est, non nisi præpostere illud postules dum agitur, exempli causa, de mortui resurrectione, de resuscitatione Christi, de cæci nati sanatione, de Miraculo Pentecostis ac similibus miraculis. — Nec dicatur præcise in hisce casibus exposci scientificorum indaginem, ut constet de fraudis absentia. Nam ista exceptio, frequentissima adversariis, prorsus evertit statum quæstionis. Agitur enim de eventibus quorum conspicua publicitas et evidens a solo Thaumaturgi nutu dependentia hanc ipsam fraudis suspicionem se ipsa evertit.

24. Atque hæc quidem dicta sunt de priore ista miraculorum classi quæ propter suam summam publicitatem formalissime Religionis revelatæ Criteria censentur. At videndum jam num meliori jure statutæ a neotericis regulæ applicari possint alterius supernaturalium eventuum classi, iis, inquam, *quæ non tanta evidentia ornantur et minus publicam ac patentem transcendentiam præ se ferunt?* Respondemus : 1°, Hoc ipsum quod heic quæritur jam ad secundariam minusque principalem Quæstionis faciem spectare. Facta enim quibus propriissime Fidei demonstratio innititur talia sunt ut manifestissima sit supernaturalis illorum conditio, ac veluti publici juris objectum constituat. 2°, Fieri equidem potest ut singularis aliquis eventus si in se solo respiciatur obscuriorem transcendentiæ characterem præ se ferat : verum, propter certam ipsius cum aliis iisque maxime conspicuis miraculis connexionem, hanc eorum publicitatem jam participet. Quo casu non tam in se uno considerandum erit quam potius

una cum integro factorum complexu cujus ipsum partem aliquam complet. 3°, Si dubius aliqua ex parte supernaturalis facti character existat, adhibenda profecto scientificorum critica opera, maxime si agatur de eventibus qui cum humani organismi vel naturæ phænomenis connectuntur. Porro nisi post illorum investigationem omnino transcendentia effectus constiterit, miraculi qualitas ei nequaquam erit agnoscenda. 4°, Sed ponamus jam scientificorum examine constare factum quale heic respicimus nulli cosmicæ legi congruere, imo vero naturæ vires manifesto vincere, prout illæ universim innotuere : eritne physicis concedendum fidem miraculo abnegari posse, nisi ad eorum libitum iteretur, mutatis pro judicum sententia, experimenti conditionibus? Respondemus prima fronte nonnihil speciosi inesse istis criticorum exigentiis, ipsas tamen, si melius examinentur rejiciendas omnino esse. — Nempe fatemur, in experimentis difficilioribus quæ *natura sua tota* referenda sunt ad ordinem scientificum, inter præcipuas certitudinis conditiones reponi facti iterationem. Verum peculiaris eorum eventuum quæ nunc perpendimus conditio atque *eorum cum priore Miraculorum classe connexio* prohibet quominus illa investigationis regula eis applicetur. Nam, uti vidimus, ista minus publica ac minus conspicuæ transcendentiæ miracula non tam proprie dicta fidei criteria sunt habenda quam potius *prioris classis supernaturalium eventuum confirmativa.* Quare, quemadmodum prima Miraculorum classis prior est in ordine *logico* sive *in ratione signi et criterii*, sic etiam, in ordine *chronologico*, præcedit alterius et secundariæ speciei portenta. — Jamvero ab hac consideratione præsentis Quæstionis solutio pendet. Nam, ex ipsa suppositione esse vides, ut non contingat effectus miraculosus minoris ejusmodi publicitatis sive etiam minoris evidentiæ *nisi postquam præcesserint jam de facto alia miracula* quæ supernaturalem suum ac divinum cha-

racterem, *manifestissime et publice* in omnium ingerunt oculos. Jam constitit proinde in casu de Dei infiniti interventione supernaturali atque adeo de ipsius existentia et provida actione : quin imo minora ista portenta non sunt nisi *confirmativa* quædam argumenta quæ, pro adjunctorum opportunitate, prioribus *seu formalissimis fidei criteriis* accedunt. Quid autem inde sequitur? Nimirum, fieri non posse ut opus minoris quidem supra naturam transcendentiæ, doctorum tamen judicio cosmicis legibus manifesto oppositum et adjunctis suis universis Deo dignum, reapse Deo non debeatur auctori. Nam si *in iis quas modo diximus circumstantiis*, eventus naturali agenti deberetur, inferendum foret Deum homini deesse, dum permittit opera, quæ revera nonnisi naturalia sunt, cum omnibus supernaturalium operum characteribus hominum fidei proponi. Cum enim in casu *ineluctabili errore,* attento insito rationalis naturæ sensu, homines detinerentur, concideret profecto Dei Providentia et sanctitas, atque ipsum Dei perfectissimi dogma, quod non modo ex lumine rationis, sed etiam *ex prioris classis miraculis* omnimoda certitudine prævie jam innotuisse ipsa præsentis hypothesis conditio supponit. Ergo quotiescumque effectus producitur quem post examen accuratum ipsi scientifici ceu naturæ viribus superiorem communiter existimant, in iis quæ descripsimus adjunctis, illud pro divino manifestativo erit agnoscendum. — Sed hoc posito, sequitur ulterius facti judices eas *morales* et *ethicas* dispositiones in casu afferre teneri quas habitudo causæ secundæ ad causam creatricem Deumque infinitum essentialiter postulat : *humilitatem*, inquam, et *sinceritatem.* Atqui turpiter illas omitteret qui, in casu, cum Positivistis, repetitam pro libitu eventus iterationem ante expostulet quam illum recipere velit. Sane, qui hoc exquireret, is summum Deum, qui ipsi supernaturalia suæ existentiæ et omnipotentiæ argumenta in prioris speciei mira-

culis jam proferre dignatus est, superbæ et insanienti creaturæ voluntati subjiceret. Quare nec minus foret vituperandus quam ille qui renueret legem recipere principis, *cujus legitima potestas ex certis argumentis sibi jam constat*, nisi hoc pacto, ut edictum de novo ac pro subjecti arbitrio promulget. — Jure itaque dixerim, in ista Positivistarum sententia, *morales* Quæstionis conditiones plane everti, imo, ut vere loquar, ejus statum ignorari omnino. Ita isti ratiocinari videntur, quasi, cum *illa minus conspicua miracula fiunt*, dubia adhuc *Dei infiniti existentia ejusque Providentiæ* notio existat : cum contra, quod satis repetere nequeo, hæc ipsa ex Miraculis publicæ et universalis notorietatis apodictica jam certitudine antea evicta fuerit. Hinc erronea non magis quam impia habenda sunt commenta de miraculi iteratione quibus non pauca ingenia vel seducta vel certe territa fuere.

25. Concluseris recentiorum errores de Miraculosorum ac Supernaturalium eventuum recognitione huc redire quod universim Miracula, quibus potissimum Fidei argumenta continentur, *criticæ scientificæ et physiologicæ* subjicere volunt, dum ex nativa sua conditione *critices historicæ* objectum constituunt : itemque quod morales conditiones omittunt quas in ejusmodi examine negligere ipsa ratio vetat. Ut adeo jure pronunties omnia eorum in præsenti re commenta nonnisi mera Quæstionis status ignoratione contineri (1). — Superest, post hanc de Miraculosorum

(1) Ad rem Dr Sepp, dum de proprio probationis genere agens cujus facta supernaturalia capacia sunt, hæc scribit : « Ils (les Miracles) n'admettent d'autre démonstration, que le témoignage des sens et de l'histoire. Nos adversaires affectent de se placer sur le terrain des sciences naturelles pour combattre les miracles de Jésus-Christ. Ils localisent la question et la déplacent en la transportant du domaine de l'histoire sur celui des sciences exactes. N'est-ce pas une prétention singulière de vouloir mettre sur la même ligne le miracle et un fait d'expérience physique? Appliquer les principes des sciences naturelles à la religion et à la morale est aussi peu rationnel que d'appliquer les principes de la métaphysique à l'étude de la nature. » — *Jésus-Christ. Etudes sur sa vie et sa Doctrine.* Trad. Sainte-Foi. T. V, p. 299.

eventuum cognoscibilitate tractationem, ut examini critico jam subjiciamus præcipua naturæ et Spirituum mirabilia quæ aliquam cum veris divinisque miraculis analogiam habent.

CAPUT IV.

MIRACULOSORUM OPERUM CUM NATURÆ, ARTIS, ET SPIRITUUM MIRABILIBUS ANALOGIA ET COMPARATIO.

1. Quæ hucusque theoretica et generali tantum ratione de propriis divinorum miraculorum signis et criteriis diximus, juverit ea veluti practica applicatione donare, atque summatim pro particulari operum quæ cum miraculis affinitatem habent conditione persequi, quo melius pateat quânam ratione opera supernaturalia a variis sive naturæ, sive artis, sive Spirituum præstigiis possint dignosci. Primo itaque nonnulla notabimus de mirabilibus naturæ quæ aliquam cum re nostrâ connexionem habent. Dein agemus de Magiæ tam naturalis quam supernaturalis artibus; inprimis de spiritismi ac magnetismi operibus. Hoc autem monere vix necesse sit, in his argumentis nihil aliud a nobis indicatum iri nisi distinctivos ejusmodi phænomenon cum veris miraculis characteres. Ea enim quæ ad historicam eorum considerationem pertinent prætermittenda fuere, ne excrescerem neve in alienam messem immitterem falcem.

2. Ac primo quidem, ut de iis naturæ eventibus agam quæ potissimam cum argumento nostro similitudinem præ se ferunt, consuetum est incredulis, ut plerisque sanationis miraculis quæ sive Christo sive Sanctis adscribuntur, stupenda phænomena opponant quæ sæpenumero in humano corpore exserit phantasiæ, ac generatim animi affectuum potestas. — Sane minime negandum influxum phantasiæ et

affectuum in corpus esse maximum. Hinc nonnunquam accidit ut ex repentino ac vivaciore animi motu corporis habitus immutetur, vel etiam morbi, maxime nervosi, curentur aliique stupendi consequantur effectus. Ita scribit ea de re celebris medicus Thomas Bartholini in opere *de Paralyticis Novi Testamenti* quem præ aliis refero quod maximam partem in causis Beatificationis agendis et miraculorum sanationis examine habuerit : « Acriter de imaginatione inter alios disceptatur an morbos curare valeat. Non dubitarim conferre plurimum, movendo et excitando spiritus sopitos et calorem. Quid quærimus ultra ! Phantasia plerique morbi curantur qui ope medicamentorum importune ab indoctis exhibitorum, creduntur arti cessisse (1). »

3. Verum quamvis ita sit, vanissima objectio est quam contra Miraculosi ac supernaturalis Ordinis realitatem quis peteret ex illa phantasiæ et affectuum virtute. Observandum scilicet : 1° Varia illa mirabilia eventa quæ ex vivido animi ac phantasiæ motu nonnunquam contingunt, satis limitatæ speciei existere. Continentur enim fere morborum sanatione; imo vero morborum ejusmodi qui cum systemate nerveo proxime connectuntur, in quibus maximus est phantasiæ influxus, maxima potestas. Atque hinc quidem factum ut in causis canonizationis quæ apud Romanam Sedem geruntur, sæpissime inquisitum fuerit a Promotore fidei num stupendæ quædam curationes non possent ex phantasia vel confidentia patientis aliquo pacto explicari. Ita contigisse videmus in causis B. Francisci Regis, B. Vincentii à Paulo, B. Petri Forerii, aliorum (2), atque ex iis documentis apparet non raro rejectas fuisse curationes quas tanquam supernaturales habebant medici in judicio a sacrâ Congregatione adsciti. — Sed non posse

(1) Ap. Ben. *Op cit.* L. IV, c. ult. n. 21. — Cf. *Civiltà cattolica.* 1a Ser. T. V, pp. 196 sqq.

(2) Cf. Bened. *Op. cit.* L. IV, p. 1, c. ult. et cc. 8, 15.

istam imaginationis sive affectuum vim ad omnes pathologicas affectiones extendi nimis perspicuum est. Omnino huc pertinent quæ habet clarissimus medicus Lancisius, in causa B. Joannis de Prado quem non referre nequeo, cum rem nostram licet satis manifestam optime definiat. Agens de sanatione cujusdam monachi, Gabrielis nomine, ita loquitur : « Dubitatur num desiderium recuperandæ salutis in eodem cœnobita, ejus imaginationis vim exercuerit, per quam naturali, non autem supernaturali virtute a morbo fuerit liberatus. At enimvero ut constet an a sola imaginatione salus repente nostro ægroto redire potuerit, videndum prius est, beatissime Pater, quomodo et quibus phantasia operatur in nobis. Agit quidem imaginatio excitando celeriter ideam rei quam ejus anima aut vult, sperat et concupiscit, aut horret, despicit et fugit, qualecumque autem sit subjectum ad quod phantasia dirigatur, et cujus idolum in cerebro effingit, non alia naturaliter ratione operatur, nec alio instrumento utitur quam spiritibus quos novo motu ciet, ut nervos varie contendat aut luxet. Quidquid igitur in motum spirituum ac nervorum subito dimoveri atque in novum statum restitui potest erit plus minus sub potestate nostræ imaginationis. Atque cum inter morbos spasmodicæ quædam affectiones hypocondriorum vel uteri, ut simplices et sine vitio organorum eroticæ passiones a spirituum nervorumque abnormi motu plerumque dependeant, ideo fit, quemadmodum a forti plerumque nascuntur imaginatione, ita ab eadem in contrarium flexa facile cedant aut fugentur. Sed ubi morbus non oritur a simplici spirituum motu.., tunc quidem nuda imaginatio nihil operatur. Unde oritur, ut nullus æger *ab organicis malis* aut cujus membro hæret succus densus compactusque, quantacumque imaginationis vi liberetur (1). »

(1) *Suffragium in causa B. Johannis de Prado,* ap Ben. XIX. *Op cit.* L. IV, c. ult. n. 50.

Plane idem fatetur vel ipse Mesmerus. Asserit is nihil vel ipsa *sympathica* et magnetica methodo curari posse morbos « ex destructione vel corruptione corporis partium enatos vel etiam cum tanta in patiente debilitate conjunctos ut *functiones* organicæ jam actu suo careant (1). » Esto igitur affectiones plurimas imaginationis influxu sanari posse; nemo tamen, nisi demens fuerit, exinde repetierit, exempli gratia, v. g., instantaneam præcisi uberi restitutionem ad invocationem S. Alphonsi de Ligorio et B. Claræ de Rimini (2), subitaneam curationem horrendi in capite vulneris subsequutam ad invocationem S. Andræ Avellini (3), instantaneam ac perfectam sanationem Doctoris Medici J. Ambroselli qui cancero inveterato torquebatur ac tot alia quæ in causis Romanis occurrunt (4), uno verbo curationes illas omnes quæ organismi læsionem secum habent quæque non unice in nerveo systemate radicantur.

4. Sed enimvero licet prorsus concedendum sit, in nervosis affectionibus plurimum valere phantasiæ vim, si tamen illa Christi et sanctorum signa quæ cum eo Miraculorum genere affinia sunt *in concreto* jam respicias, videris facile quam male allegatæ causæ referantur. Nam in primis plerumque adest manifestissima in hisce Miraculis dependentia effectus a Thaumaturgi voluntate, cui explicandæ non sufficit *subjecti* fiducia. Sic factum in sanatione paralytici : *Ut autem sciatis*, inquit Christus ad Pharisæos, *quia Filius homines habet potestatem in terra dimittendi peccata*, *tunc ait paralytico* : *Tibi dico surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuum. Et confestim*, pergit Evangelista, *consurgens coram illis, tulit gra-*

(1) Cf. de Leuze. *Hist. du magnét. animal*, T. II, p. 8, item *Mémoires de A. Mesmer concernant ses découvertes.*

(2) *Memorie appertenenti all' Historia e al culto della B. Chiara de Rimini*, opera Cl. Garampi.

(3) *Decret. Beatif.*

(4) Cf. de his omnibus. *Civiltà Catt.* L. c. p. 277.

batum in quo jacebat et abiit (1). Simili autem pacto sanationes innumeræ patratæ fuere tum a Christo, tum ab Apostolis ac Sanctis. Nimis autem patet istiusmodi effectus subsequuturi præscientiam explicari non posse ex ista confidentia sive sympathico subjecti affectu. — Ad hæc, incredulorum assertio inde etiam evertitur quod vividior ista fiducia quam præter modum exaggerant haud raro defuerit in miraculosis curationibus. Ita, exempli causa, contigit in languido qui ad piscinam probaticam ab anno triginta octo jacebat : hunc enim prior alloquitur Christus : *Vis sanus fieri?* Æger vero, nedum vivacem fiduciam in Christum ostentet, ne cogitare quidem videtur de ejus intentione. *Domine*, respondet, *hominem non habeo ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit.* — Porro *dicit ei Jesus : Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo ille et tulit grabatum suum et ambulabat* (2). Nulla etiam fiducia conspicitur in hydropico sanato in die sabbati. Hunc enim cum forte vidisset Christus, rogavit Pharisæos num liceret curare infirmos in die Sabbati : *At illi*, ait Evangelista, *tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit* (3). Quin, in energumenis istis quos liberavit Dominus non modo fiduciæ indicia nulla sed positivam quoque repugnantiam et obluctationem cernimus (4). Vanissimum igitur ac nimis debile commentum sit ista de sympathica quadam fide theoria quâ causam supernaturalismi aggrediuntur adversarii. Cæterum ut diximus, nihil omittit S. Rituum congregatio dum causis Beatificationis ac Canonizationis incumbit, ut sibi omnino constet allegata Miracula sanationis

(1) *Matth.* 9, 6.
(2) *Joh.* 5, 7 sqq.
(3) *Luc.* 14, 4.
(4) *Matth.* 8, 28. — *Marc.* 9, 24.

ex naturalis fiduciæ effectu produci non potuisse (1).

5. Porro cum de influxu animæ ac phantasiæ in corpus dicimus, pauca etiam pro nostro instituto observanda de mirandis phænomenis mixtæ veluti speciei quæ tum ex imaginationis actione, tum ex specialis temperamenti indole consequuntur. — Nimirum, ut constat inter medicos, in iis hominibus quibus prædominatur *systema ganglionarium*, represso et veluti ligato *systemate cerebrali*, frequenter contingit ut anima fere amittat regularium fonctionum intermedia hominisque totius œconomia altissime turbetur. Hinc rationis et arbitrii locum fere excipiunt imaginatio ac instinctus. Dum igitur homines quibus tale temperamentum adest in iis ponuntur adjunctis quibus violenta ratione phantasia vel affectus commoventur, exponuntur anomaliis maxime stupendis quæ non raro verisimilitudinis limites prætergrediuntur, sive ejusmodi personæ vigiles maneant, sive etiam somno aliquo et extasi corripiantur. Quin imo, ut historia accepimus, ista morbida phænomena vere contagiosa sunt, præsertim inter personas sequioris sexus hysteria vel similis naturæ affectione vexatas. Notissima sunt inter alia endemicæ istius ac somnambulicæ et exstaticæ passionis exempla quæ occurrunt in prædicantibus Sueviæ, in prophetis Cevennarum, Irvingianismi schola etc. (2). In his enim et similibus factis licet non nihil forte intervenerit superior quædam dæmonis potestas, effectus plurimos contineri putamus

(1) Cf. ea de re Matta : *de Canoniz. sanctor.* P. III, c. 19, n. 14 sqq. Arauxo : *Decisiones.* Tract. III, q. 23. Zacchiam : *Quæst. medico legales*, L. IV, T. I, q. 3, n. 10. Bened. XIV : *Op. cit.* L. IV. cap. ult.

(2) Vide de his omnibus articulum egregie descriptum de *Extasi* in *Dict. Encycl. Theol. Cath.* a Cl. Aberle. — Quæ heic de naturali causa multarum ejusmodi quas meminimus affectionum diximus, non sunt sine judicio ac discretione præter modum extendenda. Certe in ea re non satis medium tenuere recentiores nonnulli. Legi meretur ea de re D. Mirville, *des Esprits.* T. I, Premier Mémoire, maxime p. 116-182. Item D. des Mousseaux, *La magie au 19e siècle*, p. 386 sqq. *Les médiateurs et les moyens de la magie*, p. 346 sqq.

endemicarum hallucinationum ac systematis nervei perturbationum. Verum ut istorum phænomenon, quæ maximam certe partem naturaliter explicari possunt neque dæmonis actioni illico tribuenda sunt, cum veris miraculis habitudinem perspicias, nota in primis, illa omnia concludi illo mirabilium genere quæ *subjectiva* vocaveris : constant enim universa variis *subjecti* passionibus et affectionibus, sed ad nullum effectum *ad extra* producendum pertingunt. Quare nulla ratione iis miraculis comparari possunt *quibus maxime Fidei divinæ criteria continentur,* mortuorum resuscitationibus, sanationum portentis, prophetiis etc. — Dein materialem quidem analogiam retinent ista signa cum subjectivis nonnullis prodigiis quæ in Ecclesia christiana pro miraculosis habentur, cum Extasi, inquam, supernaturali ejusque variis manifestationibus : verum certis indiciis formalis utriusque phænomenon speciei differentia colligitur. Scilicet in his extasibus naturalibus quæ passim apud auctores referuntur quæque ab incredulis christianorum miraculis opponuntur aut præexistebat in subjecto hæreditaria quædam ac morbida dispositio ad spasmata, ad sensuum alienationes, ad varii generis convulsiones, uti contigit in famosa visionnaria Prevorstiana (1); aut status extraordinarius studiose conciliabatur ex *positiva* mediorum huc conducentium applicatione, quemadmodum actum in Cevennarum prophetis et *lectorum* Sueviæ secta; aut tandem ex moralibus gestuum et sermonum adjunctis naturalis aut diabolica phænomenon origo innotescit : quæ omnia uti Miraculum omne tollunt, ita longissime absunt a subjectivis miraculis in Ecclesia post accuratissimum examen receptis. — Cæterum ultro fatemur difficillimum semper esse de supernaturali visionum et extasium charactere judicare. Quare imprudentes

(1) Cf. des Mousseaux. *La magie au* XIXe *siècle*, p. 396.

esse arbitramur eos qui in eo rerum genere quidquam præter Ecclesiæ judicium et medicorum auctoritatem admittunt. Adeo verum hoc sit ut in Beatificationis ac Canonizationis processibus nunquam pro sanctitatis argumento talia *subjectiva* phænomena Ecclesia habeat nisi prævio probata fuerit heroïca Dei servorum virtus (1). Quanta vero severitate in hoc examine Curia procedat, addito etiam scientificorum hominum examine, ex citato Benedicti loco addiscere est. — Sed omissa objectiva differentia nervei systematis affectionum et Extasis naturalis cum supernaturali et divina, quam perperam ex istiusmodi affectionum genere impugnant adversarii! Dum istos audis credere Fidei Criteria subjectivis hisce phænomenis concludi, quæ tamen ubi certis etiam indiciis tanquam divina comprobantur, nonnisi inferiorem locum occupant inter eventa supernaturalia quibus Sanctorum virtus comprobatur. Vel forte imponere vellent Theologis vana commenta et hallucinationes quæ a nonnullis supernaturali principio tribuuntur, quamvis nonnisi mere naturalia censenda sint. Sed enimvero nemo majori irrisione ista rejiciunt et majori diffidentia audiunt quam illi qui in rerum religiosarum critica et theologica indagatione versantur (2). Quare infinita objectionum multitudo quas ex similibus eventibus movere gaudent adversarii argumentum nostrum ne tangunt quidem, atque eas illis solvendas relinquimus qui in historica vel scientifica mirabilium et rerum pathologigicarum expositione versantur.

6. Hæc de imaginationis et affectuum influxu, quantum ad rem nostram spectat. Pauca jam sunt dicenda de mirabilibus Magiæ tam artificialis quam dæmoniacæ por-

(1) Cf. Bened. XIV. *Op cit.* L. III, c. 49.

(2) Adesis Amort : *De Revelationibus, visionibus et apparitionibus privatis*, passim, maxime pp. 268 sqq. — Hunc acerrimæ critices virum adeant scioli qui theologos tanquam indoctos anilium fabularum venatores traducere amant.

tentis. — Ac primo quidem loquendum heic non est de discrimine quod occurrit inter opera *magiæ naturalis* et vera miracula. Priora quippe ab omnibus qui modo prudentes esse volunt nimis facile internoscuntur. Nam 1°, deest in iis *transcendentiæ effectus character,* quum plerumque dynamicis quibusdam portentis ac mechanicis phænomenis contineantur. — 2°, nullatenus etiam in eis adest manifesta effectus a thaumaturgi voluntate dependentia, quin contra consequuntur ad usum mediorum et apparatus quæ naturalem portenti originem ultro probant. Insigne documentum istiusmodi discriminis quod inter vera miracula et naturalia portenta intercedit dedit, præter intentum, vir ex incredulis præcipuus, Eusebius Salverte in opere quo moliebatur supernaturalia eventa Christo et Apostolis tributa ex veterum præstigiis et gentilium sacerdotum theurgicis artibus explicare (1). Meminit machinarum quibus derepente homines ex adstantium conspectu eripiebantur, dum sacris vacabant sacerdotes; antrum Trophonii cujus ore angustissimo spectator intus trahebatur ex mechanico quodam artificio; sacerdotes Dianæ Parasyæ candentibus prunis impune incedentes; feras sacerdotum arte mansuefactas; soporoficos liquores quorum ope somnia vel terribilia vel suavia conciliabantur; mirabiles Æsculapii Pontificum curationes atque alia sexcenta. Verum operam ludit vir Christianis infensissimus dum hæc nostris miraculis opponit. Dictis enim nimis constat infinitum inter utrumque operum genus intervallum existere, cum eventus plane nullus miraculis ab Ecclesia Christi accenseatur, nisi omnimode constiterit de medii sive apparatus cujuslibet absentia et absoluta ejus a solo thaumaturgi arbitrio dependentia.

(1) *Des sciences occultes, ou essai sur la magie, les prodiges et les miracles* 3e Ed. avec une Introd. par E. Littré, 1856.

7. Præter magiæ artificiosæ præstigia attendenda heic sunt opera magiæ vulgo dictæ supernaturalis sive dæmoniacæ. Hæc maximam partem gentili ævo constabant oraculis vatum ac Theurgiæ mirabilibus : medio ævo huc referebant potissimum varia hominum portenta qui singulari ac præternaturali virtute prædíti miram hisce temporibus celebritatem ac variam fortunam nacti sunt. Equidem plurima de istiusmodi circulatoribus et sagis, ut vocant, ex credula superstitione, exaggerata fuisse nemo dubitat : temerarius tamen sit et in Ecclesiam injuriosus qui in eis omnem dæmonis interventionem rejiciat. « Dari dæmoniacam magiam, inquit R. P. Perrone, quæ in pacto aliquo cum dæmone consistat non desunt qui omnino inficientur, dum alii mordicus eam adstruunt et absque dubio gravioribus argumentis ducti tum ex Patribus, tum ex universa antiquitate ecclesiastica, tum denique ex jure canonico et Constitutionibus apostolicis, in quibus diabolica ejusmodi ars iterum iterumque proscripta fuit et eam exercentes pœnis addicti mulctatique sunt. Quocirca nonnisi temere magiæ existentiam etiam post Christi adventum ac medio præsertim ævo nonnulli inficiati sunt. Adversus quos docti ac eruduti viri insurrexerunt (1). » Nobis autem unice indicandum quonam pacto innotescere prudenti cuique potuit magiæ operum cum veris miraculis differentia. Jamvero nulla difficultas existere poterat de hisce magiæ operibus quæ in Gentilium cultu sacro contingebant. Nam 1°, licet illa ad religionis ethnicæ commendationem contingerent, evidenter tamen ementitam suam originem præ se ferebant. Nimirum connexa erant cum cultu aperte falso, primariis et *universim notis* morum et juris

(1) *De Virtute Religionis*, p. 346. Cf. etiam opus eruditum Hier. Tartarotti, *Del congresso notturno delle lamie*. Rovereti 1749. — Delrio, *Desquisitiones Magicæ*, L. III, cujus tamen auctoris nota est nimia credulitas. — Goërres, *Le mystique diabolique*, Ed. Paris 1862, T. V, passim.

naturæ principiis opposito (1). Ad rem Cl. Lieberman : « Quid enim, ait, sanis religionis sive veritatis principiis magis contrarium quam illa pene innumera Deorum multitudo quæ tanta fuit ut Varro trecentos fere recensuerit : illa tam viliter et minutatim concisa Deorum officia, scurrilitati mimicæ magis quam divinæ majestati convenientia? Quid morum genuinis legibus exitiosius quam ea quæ de Diis immortalibus tradebat theologia gentilis, quos tam flagitiosos fingit ut Religio nedum a vitiis avocaret, eis adderet commendationem... Si religiosos paganorum ritus consideremus in Deorum honorem ab his ipsis quandoque, uti dicebatur, institutos, ut sunt ludi scenici, festa, gladiatorum spectacula, sacrificia etc. nihil potest cogitari turpius, lascivius, atrocius (2). » Jamvero nemo sanæ mentis cogitare unquam potuerit summum illum Deum ac sanctissimum Numen, cujus invincibilis ignorantia nemini adest, suo suffragio ac supernaturali testimonio religionem probare adeo turpem ac pravam. 2°, Si quis perlegat ea quæ nobis servarunt auctores coævi iique gravissimi de ritibus quibus passim a theurgicæ ethnicorum cæremoniæ peragebantur, comperiet constitisse eas superstitionibus plurimis talem præ se faciem indolemque ferentibus quæ Deo infinito plane indignæ essent, imo vero obscœnis sæpius ac pessimis artibus (3). Sed 3°, effectus magici qui etiamnum inter infideles contingere feruntur continentur omnes dynamicis quibusdam et mechanicis operibus vim ac horrorem quemdam vanamque admirationem habentibus : nunquam vero pertingunt ad transcendentiæ characterem illum divinæque, ut sic dicam, simplicitatis quiin Christi et sanctorum miraculis notatur (4). Tandem 4°, sæpissime referuntur

(1) Cf. Döllinger : *Paganisme et Judaïsme :* Trad. Meyers. L. IV, L. VIII passim. — Item Bergier : *Traité de la vraie Religion*, T. I, c. 3.

(2) *Instit. Théol.* Edit. mogunt. 1861, T. I, p. 235.

(3) Cf. de Mirville : *des Esprits*, T. IV, 212 sqq., 241 sqq.

(4) Cf. specimina nonnulla portentosæ istius mirabilium diabolicorum speciei

præstigia hæc omnia ad curiositatem immanem, cupiditatis turpisque amoris satisfactionem, verbo, ad peccaminosum scopum, vel fiunt ad comprobationem Doctrinæ cujus absurditas et immoralitas omnem divinæ interventionis possibilitatem *a priori* evertit. — Inest igitur hisce phænomenis, ut sic loquar, quædam *physionymia* (sit venia verbo) ac circulatoria indoles quæ iis tantum ansam errandi afferret qui errorem vitare nollent. Sive igitur respicias theurgicas magiæ ethnicæ artes, sive medii ævi incantatorum portenta, procul dubio ex *morali eorum conditione,* haud minus quam ex ipsa materiali et physica specie, aut vanam aut malam eorum originem prudens quisque perspexerit (1). — His de

apud D. Huc in opere notissimo : *Souvenirs d'un voyage dans la Tartarie, le Thibet et la Chine*, p. 139 sqq. Præcipua habes apud R. P. Pailloux, *Op. cit.* p. 336 et p. 384.

(1) Quæ heic adnotavimus de distinctione signorum diabolica virtute patratorum a veri nominis miraculis optime complectitur R. P. Monsabré, Ord. Præd. in concionibus quas de nostro argumento habuit Parisiis. Ejus verba licet paulo longiora referre mihi concedat Lector : « Le Démon, inquit, jouit d'une force déductive par rapport aux sujets sur lesquels il opère; cette force, dérivant d'un agent supérieur, parvient à produire des effets merveilleux qui se rapprochent du miracle. Cependant, Messieurs, il ne faut pas croire qu'il soit permis au Démon d'appliquer activement sa grande et vigoureuse nature à toutes les œuvres qu'elle conçoit, de telle sorte que, par leur nombre et leur suite, elles puissent simuler une action providentielle. Une telle permission serait une abdication de la puissance et de la sagesse divines. Même lorsqu'il est déchaîné, selon l'expression consacrée par les saintes Lettres, l'ange déchu ne peut agir que dans une certaine mesure, tantôt dans un lieu tantôt dans un autre, jamais dans tous à la fois. Les produits de sa force sont sans liaison entre eux, et se rapportent à des affirmations qui se combattent. Voyez dans le paganisme : quelle étrange confusion de doctrines et de mœurs! et cependant les prestiges ont leur cours. Ils s'accusent mutuellement; ce qui se fait à Memphis contrarie ce qui se fait à Delphes, ce qui se fait à Delphes n'est pas d'accord avec ce qui se fait en d'autres lieux célèbres : mais Satan va toujours. C'est la conséquence naturelle de sa tendance acquise vers le désordre, depuis qu'il s'est volontairement exclu de l'ordre où une place glorieuse lui était réservée. Il n'y a rien de commun non plus, Messieurs, entre la manière dont Dieu fait ses miracles et la manière dont le Démon opère ses prestiges. Les thaumaturges dont Dieu se sert comme de causes ministérielles pour manifester sa puissance, laissent voir sur leur front et dans toute leur personne le rayonnement des perfections infinies de Celui qui les envoie. Au contraire, les thaumaturges de Satan, alors même que la corruption de leur cœur ne se trahit pas par l'immoralité de leur vie, sont marqués d'un

magicis operibus universim animadversis, paulo fusius agendum de recentissima magiæ forma sive magnetismo, cum

caractère sinistre qui les signale à l'attention publique comme des exceptions suspectes. Ils sont singuliers, mais leur singularité dissimule mal la médiocrité de leur force morale; c'est par l'orgueil surtout qu'elle se met au jour. Plus ils ont de pouvoir, plus ils en sont avides; plus la vaine ostentation de leurs œuvres a de succès, plus ils les multiplient. Superbes et durs pour les sots qu'ils étonnent, ils sont vils et rampants comme des esclaves devant leur ténébreux seigneur et maître; ou bien ils le traitent publiquement avec la grossière et indécente familiarité d'un compère. « Je te connais, tu me connais, dit le lama-bokte de la Tartarie; allons, vieil ami, fais ce que je te demande : apporte de l'eau, et remplis ce vase que je te présente. Remplir un vase d'eau, qu'est-ce que cela pour ta grande puissance? Je sais que tu fais payer bien cher un vase d'eau; mais n'importe, fais ce que je te demande et remplis ce vase. Plus tard nous compterons ensemble; au jour fixé, tu prendras ce qui te revient. » Ne vous semble-t-il pas, Messieurs, que les deux agents principaux des miracles se manifestent assez clairement par les causes ministérielles qu'ils choisissent? cependant il est un dernier caractère qui dessine mieux la physionomie de Dieu et la physionomie de Satan dans les prodiges qu'ils opèrent : c'est le but de ces prodiges. D'abord le but immédiat; c'est le moins important et le moins significatif. Tout miracle divin a généralement un but de bienfaisance : sauver un peuple, nourrir des foules affamées, guérir les infirmités humaines, consoler de grandes infortunes, exciter la piété, rechauffer l'amour de Dieu dans les cœurs. C'est le sourire de la miséricorde, à travers les manifestations de la puissance. Aussi l'humanité leur a-t-elle constamment répondu par l'admiration et la reconnaissance. Les prestiges diaboliques imitent bien quelquefois cette action bienfaisante des miracles divius; mais, la plupart du temps, ils n'ont pas d'autre but que d'administrer à la curiosité publique une vaine pâture. Produire des bruits effrayants, évoquer des fantômes, se plier le corps, s'enfoncer les ongles dans la chair, s'ouvrir le ventre et s'arracher les entrailles, remplir des vases d'eau : voilà à quoi se sont appliqués et s'appliquent encore les ministres du malin esprit. Les sentiments qui lui répondent sont la stupéfaction, la défiance, la crainte de la part des gens ignorants et crédules, le mépris de la part des gens éclairés. C'est ainsi que les lama-bokte de l'Orient sont dédaignés et repoussés par ceux de leurs confrères qui se piquent de conserver quelque dignité. Mais quel que soit le but immediat des prodiges, il ne nous édifie qu'imparfaitement sur leur origine. C'est leur but ultérieur qu'il faut regarder. Le but ultérieur des miracles, c'est l'enseignement d'une doctrine. Or, une doctrine se présente, profonde et incompréhensible en plusieurs points, mais, d'autre part, grave, simple, conforme aux principes éternels que Dieu a écrits dans toute âme d'homme et qui sont la norme universelle et invariable du vrai et du bien. Cette doctrine, elle ne nous parle de Dieu que pour relever à nos yeux sa majesté infinie et proclamer sa puissance, sa sagesse, sa justice et sa bonté. Les mystères mêmes qu'elle nous propose sont accessibles en quelque endroit aux esprits les plus vulgaires, et touchent les cœurs les plus rudes. Par cette doctrine, l'homme est définitivement éclairé et fixé sur la question de ses destinées, sur le bonheur et la gloire ineffables qui l'attendent pendant les jours

potissimum ejusmodi phænomena supernaturalistarum miraculis increduli opposuerint.

8. Porro si externam tantum rerum faciem respicias, magneticorum phænomenon occasio reponenda videtur in excitatione fluidi cujusdam interni quod pro operatoris voluntate in alio exsuscitatur, sive præsens is sit, sive absens, ad miros effectus producendos qui ordinarium naturæ cursum excedunt. Fluidum istud alii magneticum, alii electricum, alii odicum appellant. Quidquid vero olim de conditionibus ad magnetica phænomena requisitis dictum fuerit, duas potissimum recentiores postulant : quandam nempe in magnetizantis *fluido* exellentiam, atque etiam sympathiam inter magnetizantem ipsiusque subjectum, quod *medium* vocant. — « Prima conditio, sic fere magnetologus Saillard, requisita ut fluido agas in alienum corpus est, quod agentis fluidum superius sua virtute sit fluido alterius. Altera maxime etiam essentialis est sympathia quædam naturalis inter magnetizantis et magnetizati fluidum (1). »

9. Jamvero triplex potissimum phænomenon magneticorum classis existit, triplici moderni magnetismi epochæ respondens. Nam, ad ipsum rei initium, ad annum scilicet 1775,

éternels ; mais en même temps tous ses devoirs sont définis. C'est par des voies laborieuses et austères, par la pratique de toutes les vertus, qu'il doit atteindre le terme suprême de son existence ; non-seulement les crimes le détournent, mais les faiblesses et les imperfections le retardent ; il n'est bon pour le ciel que s'il peut s'appeler saint. Ailleurs, un mélange informe d'enseignements qui se contredisent : Dieu divisé, multiplié, dissous en quelque sorte dans les éléments de tous les mondes ; un bonheur grossier, ou bien le néant propose à l'homme comme terme de ses efforts ; toutes les passions flattées, tous les vices caressés, tous les crimes justifiés, et par l'exemple même de la divinité et par la perspective de l'impunité ; un matérialisme immonde dans les doctrines de la vie pratique, dans les institutions et dans la vie sociale ; enfin l'homme invité à l'abjection, l'homme engagé à étreindre la terre comme l'unique et souverain objet de ses plus légitimes et plus saintes aspirations. » — *Conférence sur les Miracles* prêchées dans la chapelle des Carmes à Paris. — *Revue d'Economie chrét.* 1864, Livr. de juillet.

(1) *Journal du magnétisme*, T. XIV, p. 282, ap. Perrone : *De Virtute Religionis*, p. 162.

prima experimenta quibus prælusit Antonius Mesmer, continebantur excitatione fluidi per varios modos mechanicos peracta, v. g. manuum attrectatione, gesticulationibus etc. Hinc sequuti primum convulsivi motus ac mox corporis totius rigiditas et stupor, ut patiens omnino immobilis redderetur ac fere ab operatoris arbitrio in suis motibus penderet (1).

10. Priori isti phænomenon classi quæ maximam partem effectibus *therapeuticis* constabat altera subsequuta est quæ aliam longe speciem portendebant. — Continuato nempe priori catalepsis statu per mechanicos quos diximus actus provocatæ, excitatur in patiente status veluti inter vigiliam somnumque medius, ita ut a ceteris abstractus, *communicationem* servet cum solo magnetizatore. Huic autem ita per omnia subjacet, ut ejus jussibus per loquutionem, signum, imo solam voluntatem intimatis prorsus obtemperet, ac simul miram sensuum et animi facultatum extensionem obtineat. Huc referunt maxime lectionem clausis oculis, introspectionem litterarum sigillo occlusarum, intuitionem in distans et mentalem translationem qua absentia vident quasi adessent, attractionem magneticam qua agens patientem ad se trahit, vel in aëra levat, sensuum commutationem, translato v. g. sensu visionis ad occiput vel epigastrium, item penetrationem cogitationis alienæ, intellectivæ facultatis amplificationem, ut vel rudes altissimas veritates capiant et repente idiomata complura calleant; sensationum communicationem inter magnetizatorem et magnetizatum, imo et inter personam quamlibet, etiam absentem, quæ aliquo mediante objecto cum *medio communicat*, puta strophio, capillis etc., tandem rerum secretarum revelationem. — His accedit extasis magnetica quæ veluti culmen hujus status est. In hoc autem extasis statu nunc præter adspectabilem

(1) Mesmeri methodum descriptam habes apud de Leuze : *Histoire critique du magnétisme animal*. Part. I, chap. II.

hunc universum rapitur patiens, nunc etiam harmonicos ac maxime suaves concentus audit, vel etiam admirandis apparitionibus celestibus vel infernalibus donatur, vel defunctorum fruitur præsentia ac revelationibus. — Porro primus qui hunc magnetici somni statum dedita opera descripsit fuit marchio de Puységur a quo etiam *somnambulismi* nomen accepit (1).

11. Tertia magneticoram phænomenon classis, prædictis maxime similis illa est quæ *spiritismi*, ut vocant, factis constat. Nempe, pluribus abhinc annis contigerat ut tres pueri, in statibus fœderatis Americæ inter colludendum, manu mensa imposita, eam in varias partes agitari conspicerent, quod experimentum ab eis divulgatum mox in his regionibus frequentari cepit. Anno vero 1846, in vico status Neo-Eboracensis Americæ, duæ sorores familiæ cujusdam methodisticæ, nomine Fox, cum casu una ex illis digito crepitum ederet, mox sonum iterari miratæ sunt. Hinc repetitis cum matre experimentis, agnoverunt, se, pro libitu, tales sonitus provocare posse, atque brevi, constitutis ex consilio signis, omnigena responsa ab ignoto agente, tam pro se ipsis quam pro innumera hominum multitudine undique jam confluente, obtinuerunt (2). Ex America in Angliam, atque inde in Germaniam, dein in Galliam, Italiam, Helvetiam ac reliquam Europam, novum istud divinandi genus, maximo æstu, propagatum fuit. Jamvero ut distinctis phænomenis constat somnambulismus, ita et spiritismus. Ex iis, ut observat R. P. Perrone, alia sunt *mechanica*, ut gravium corporum invisibilis translatio, Spirituum evocationi subsequuta, item luminum apparitio subitanea, sonorum omnigenus modus nunc fragorem ac sonitum tempestatis, nunc melodiam

(1) *Mémoires pour servir à l'histoire et à l'établissement du magnétisme animal.* Paris 1830.

(2) Cf. de Mirville. *Des esprits et de leurs manifestations diverses*, T. I, p. 391.

suavissimam, imitatus, functionum vitæ ac mentis suspensio et acceleratio, immutationes rerum variæ. Alia sunt *significativa*, ut dum Spiritus conductis ictibus vel manu *medii* supra appositas litteras impulsa, vel ad scribendum adhibita, vel mota etiam hæmatite (*crayon*) in aëre suspensa variis quæsitis responsa afferunt. Ad hæc etiam phænomena pertinet animarum invocatio quæ variis formis ac modis præsentes spiritæ se sistunt atque responsa ad eum exhibent.

12. His quæ dixi generalissime continentur facta illa quæ communi appellatione *magnetica* sive spiristica *phænomena* vocant.—Porro licet in eo genere rerum, procul dubio fraudes innumeræ admixtæ sæpius fuerint, tamen historica veritas factorum ejusmodi argumentis certissimis in plenam lucem ponitur. (1) Non meminerim institutam anno 1826 a facultate medica Parisiensi commissionem virorum doctrinæ prorsus conspicuæ et maximæ probitatis atque agnitam ab illis magneticorum phænomenorum realitatem (2). Hac enim tempestate nondum ad supremum suum fastigium, ut sic loquar, experimenta venerant. Sed appello testimonium publicum eorum qui postea ac nostris ipsis diebus numero plurimi et auctoritate gravissimi his tentaminibus præsentes affuere : quibus fidem abnegare solus scepticus possit. Sane in sola Lutetia Parisiorum, ut notat D. de Mousseaux, saltem 20,000 magnetismi exploratores ac testes, tam religiosi quam increduli extitere (3). Ceterum illorum realitas communiter inter eruditos jam recipi-

(1) Cf. Perrone *Op. cit.* p. 178 sqq. — Erudito Romani Theologi operi plura me debere in hac Magnetismi expositione libenter profiteor.

(2) Cf. Relationem Dris Husson, nomine commissionis Academicæ factam, apud Pailloux : *Le magnétisme, le spiritisme et la possession,* p. 81-82.

(3) *La magie au* XIXe *siècle,* p. 168. — Phænomenon magneticorum veritati multi opponunt famosum experimentuum Duæ Pigeaire corum Academia Parisiensi tentatum. Nota res est, hanc puellam, cujus pater medicinæ peritia florebat, intercepto accuratissime visu, atque obducto omni ex parte vultu, oblata

tur (1). Si tamen alicui placeat eam inficiari, ego quidem non morabor, nam hoc ipso difficultas discernendi miracula ab isto factorum genere ultro tollitur. — Sed, ut hæc omnia ad rem nostram reducam, possuntne ista facta, supposita eorum veritate, aliquid nocumenti christianorum miraculis inferre eo quod non satis distinguatur inter se utrumque phænomenorum genus? Equidem contendunt hoc non raro impii hujusce ætatis increduli, qui Christi et sanctorum miracula nonnisi magnetismi et spiritismi effectus fuisse comminiscuntur, atque ex ejusmodi phænomenis supernaturalem ordinem prorsus tollere laborant. Nostrum igitur sit paucis ostendere discrimina quibus vera miracula ab hisce portentis distinguuntur.

13. Dicimus itaque diversam penitus existere utriusque eventuum speciei objectivam rationem. Nimirum: 1°, miracula quibus inprimis innititur Evangelicæ doctrinæ credibilitas præ se ferunt characterem *transcendentiæ*, quem ne a

quæque volumina prælegisse, ut in summam admirationem academicos fere omnes adigeret. Postea vero, cum novum apparatum oculis imponendum vellent, quem ipse Dr Lordat atque alii medici *extra conditiones experimenti* pronuntiavit, priora experimenta repetere ipsa non potuit. Hinc indecisa res jam remansit. Interim Dr Berna Academiæ Præsidi has litteras dedit : « L'académie refuse à Mlle Pigeaire le prix de 5000 francs, sous le prétexte de l'insuffisance du bandeau large de six travers de doigts, composé d'une bande de toile, de deux tampons de coton en rames et de trois couches de velours noir collé par deux bandes de taffetas d'Angleterre; je viens faire à MM. les commissaires la proposition suivante : 50,000 francs sont offerts à celui d'entre eux qui pourra lire un seul mot avec le bandeau ordinaire de mademoiselle Pigeaire. » – Certe, inter ipsos Academicos plurimi, ut DD. Arago, Orphila, Donné, Adelon, Pelletier eventum agnovere. Videsis ulterius de Mirville : *Des Esprits*, I, p. 46.

(1) Inter gravissima et oculata testimonia quibus transcendentis somnambulismi phænomenon realitas comprobatur, citari possunt relatio famosi Roberti Houdin, apud de Mirville, *des Esprits*, I, ch. I : item relatio medicorum Delpit, Marcart, Schmidt ibid, p. 86, experimenta publica commemorata in diario : *La Revue Britannique*, 12 avril 1855 et in Diario : *La Gazette de France* 5 juin 1855, ap. de Mirville, ib. pp. 404, 422, tandem oculata testimonia D. de Saulcy, Academici Galli, ap. D. des Mousseaux : *La magie au* XIXe *siècle*, p. 204, atque alius Academici, comitis L. de Laborde, in Diario : *La revue des deux mondes* : août 1840. Legi etiam meretur D. des Mousseaux : *Les hauts phénomenes de la magie*, p. 348 sqq.

longe quidem magnetica phænomena æmulantur. Licet enim in plurimis casibus eventa vere stupenda spiritæ producant, attamen neque mortui resurrectionem ullius, neque sanationem cæci nati, vel simile aliquod signum perfecere : sanationes vero quæ a spiritarum arte repetuntur fere respiciunt systematis nervei morbos ; nunquam tamen neque abscissa vel vulnerata membra restituta, neque morbi *organici* curati hoc medio fuere. Rursus dum sanationes, ex miraculis Christi vel Sanctorum subsequutæ, instantaneæ erant et perfectæ, contra curationes magneticæ dubiæ satis existunt ac plerumque exitiales (1).

14. Sed 2°, discrimen miraculorum et spiritismi phænomenorum non minus declaratur ex *concreto eventus modo*. Quippe vere miracula tum a Christo tum ab ejus sanctis patrata contigere vel ad simplicem eorum jussum, vel certe sine usu mediorum quæ ab humana arte pendeant. Contra spiritæ ad sua mirabilia indigent medio aliquo determinato, certis ritibus ac conditionibus, complexo satis et singulari ictuum vel scriptionis apparatu. Proculdubio heic stupendam quidem potestatem cernis, attamen talem quæ multiplicia requirat subsidia ut effectus suos proferat, illic vero facultatem ad eventum, eumque plane transcendentem, ex se ipsa expeditam, quæ absolutum suum in naturam dominium ultro demonstrat, nullumque instrumentum prævie exposcit. — Sane sola hæc discrimina evidenter evincunt diversa genera existere magnetica phænomena et miracula proprie dicta. Quod vero nonnulli calumniantur, Christo et Apostolis non minus ac spiritis apparatum præsto fuisse in edendis miraculis, cum manus medendis ægrotis sæpius imponerent, hoc absurde et falso adserunt. Quæ enim proportio inter

(1) R. P. Perrone : *Op. cit.* p. 399. — Cf. etiam des Mousseaux : *La magie au XIXe siècle*, c. 12 hoc ubi ipsum ex notissimis magnetologis comprobat. — Item Esquirol : *Des maladies mentales*, T. I, p. 155,

deprecatoriam illam et simplicem manuum impositionem, quæ sensum mere deprecativum usu gentis habebat, atque inter *passus,* ut vocant, magneticos qui huc diriguntur ut somnum et catalepsim ægris admoveant? Ceterum, sæpius *solo imperio* Christus et apostoli infirmis sanitatem reddidere. Certe, manuum impositio nulla in sanatione Paralytici (1), hemorrhoissæ (2), dæmoniaci muti (3), languidi ad piscinam probaticam jacentis (4), leprosi (5), hominis claudi quem sanarunt Petrus et Johannes prope Portam speciosam Templi (6). Multo minus huic manuum impositioni retuleris curationem filii reguli (7) ac filii centurionis (8), cum eos procul agentes solo suo imperio Christus sanitati restituerit. Si igitur hæc *in concreto* respexeris,vides magneticas curationes ne miraculis quidem *sanationis* opponi posse.

15. At 3°, discrimen maximum inter utrumque operum genus conspicitur ex circumstantiis facti *moralibus* quibus tantum in re nostra deferendum ex supradictis constat. Diximus supra plerumque miraculi ministrum virum esse probæ ac sanctæ vitæ, ut adeo exceptio probanda sit. Magnetizatores vero eorumque *media,* generaliter loquendo, fere homines dubiæ vitæ existunt. Quin fatentibus magnetologis ipsis, consuevit inter magnetizatorem ejusque *medium* ea necessitudo intercedere quæ gravissimis in re morali sceleribus viam pandit.— Sed magis etiam notandum heic venit discrimen quod finem operis ut ajunt, respicit. Ubi enim doctrina his miraculis commendata quæ Christiani recipiunt nihil non habet quod sanctum non sit, ad

(1) *Matth.* 9, 6.
(2) *Matth.* 9, 20.
(3) *Matth.* 9, 33.
(4) *Joh.* 5, 1 sqq.
(5) *Luc.* 5, 14.
(6) *Act. ap.* 3, 7.
(7) *Joh.* 4, 6 sqq.
(8) *Luc.* 7, 10.

mortificationem sensuum faciens, atque summam honestatem spirans : contra indubiis documentis constat spirituum manifestationes morum eversivos sæpenumero existere. Citabo tantum ex sexcentis duo quæ collegit R. P. Perrone in egregio suo de præsenti re commentario. In opere Alph. Cahaguet habetur dialogus sequens cujusdam spiritus cum evocatore : « Quo concedit anima a corpore separata ? — In loca celestia. — Quid ibidem agit, bibitne vel manducat? — Satisfacit suis affectibus. — Suntne loca felicia et infelicia. — Sane. — An patiuntur qui infelicibus hisce locis detinentur? — Satisfaciunt suis affectionibus, *cum beatitudine summa.* » — Similia leguntur in famosa evocatione Swedenborgii : « Errant animæ, inquit, de futura vita agens, in paradiso campis Elysæis simillimo. Cernuntur ibidem beatæ animæ gastronomicis occupatæ deliciis ; mulieres corporis cultu distentæ ; ignari et eruditi studiis suis indulgentes. Heus, fruamur, usque fruamur (1)! » — Mitto alia, cum citandi non foret finis.

16. 4° Ipse modus quo sæpius spiristica experimenta contingunt libidinem teterrimam habet. Consulendus de eodem argumento D. de Mousseaux, qui adductis auctoritatibus gravissimis, maximas ac inauditas turpitudines in spiritismi exercitio fieri solitas refert, quas heic referre nullo modo possumus (2). — Jam si de moralibus sequelis istorum omnium agatur, in vita tum privata tum publica, ecquis est vel parum magnetismi fata edoctus, qui nesciat quot inde pestes, non tantum sanctitati morum, verum etiam familiarum unioni, atque individuorum paci ac vitæ exortæ fuerint (3). « Ad humani generis probrum,

(1) Cahaguet : *Arcanes de la vie future.* Cf. Des Mousseaux : *Mœurs et Pratiques des Démons*, c. XV.

(2) *Les hauts phénomènes de la magie*, p. 348-448. — Item : *La magie au* XIX*e siècle*, p. 266-281.

(3) Apposite R. P. Matignon : « Vous parlez, inquit, de guérisons obtenues par ce moyen ; je veux bien qu'il y en ait eu quelques-unes ; mais vous ne parlez

inquit D. Teste, magnetismi fautor acerrimus, facta de quibus impossibile mihi est dubitare promulgare non morabor. Cum dolore vaticinor, ex magnetismo familias plures esse desolandas et turpandas. Magnetizatum inter et magnetizatorem fateor intimam existere necessitudinem, et hujus in illum plenissimum imperium. Ipsa physicos omnes suos motus cogitur ejus accomodare arbitrio. Illa in suo somno videt, agit per suum magnetizatorem nihilque in magnetizati corpore vel anima est residuum, quod magnetizatoris imperio subditum non sit. Hinc constat quanta inde mala libidinosus operator haurire, quoties voluerit, possit (1). » Gravissima quoque verba Cl. Debreyne : « Maxima in his artibus, ait, innocentiæ ruina, præsens virtutis naufragium. Cuperem heic consistere ne tantas ignominias ac turpitudines proferam, at impellit me mea conscientia vox severa et ignavum silentium rumpit officii debitum. Si vera sunt infamia scelera quæ didici, et de iis, proh dolor! dubium minime possibile est, certum mihi et compertum sit, magnetismum maxime nefandum corruptelæ instrumentum esse dicendum (2). » — Ut nihil

pas des cas où, sur la foi des esprits, on prendra peut-être les maladies à rebours jusqu'à ce que la mort s'ensuive. Vous dites qu'il nous met entre les mains un moyen de connaître les sentiments intérieurs des étrangers et de nos proches. Oh! Monsieur, quel instrument dangereux! Quelle arme à deux tranchants! Et qu'il est à craindre, qu'elle ne nous blesse! Voyez comme elle s'en va porter le ravage dans les affections les plus saintes et les plus pures. Un ami, je suppose, conçoit une doute sur la fidélité de son ami; il s'en va consulter des esprits, lesquels à tort ou à raison l'affermissent dans ses craintes; voilà deux cœurs séparés à jamais. Chose plus triste encore! Un soupçon traverse l'imagination d'un époux; il interroge une table ou un medium, et aussitôt un mystérieux interlocuteur lui jette un oui fatal. Ne frémissez-vous pas à la seule pensée des maux, que va causer cette terrible réponse? Ainsi la division entre ceux qui s'aimaient, la désunion dans les familles, des calomnies odieuses, des haines implacables, voilà quels pourront être et quels ont été trop souvent les fruits de ces conversations avec un autre monde. Je ne crains pas d'avancer que si le spiritisme obtenait universellement créance, il serait un des dangers les plus sérieux qui puissent menacer l'ordre social. *Les morts et les vivants*, p. 97.

(1) Apud Perrone : *Op. cit.*, p. 380.

(2) *Ibid.*, p. 406.

dicam de suicidiis ac dementiis in dies ex spiritismi frequentatione contingentibus. Satis sit citasse pseudonymum celebrem D. d'Orient : « Effectus ejus ordinarius, inquit loquendo de magnetismo, hic est, ut vitæ impatientiam et tædium inspiret, et hominem in suicidium fatali sorte abducat (1). » Itemque famosus Dupotet : « Beatos, exclamat, quos prompta mors abstulit, mors, inquam ab Ecclesia reprobata! Nullus vir generosus existit quin vel sibi mortem inferat vel lethum saltem anhelet (2). » Sane hisce effectibus toto cœlo discriminantur phænomena magnetica a veris miraculis, quæ nonnisi sanctitatem, pacem ac serenitatem fovent et spirant. Profecto si quis simul hæc omnia colligat, concludet spiritismi mirabilia non esse nisi turpem ac deformatam vere miraculorum imitationem, quæ nullam veri nominis similitudinem cum illis habeat. — Sed neque melius comparatur somnus magneticus extasi Sanctorum, ut impii plurimi recentiores autumant. Fuitne unquam Sanctus vel Sancta quæ vario isto somnambulismi apparatu adacta fuerit ad suas extases? An unquam adhibuere Sancti magnetizatorum operam, atque omnem illam circulatoriam artem qua somnambuli utuntur, ut extra se rapiantur (3). Ludunt qui talia comminiscuntur.

17. Quæ hactenus dicta fuere, procul dubio evincunt essentiale discrimen quod inter Christianorum miracula et spiristica phænomena intercedit, ut adeo malæ fidei existat qui inficietur ejusmodi miraculorum cognoscibilitatem ex analogia inter utrumque operum genus intercedente. Atque hoc quidem erat quod nobis probandum heic incumbebat. Ne vero rem infectam relinquere videar, paulo ulterius pergendum. Quippe omissis inferioris specici phænomenis, quæ plane naturalia habemus, demonstrabimus

(1) Ap. De Mousseaux : *La magie au* XIXe *siècle*, p. 350.
(2) *Sur l'enseignement philosophique du magnét.*, p. 107.
(3) Cf. *Civiltà cattolica*, Ser. I, vol. V, p. 278 sq.

transcendentes spiritismi ac magnetismi manifestationes nedum veris miraculis æquiparentur, nonnisi malis spiritibus adscribi posse, ut adeo *supernaturalium operum antithesis* dici summo jure debeant.

18. Porro transcendentia ista phænomena prout ex oculatis testimoniis constat, sunt maxime sequentia : 1° responsa mensarum ex condictis ictibus exhibita quæstionibus adstantium; 2° earum motus ad jussum sive vocem expressum sive cogitatum operatorum; 3° sensationes vitales ex contactu mensarum perceptæ, excitato sensu veluti manus palpantis etc.; 4° concentus musici maxime suaves derepente exauditi; 5° imagines mira arte per invisibilem pictorem delineatæ; 6° divinatio somnambuli de rebus personisque procul agentibus; 7° notitia rudibus communicata de altioribus medicinæ physiologiæ aliarumque scientiarum arcanis; 8° scientia plurium idiomatum subito patienti infusa; 9° notitia rerum absentium et maxime secretarum; 10° tandem apparitiones personarum defunctarum eorumque revelationes. — Hæc phænomena passim inter magnetismi cultores produci negaverit, opinor, nemo qui testimonia oculata huc spectantia æqua lance expenderit (1). Jamvero factorum realitate admissa, necessario deducendum : 1° illa intelligenti causæ deberi; 2° illam causam intelligentem operatori, medio atque spectatoribus superiorem existere. Primum demonstratione non eget,

(1) « Aujourd'hui, inquit Cl. Matignon, de hisce phænomenis agens, devant la multitude presque inombrable de témoins de tous pays, de toutes religions, qui se posent comme ayant vu de sang-froid, examiné avec toute la rigueur d'un esprit incredule, il est à peu près impossible de s'arrêter à une telle hypothèse (sc. *de hallucinatione et impostura*). Nous ne nions pas, sans doute, que certaines expériences n'aient eté surfaites; le charlatanisme, le goût du merveilleux, la persuasion préalable qu'on allait se trouver transporté dans un monde de prodiges ont pu assurément faire illusion à plusieurs; mais en défalquant tout ce qui peut raisonnablement être attribué à de semblables causes, *il reste encore un nombre considérable de faits dont nous ne saurions nier la realité sans renoncer a tous les principes de la certitude historique.* — *La Question du surnaturel*, p. 404.

post recensita phænomena quæ nonnisi causæ intellectu et ratione præditæ adscribi possunt. Alterum autem breviter probandum. — Sane si naturalis sive humana causa hisce effectibus foret agnoscenda, hæc esset vel anima ipsius medii sive subjecti quatenus, ad tempus, corporis vinculis soluta, in distans ageret et locis adesset dissitissimis; vel etiam anima adstantium et operatoris quæ arcana quadam συνπαθεια, tum in invicem tum in medium influeret; vel saltem, ut alii opinantur cum D. de Gasparin fluidum quoddam arcanum ab anima dimanans, ipsam veluti ad extra effundens, atque tum aliis hominibus, tum inanimatis etiam instrumentis propriam *medii* personalitatem conjungens; vel effervescens quidam facultatum intellectualium et nervei systematis status, ut voluit præ ceteris D. Figuier, et tandem *fascinatio collectiva*, ut ajunt, animorum expectatione nata ac fota quæ phænomenis maxime insuetis, ex multiformi nervei systematis actione, locum præbet. Hæ sunt quæ a physicis in re nostra appellantur hypotheses, ad quas etiam reliquæ reduci possunt. Sed nimis patet incassum hæc omnia admoveri ut spiritismi transcendentalis phænomena explicentur.

19. Ac primo quidem certum omnino est animam humanam, in præsenti conditione, *extra corpus* quod informat ac spatium quo istud continetur *naturaliter* agere non posse, ipsamque organis suis ad operationes suas egere. Nam forma omnis elemento materiali quod informat essentialiter alligata est : ex utroque enim hoc constitutivo, forma et materia, compositum in sua unitate et adæquata ratione exsurgit. Quare a tali composito actio ulla proficisci potest quæ ab utroque simul elemento non pendeat. Jamvero substantialis *forma corporis* ipsa anima est (1). Hinc porro consequitur *naturaliter* et sine principii superioris

(1) *Cf. Suarezium : De Anima.* L. I. C. I. n. 8 et n. 12. — Optime R. P. Pail-

et omnipotentis interventione, non posse animam in præsenti extra corpus agere, nec seorsim a corpore cujus forma est actus sive mechanicos sive etiam spirituales exserere. Quo sensu scribit Angelicus : « Manifestum est quod cum anima est corpori unita, non movet corpus *nisi vivificatum* (1). » Ergo absoluta et physica impossibilitas in eo sit ut anima sese extra corpus diffundat, atque procul ab eo operetur (2). Quin, ex eodem principio etiam inferes ani-

loux : « Dans la combinaison des éléments qui composent l'échelle des existences et chaque degré des êtres, l'élément supérieur devient la forme de ceux qui lui sont subordonnés. Aussi la substance n'a qu'une forme brute dans le minéral; mais l'arbre s'élève en ajoutant à ce premier élément une forme de vie que les théologiens et les philosophes exprimeraient en disant : *Arborem informat quoddam principium vitæ — aut anima vegetativa.* L'animal monte un degré dans l'échelle : *Illud informat vita animalis — aut anima sensitiva.* L'homme est le sommet de la création, et sur sa vie végétale et sensitive il revêt la forme intellectuelle : *Corpus humanum informat vita intellectualis – aut anima rationalis.* Or une forme, et en cette qualité, n'agit pas indépendamment de la substance à laquelle elle est unie; de même qu'elle circonscrit la substance, elle en est, en tant que forme, essentiellement circonscrite. *Anima, natura sua, interna est forma corporis*, dit Suarez. Vous n'avez pas vu, que je sache, rouler la rondeur sans la boule. Mais l'âme n'est pas une forme à la manière seulement des accidents : c'est une forme substantielle, ayant elle-même son action propre, qu'elle n'emprunte pas au corps, mais qu'elle n'exerce pas non plus, au moins pour les effets extérieurs, indépendamment des organes du corps. Supposons une boule d'acier, blanchie, en outre de sa constitution, aux ardeurs d'une fournaise. Elle est d'acier et jouit des propriétés de ce métal : elle est ronde et ajoute à sa nature les qualités de cette forme; elle devient brûlante et acquiert ainsi l'action du feu; c'est un acier arrondi et brûlant, c'est une boule de feu et d'acier, c'est un feu d'acier sphérique. L'acier agit comme acier, mais point indépendamment de sa double forme ronde et ignée; la boule agit suivant sa nature de boule et fait rouler avec elle les propriétés, actuellement inhérentes à son existence, et l'acier et du feu; le feu exerce aussi, dans ce composé, son œuvre spéciale, mais subordonnée à la substance et à la forme de la boule, qui modifient son action suivant leur propre essence. L'âme est donc la forme substantielle du corps. Faisons maintenant l'application de cette théorie quelque peu métaphysique. L'âme est la forme du corps, et, pendant la vie, c'est-à-dire pendant qu'elle reste sa forme, elle est nécessairement *incorporée*, et ne vit et n'agit qu'avec lui. Et le corps, qui lui fournit ses organes, en est essentiellement *animé*, et ne vit et n'agit qu'avec elle. Le corps *animé*, l'âme *incorporée* : voilà l'homme. Et l'âme dégagée, transmise par un fluide, ne peut être que le rêve d'une tête creuse. » *Op. cit.*, p. 54.

(1) *Summ. Th.* I, q. 107; a. 4 in corp.

(2) Audiendus iterum R. P. Pailloux forte quo nemo solidius præsentem hypo

mam agere non posse ad extra nisi mediantibus propriis suis organis. — Ut adeo *a priori* rejici debeant multiplices istæ hypotheses, *fluidicæ cujusdam emanationis* ex anima derivatæ vi cujus ipsa in corpora ageret vel spirituales etiam operationes exsereret (1). Illa quippe commenta nonnisi delirantis phantasiæ deliria sunt rationi et experientiæ omnino opposita.

20. Neque magis philosopho probari potest theoria eorum qui varia ratione volunt, in magneticis experimentis, *medium* velut receptaculum fieri ac speculum quoddam quo adstantium sensa et cogitationes representantur. — Absurdum commentum vel hoc solum confutatur quod factum cognitionis prorsus personale phænomenon sit propria cujusque conscientiæ et anima conclusum, ut adeo tertiæ cuipiam personæ nequeant patere privata sensa nisi certa aliqua ratione significentur. Ad hoc, cognitio homi-

thesim confutavit : — « Cette prolongation, — inquit disserens, de fluidica ista animæ emissione — sera vivante ou inanimée. Inanimé? Rien de tel ne saurait être le véhicule de l'âme, qui ne peut naturellement exercer aucun mouvement qu'au moyen d'un corps animé dont elle soit la forme vivante : *Manifestum est,* dit saint Thomas, *quod, cum anima est corpori unita, non movet corpus nisi vivificatum ; unde, si aliquod membrum corporis mortificetur, non obedit animæ ad motum localem.* L'âme ne peut donc mouvoir un organe mort, fut-ce un membre de son propre corps, que serait-ce d'un corps étranger? Du reste, Suarez enseigne que l'âme est incapable d'agir sur les corps étrangers, si ce n'est par l'intermédiaire de ses organes : *Cum, natura sua,* dit-il, *interna sit forma corporis.* Vivante? rien dans le corps n'est vivant et animé sans être doué de sensibilité; sentez-vous cet organe fluidique? Vivante? ce n'est pas encore une condition suffisante pour qu'elle soit soumise à la puissance motrice de l'âme; il faut qu'elle soit organique; et l'organisation d'un fluide en membres, nervure, veines, articulations et artères, cerveau véritable, cœur, et sens aptes à remplir la fonction des yeux et des oreilles, me paraît soumise à de singulières difficultés; sans cela néanmoins l'âme ne saurait en être ni l'acte ni la forme : *actus primus corporis organici.* Au surplus l'âme, dans ces excursions lointaines en dehors de sa sphère, agit, pense et raisonne; mais la pensée n'est jamais sans la conscience d'elle-même; et l'âme s'est-elle jamais rendu compte des compromettantes aberrations auxquelles elle se livre dans ses familiers tête-à-tête avec sa prolongation fluidique? Encore une fois ce fluide, empêché d'ailleurs par mille impossibilités, ne pourrait être au plus que comme le souffle qui s'échappe de notre bouche. » *Op. cit.,* p. 62.

(1) Cf. Bizouard : *Rapports de l'homme et du démon.* T. V, livre 32e passim.

nis, in præsenti statu, a sensu incipit : quare nonnisi *signis externis* cogitationes adstantium *medio* communicari possunt. Atqui nullum ejusmodi signum adhiberi in compluribus Spiritismi experimentis nimis compertum est ac ipsa magnetologorum confessione declaratum. — Cæteroquin, his etiam omissis quid valent istiusmodi hypotheses rationem reddere cognitionis rerum plane secretarum, notitiæ derepente acquisitæ scientiarum et idiomatum quæ antea omnino a *mediis* ignorabantur, peritiæ maximæ in artibus exercendis, quarum eis nullus usus aderat? Equidem istorum omnium notitia nulla cujusvis naturæ *emanatione* communicari potuit *medio* cum nemini mortalium in talibus adjunctis adesse ipsa possit! Quare, quidquid sit de immensa et arcana vi nervei systematis, de animæ in corpus influxu ac sympathia, tamen nunquam poterunt exinde transcendentalia isthæc magnetismi phænomena intelligi. Adeo verum hoc sit ut ipse D. de Gasparin hujusce hypothesis præcipuus patronus, fluidicam suam animæ cum rebus etiam inanimatis conjunctionem nullatenus altioribus istis effectibus applicandam velit : ea tantum utitur vir supernaturalismo infensissimus ad explicandam mensarum motus et responsa (1). Verum quam falso hoc ipsum

(1) Cf. ejus opus : *Des tables tournantes*, T. I, p. 207 : item des Mousseaux : *La magie au* XIXe *siècle*, p. 287 sqq. « Ce fluide capricieux, volontaire, rebelle à nos désirs,—ait hic auctor,—et que M. de Gasparin fait sortir de notre chair... voyons donc ce qu'il est lorsqu'il lui plaît de s'adonner aux fonctions de devin. Voyons-le dans ses actes, voyons-le dans des faits devenus si petits devant ceux qui les suivirent, et pourtant si gros par eux-mêmes. Une table *devine*, avoue M. de Gasparin, et *fort naturellement*, ce que l'une des personnes dont se compose la chaine *magnetique* a dans l'esprit. Je le repète, *elle devine ce que sait un des assistants*, pourvu que cette personne soit douée d'une grande *puissance fluidique*, et puisse l'exercer à distance. – C'est une assez jolie merveille assurement cette divination; mais ce n'est là qu'une moitié du savoir-faire de nos tables, et vainement M. de Gasparin le contesterait encore : trop de hauts faits, marqués au sceau de l'évidence, ont depuis ces paroles envahi le public. Ce que j'affirme et que je rappelle quelque part en cet ouvrage, c'est que *son fluide tabulaire* a dicte *devant moi* plusieurs petites phrases dans l'idiome hébraico-syriaque dont j'étais parfaitement sûr de ne point savoir le premier mot. Que notre stupeur,

adstruat modo dictis jam constat. Quippe absolute repugnat ut anima sive actualis corporis forma, agat in materiam externam, cui nullo substantiali vinculo colligatur. — Ut non animadvertam, tam certis et oculatis testimoniis facta niti *divinitationis* et *præscientiæ* quam mensarum evolutiones et oracula. Hæc autem prædicta hypothesi nihil explicari nimis patet.

21. Vix etiam meminisse opportuerit hypothesim aliam de *hallucinatione collectiva*, quâ repetunt somnambulismi

cependant, ne soit point excessive; car, au sens de M. de Gasparin, la table oraculaire est momentanément transformée en l'un de nos membres; elle devient une prolongation de notre personne; et notre pensée, dissoute en quelque sorte dans notre fluide, se faufile et s'insinue dans la table aussitôt que ce fluide la pénètre. Il est vrai que cette merveille s'opérerait à notre insu; de là notre conviction erronée qu'un être autre que nous-même nous apprend ce que se borne à nous répéter surnoisement la table, semblable dans un autre genre à l'écho, qui nous renvoie sans détour notre pensée en répercutant nos paroles. En d'autres termes, nous rappelant ce que nous avons oublié, ce que nous avons su jadis, mais sans que se réveille en nous le sentiment, la conscience du souvenir qui nous revient, nous transmettons machinalement à la table, avec l'écoulement de notre fluide les notions fugaces qu'elle nous traduit dans son langage de convention! La table alors nous semble animée par un Esprit qui n'est point le nôtre; elle nous semble être une magicienne, un devin; tandis que son rôle purement machinal consiste à nous rappeler la pensée ou le fait qu'un acte *inconscient* de notre personne vient d'infuser en elle en le laissant aller au cours du fluide qui la traversait. Ainsi pense M. de Gasparin! O pudeur! ô miraculeuse credulité des incrédules! Eh quoi! la table, ce membre postiche et de rallonge, — puisque vous lui donnez ce nom, — ce membre qui ne m'est adapté que pour le quart d'heure, dira *naturellement*, et comme le tenant de moi-même, ce que je ne sais plus, ce qui dort en moi dans un incurable oubli, ce que j'ai dans le moment même la parfaite certitude de ne pouvoir me rappeler; mieux encore, ce que j'ai la certitude aussi parfaite de n'avoir su dans aucun temps? Comment? ce morceau de bois mort va me dire ce que je demanderais mille ans en vain à ma jambe vivante, à mon bras de chair, à mon cerveau palpitant, à ma personne intellectuelle tout entière, à toutes les facultés réunies de mon être? En vérité, monsieur de Gasparin, les catholiques doivent concevoir une singulière fierté du mépris que vous daignez témoigner à leurs dogmes, lorsque vous en inventez de pareils! En vérité, les pères de l'église, ces géants de la science divine et philosophique, auxquels les coryphées de la philosophie païenne prodiguaient les marques de leur respect et de leur admiration, doivent démesurément grandir encore à nos yeux lorsque, mesurant leur intelligence et leur raison à... à je ne sais quelle mesure, vous laissez tomber du haut de votre modestie sur cette race à vos yeux si caduque, ces inimitables paroles : *Et l'on vient nous opposer les sorneues des Pères!* (T. I, p. 105, II, p. 568 etc.). »

phænomena tum ex morbida quadam phantasiæ perturbatione, tum ex mentis hallucinatione, expectatione animi nata ac fota, quâ fit ut pro realibus recipiantur imaginationis repræsentationes ac multiplices subjecti affectus (1). Porro quamvis fatendum sit plane stupenda esse phænomena quæ ex nervosis quibusdam perturbationibus oriuntur, nimis tamen ridiculum ac puerile sit *hallucinationi,* quocumque pacto explicetur, transcendentalia Spiritismi experimenta universim adscribere. Quis sibi suadeat unquam, dummodo bonæ fidei et sanæ mentis existat, homines innumeros omnis conditionis et ætatis, viros scientificis observationibus deditos ac severos inprimis eventuum exploratores, imo vero tales quos summa incredulitas prius tenebat, illusionibus eisque perpetuis potuisse detineri? Qui talia comminiscitur, is omnem historicæ traditioni vim adimit seseque irreparabili scepticismo committit. Equidem nihil non metuendum est a superstitiosis hominibus, ubi de rebus extraordinariis agitur : verum si universi fere totius testimonium chimæris amandandum sit, actum de certitudine et scientia fuerit. Sed quod maxime rem conficit, quonam pacto explicabunt hominem, ex hallucinatione sive privata sive collectiva, ea rescire posse, quæ nullatenus finitæ menti, maxime in talibus circumstantiis, possunt innotescere, qualia sunt divinationis phænomena, idiomatum hactenus ignotorum subita cognitio, rerum secretarum notitia, quorum tot exempla, eaque testatissima, inter Spiritas occurrunt. Profecto hallucinationis theoria nonnisi vel superbum ignorantiæ effugium vel systematicæ negationis involucrum habenda (2).

(1) Cf. Babinet : *Revue des deux mondes :* 15 janv. 1854. — Figuier : *Histoire du merveilleux,* T. III, p. 344, T. IV, p. 420, passim.

(2) Apposite R. P. Pailloux : « Le caractère le plus extranaturel de l'hallucination est celui-ci : Par elle, connaître l'*inconnu*, l'*inconnaissable*, et le connaître si reellement, qu'on ne se trompe ordinairement pas. Exemple : on veut me montrer un ange, c'est peu aise; mais passons. Mon âme, par le fait de l'hallucination, a l'extrême complaisance de vouloir bien se frapper au point de voir un

22. Concludimus neque *actione animæ in distans*, neque *fluidica emissione qualibet*, neque *surexcitationis vel hallucinationis theoria* explicari *transcendentalis* spiritismi phænomena. Porro cum ad illas hypotheses ceteræ omnes in re nostra excogitatæ reduci possint, inferimus, ex ipsa phænomenon conditione, ultimam et adæquatam transcendentis spiritismi causam *extramundanam* dici debere ac tandem interventione Entis spiritualis et superioris naturæ contineri (1). — Quin non ægre intellexe-

ange en chair et en os; elle le voit, elle croit tellement le voir qu'elle le voit. La vision n'est que subjective, à la vérité, comme disent les philosophes, et sans objet réel, c'est-à-dire vue d'un ange sans qu'il y ait l'ombre d'un ange; mais enfin le phénomène de la vision se produit, elle le voit; c'est rare, mais passons. Voici que cet ange, qui n'en est pas un, voici que ce qui n'est rien qu'un jeu de l'imagination prédit l'avenir dans tous ses détails; et cet avenir, éloigné de temps, éloigné d'espace, répond, lettre pour lettre, à la prédiction par la réalité! Je crois voir un ange que je ne vois pas; cet ange, que je crois entendre parler et qui ne parle pas, me dit que dans dix jours telle personne mourra en telles circonstances; et ce que j'ai cru entendre, quoiqu'on ne me l'ait pas réellement dit, arrive ponctuellement! Avouez qu'il existe ici une intelligence qui n'est ni celle du magnétisé, une intelligence qui connaît l'hébreu que nous ignorons, lit dans le passé, voit dans le lointain, et emprunte, dans le présent, aux germes de l'avenir, la connaissance d'une grande partie de ses ramifications. » *Op. cit.*, p. 278

(1) Concinit Cl. Matignon : « Les diverses théories qui ont été émises pour expliquer les phénomènes contemporains sont donc évidemment insuffisantes. Y a-t-il apparence que quelque autre système encore à naître, puisse en rendre compte sans recourir à l'intervention des esprits? Je ne crains pas de dire que non. Si les faits sont vrais (*et pour l'ensemble on n'en saurait guère douter*), il faut bien confesser qu'un agent mystérieux s'en mêle. Ce n'est pas lui peut-être qui fait tout; certains effets ne dépassant pas les forces naturelles, rien ne prouve qu'il se substitue à l'action physique des instruments qui sont mis en œuvre; mais quand viennent les opérations difficiles, c'est alors qu'il entend la *petite évocation* formelle ou tacite : alors il supplée à ce qui manque aux opérateurs humains, il dicte ou écrit sa réponse sur les choses lointaines ou cachées; mais c'est alors aussi que le bout de l'oreille se montre, par l'impossibilité même où auraient été les hommes tout seuls d'accomplir ce qui s'est passé sous leurs yeux et à leur requête. En énonçant cette conclusion, nous devons nous attendre à encourir de la part de quelques lecteurs le reproche de crédulité. Mais ce reproche est injuste : car nous sommes amené là par la force même des choses. Repousser le surnaturel, c'est fort bien, tant qu'il ne s'impose pas d'une manière évidente. Mais quand toute cause naturelle est clairement incapable de produire les phénomènes qu'on a sous les yeux, on est bien obligé, pour les expliquer, de recourir à une cause supérieure. Tel est le cas où nous nous trouvons. On n'échappera à cette nécessité qu'en se jetant dans un parti extrême et systémati-

ris superiores illas substantias, quarum opera producuntur magnetismi phænomena, nonnisi Spiritus malos seu dæmones existere. Nam 1°, ecquis cogitet, Spiritus bonos si coram effectus suos mirabiles, Deo permittente vel jubente, exercerent, ejusmodi quem descripsimus apparatum ac veluti scenicam representationem adhibere? Sed 2°, quod litem dirimit, Spiritus boni veraces et sinceri sunt, dum fatentibus magneticæ artis professoribus, nunquam spiritibus quos evocant sit credendum. « La rouerie des esprits mystificateurs, — ait famosus Spiritarum dux, D. Allan Kardec, quem propriis verbis audire juvat, — dépasse quelquefois tout ce qu'on peut s'imaginer. On ne doit jamais se laisser éblouir par les noms que prennent les Esprits pour donner une apparence de vérité à leurs paroles (1). » 3°, Angeli nequeunt sibi contradicere : at spirituum revelationes usque inter se pugnant, imo vero sæpissime unus ac idem spiritus sibimetipsi crude contradicit (2). 4°, Boni Spiritus non valent in hunc visibilem universum intervenire nisi ob fines sanctissimos eorumque operandi modus honestati et virtuti inprimis consonus esse debet. Sed magnetica et spiritica tentamina non modo vanissima sunt; non modo maximum moribus periculum creant propter necessitudinem quæ in plerisque experimentis intercedit inter diversi sexus personas, at præterea se ipsis summam etiam libidinem haud raro spirant. 5°, Tandem, quod dictis complementum addit, spiritismi ac ma-

que. Il faut alors ou bien éliminer totalement le surnaturel, chose anti-rationnelle, comme nous l'avons prouvé dans le cours de cet ouvrage; ou bien nier obstinément des faits solidement attestés et qui se renouvellent en maint endroit, négation qui, pour être conséquente, devrait aboutir au scepticisme en histoire. Il n'y a pas de parti mitoyen : car admettre les faits et les expliquer naturellement, c'est un tour de force où échoueront, après M. Figuier, tous ceux qui voudront l'entreprendre. *La question du surnaturel*, p. 420.

(1) *Le livre des médiums*, p. 426.

(2) Cf. R. P. Pailloux, *op. cit.*, pp. 120 sqq., ubi allatis exemplis istas spirituum contradictiones retegit.

gnetismi revelationes vel explicite vel implicite doctrinæ christianæ, *certis plane miraculis comprobatæ*, adversantur atque eo tendunt ut illi vaga quædam Religionis eclecticæ forma substituatur. Hoc ipso mala istorum phænomenum origo splendide demonstratur (1). Nemini igitur mirum videatur ipsos spiritismi magistros haud semel dæmoniacam suæ artis conditionem fuisse confessos. Unus omnium fere antesignanus audiatur : « Hic aliquid habetur, inquit D. Dupotet, quod excedit rationem nostram : *Supernaturale* se manifestat, dum ejus vellem existentiam inficiari... Nullum dubium superesse potest, nulla incertitudo. Magia inventa est... Vis isthæc, alius diceret *dæmon iste*, excedit me totum... Corpus meum velut turbine raptum, ac reluctante licet voluntate mea, coactum est parere et cedere... Vinculum perfectum mihi adest, pactum consummatum : occulta potentia venit ut suum mihi concursum præberet veluti agglutinata animæ mihique altiores vires addens (2). » Alia omitto. Sane quidquid lectori placeat sentire de Magnetologorum sinceritate, ipsam diabolicam originem *transcendentium* spiritismi et magnetismi phænomenon (nam de iis solis agitur), negare nemo jure potest, ut ex disputatis liquet. Licet enim, quod non repetere nequeam, plurima in istiusmodi experimentis deceptioni et hallucinationi tribuenda sint ; attamen multa etiam sunt quæ solus scepticus rejiciat : his vero non aliam nisi diabolicam originem agnoscere possumus (3). — Nec opponat aliquis Deum tantam Spiritibus malis libertatem non fore daturum ut præstigiis suis homines innumeros seducant. Quæstio tota heic reducitur, num homines ineluctabiliter decipiantur? Quid enim? se ultro

(1) *La question du surnaturel*, p. 436.

(2) *Essai sur l'enseignement phil. du magnétisme*, pp. 305 sqq. — Cf. etiam Bizouard : *Des rapports de l'homme et du démon*. Vol. IV, passim.

(3) Hunc disputationis exitum optime complectitur prælaudatus apologeta, Cl. Matignon : *Op. cit.*, p. 441.

in hanc Spirituum societatem ingerunt, voluntatis arbitrium illis abdicant, non obstantibus severissimis Ecclesiæ prohibitionibus, non obstante indubia eventuum indole *qui signum satanæ* manifesto fronti inustum gerunt (1). Nihil igitur Deo, sed impiæ hominum superstitioni tribuenda seductio erit, si quæ occurrat. Cæterum, licet istis dæmonis fallaciis ii solum damnum accipiant qui imprudenter agunt nec Ecclesiæ monitis obtemperant, potuit tamen eorum deceptionem propter finem dignissimum summus Deus permittere. Nimirum ex hisce Spiritismi phænomenis paraverit ipse hoc ævo quo materialismi pestis denuo debacchatur sævissime, conspicuam animæ immaterialitatis ac substantiarum materia superiorum existentiæ demonstrationem, quæ vel eos etiam qui minus Ecclesiæ vocem audituri fuissent fulgore suo ac evidentia convinceret neque paucis atheisticæ et positivisticæ philosophiæ confutationem afferret.

23. Quæ hactenus diximus, satis esse possunt, opinor, ut falsa et ementita portenta a divinis Miraculis practice etiam dignoscantur. — Instituendum foret adhuc, ut argumentum nostrum absolveretur, criticum examen Miraculorum sive supernaturalium manifestationum quæ tum ab Ethnicis, tum ab hæreticis et schismaticis hominibus peracta feruntur. Sed præterquam speciales illæ quæstiones ad nostrum argumentum non pertinent, facile solves exceptionem quam ex hisce factis adversus christianorum Miracula petunt increduli, si notes sequentia : 1° Ex eventibus allegatis pleraque ex malorum Spirituum potestate explicari possunt : ea autem quæ ob suam transcendentiam ex divina virtute tantum repeti possunt *nullo plane argumento com-*

(1) Cf. de usu magnetismi Decretum S. Officii diei 25 Junii 1840; item Responsum tum ejusdem congregationis 21 aprilis 1841, tum S. Pœnitentiariæ diei 1 julii 1841, necnon sacræ Inquisitionis Encyclicam diei 30 julii 1856. — Ap. R. P. Perrone : *De virtute Religionis,* pp. 251 sqq.

probantur, ita ut universa vel conficta vel etiam *symbolica figmenta*, minime vero *historica facta* dici debeant (1). 2°, Portenta quæ penes Ethnicos et incredulos facta exhibentur aut sua connexione cum religione evidenter falsa ac inhonesta primisque regulis morum regulis opposita, aut circulatoria sua facie adjunctorumque moralium conditione *prudenti cuilibet homini* suam falsitatem ultro poterant comprobare, adeoque aut pro circulatorum fraudibus aut certe pro malorum Spirituum signis haberi debuerint ab iis omnibus qui ratione sua uti non neglexere. 3°, Quod si unum alterumve ex iis eventibus vere pro divino manifestativo etiam a prudentibus recipiendum fuit, factum illud fuerit in comprobationem sive naturalis honestatis ac virtutis, sive etiam naturalis Religionis sive supernaturalis alicujus Dogmatis, prout contingere potuit in eo quod post auctores profanos refert D. Thomas de

(1) De historica certitudine plerorumque miraculorum quæ Ethnicis tribuebantur videri possunt : Jahn qui perpendit famosas curationes Æsculapio adscripta, in opere suo : *Archæologia sacra*, Ed. 2ª, § 122; de eodem argumento documenta non parum gravia refert de Mirville, *Op. cit.* T. IV, p. 421 sqq. — De prætensis miraculis Vespasiani adesis Dissertatiunculam D. Algayer in Dict. Encycl. Theologiæ, ad v. *Vespasianus* et opus eruditum Aug. Reumann : *Dissertatio de miraculis Vespasiani.* T. II, L. II, p. 427 : Item Mosheim, *in Cudworth Annot.* T. II, p. 162. — De signis Apollonii Thyanæi videsis R. P. Buffier : *Exposition des preuves de la Religion*, 3e Dissertation. Appendice. Orsi, *Storia* Eccl. L. I, n. 69 et L. II, n. 22. Item Cl. Hug. *Introd. in lib. n. T.* T. I, p. 14 sqq. — de Mirville, *Des Esprits, de l'Esprit saint et des miracles*, p. 67 — Freppel : *Les apologistes chrétiens au 2d siècle*, p. 106. — De miraculis Ethnicorum universim vide fuse disserentem Ill. Huet, in *Dem. Evangelica* Prop. IX, cap. 142, n. 11 sqq. ubi probat *nullum* ex potioribus gentilium miraculis, v. g., prætensis mortuorum resurrectionibus etc. historice probari atque omnia fabulis sive allegoriis esse accensenda. — De signis Mahumeto adscriptis deque eorum turpi vel ridicula conditione confer Maraccium, in *Prodromo ad refutationem Alcorani.* P. II, c. 3. *Refutatio Surœ* II, p. 18. — Quod spectat portenta etiamnum apud Indos et Thibetanos frequentata ac ludicra eorum natura videsis D. Huc : *Souvenirs d'un voyage dans la Tartarie, le Thibet et la Chine*, p. 139 sqq.—Pailloux,*Op.cit.*, p. 385.—de Mirville : *Appendices et suppléments du 1er volume du 3e mémoire*, p. 64 sqq. — De sanationibus Diaconi Pâris legi possunt de Mirville : *Op. cit.* T. I, p. 133 sqq. – Pailloux, *Op. cit.*, p. 380 sqq., apud quos citantur testimonia Diderot et Humi de hisce portentis. — Bizouard : *Des rapports de l'homme avec le démon.* T. IV, liv. 17.

Tuccia Virgine vestali quæ, in castitatis testimonium aquam cribo hausit continuitque (1) et in aliis rarissimis ejusdem generis factis. — Inferre igitur licebit nihil metuendum unquam fuisse ne a prudentibus ementita ista prodigia cum veris miraculis confunderentur. Nequaquam enim in iis conspiciuntur notæ quas ad operis supernaturalis ac divini miraculi conceptum requisivimus : imo, positiva signa illis adsunt quibus aut circulatoria eorum indoles aut certe diabolica vel mala origo haud ægre colligitur. — Neque excipere juvat rudem et superstitiosam plebem ex istiusmodi signis necessario fore decipiendam, cum illa tanquam argumenta falsæ suæ religionis reputet. Licet enim definiri nequeat quonam pacto *in particularibus casibus* homines singuli portenta Spirituum a divinis manifestativis internoscant : certo tamem statui potest et debet regula ista generalis, neminem nisi ultro imprudens aut pervicax sit, ex illis in errorem invincibilem fore adducendum, qui cum spirituali ejus ruina conjunctus sit. Nimirum cum doctrina de potestate malorum malorum Spirituum, ex qua procul dubio plurima ex hisce signis quæ etiammum inter infideles contingunt repetenda putamus, retinenda est doctrina *de gratia sufficiente deneganda nemini facienti quod in se est et de antecedenti atque seria Dei voluntate omnes salvandi*. Exinde enim certissime consequitur nunquam dæmonum mirabile opus alicui fore exhibendum, quo falsa doctrina confirmetur, nisi sanctissimum ac Providum Numen simul ei provideat de mediis quibus error detegi vel certe præsentiri possit. Quare homini facienti quod potest, neque deceptionem talibus præstigiis circumdatam, *ex sola ratione recognoscenti*, Deus vel mentis illustratione vel opposito prodigio vel alia tandem

(1) Op. *de Potentia*, q. 6 de miraculis, art. 5. — Cf. Valerium Maximum : *De rebus Mirabilibus*. L. VIII. c. 33.

ratione errorem cum animæ ruina connexum retegeret. Huc igitur inprimis transferenda sunt nota Angelici verba de paranda salute iis qui, ex viribus naturæ, faciunt quod in se est : « Si aliquis, inquit, nutritus in sylvis vel inter bruta animalia, ductum rationis naturalis sequeretur *in appetitu boni vel fuga mali*, certissime est credendum quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium (1). » Pari jure tenueris, licet nequeamus *in singulis casibus* determinare quanam præcise ratione Deus pseudo-miraculorum seductionem avertat ab iis qui in mediis idololatriæ tenebris versantur, nihil tamen homini probo et vigilanti ex ea parte timendum esse. — Ulterius etiam ad completam hujusce difficultatis solutionem, attendenda theologica principia de infidelitate formali ac materiali. Quippe fieri potest ut propter dæmonum præstigia homines nonnulli erroneam quidem religionem ad tempus retineant, nihilominus veri Dei omnium Domini fidem ac legis naturalis observationem servent ac paratum ipsius voluntati adimplendæ animum, quibus implicitum Baptismi votum includitur. Ut adeo error, qui in uno alterove particulari casu *per accidens* admitteretur, nunquam foret cum inevitabili ruina conjunctus : isti enim homines formaliter infideles minime essent, quare istiusmodi deceptio posset aliquando propter debitum finem a Deo tolerari. — Porro, ut hoc etiam notem, si quæ in Scripturis vel in Patribus aliisve scriptoribus occurrant quibus Deus asserit sese pseudo-Prophetarum præstigiis seducturum esse homines perversos, hoc intellige in sensu improprio, quatenus hominibus perversis, *sufficiente* quidem gratia instructis, gratia abundantior deneganda sit, qua destituti in malum proprio vito declinent : unde tropico

(1) Op *de Veritate*, q. 14, a. 2, ad 1. — Cf. etiam. *In* III *sent.* D. 25, q. 11, a. 1.

aliquo sensu dici potest ipse Deus eos seducere. Eodem igitur modo divinæ istæ communicationes intelligendæ sunt quo explicanda illa Scripturæ loca quibus dicitur *Deus indurasse Pharaonem*, quamvis alibi dicatur *Pharao indurasse semetipsum*, ac similia (1). — Tandem, in præsenti argumento, distinguenda ratio justitiæ divinæ quod spectat gentes seu *corpus aliquod morale hominum* et ratio justitiæ ejus quod spectat *individua*. Quippe fieri omnino potest ut gens aliqua, postquam, veræ fidei prædicatione ad eam abunde allatâ, rebellis divinæ huic gratiæ extitit, indigna dijudicetur quæ tanto beneficio jam fruatur et quatenus *moraliter* et *collective* consideratur, a Deo reprobetur mutato ejus Providentiæ ordine, quod exteriorem attinet Evangelii manifestationem. Verum quod *individua* spectat, illis usque patet via ad fidem ac sufficientia conceduntur media quibus falsorum miraculorum seductionem tuto declinent (2), — Sane si ista principia præ oculis habeas, intuleris *practice* omnino fieri quod antea *theoretice* statueramus, scilicet nullum detrimentum accipere doctrinam theologicam de probativo Miraculi valore ex malorum Spirituum virtute ad mirabilia sua portenta, ac semper signa sufficientia adesse ex quibus veri Dei miracula a prudentibus internosci possint. Summo itaque jure inferetur, probativum miraculi valorem ejusque cognoscibilitatem plane retineri illæsa ac pro divina habendam esse Doctrinam quæ ejusmodi supernaturali criterio comprobatur. Quod nobis demonstrandum præcipue assumpseramus.

(1) Cf. III. Beelen in *Comm. in Ep. ad Rom. ad. h. l.*, p. 304,-306. — Item Cl. L. Reinke : *Beitrage zur Erklarung des alten testamentes*. T. V, Disp. IX. Die Verhärtung Pharao's.

(2) Cf. R. P. de Monsabré., Ord. Præd. *Conf. sur les miracles.* — Revue d'Econ. Chrét. 1864, p. 99.

EPILOGUS.

1° Ex iis quæ antea, ubi de Miraculi possibilitate agebatur, diximus, ostensum fuit ab ipsa veri Dei notione, Entis nimirum infiniti, personalis, omnipotentis ac liberi, logice deduci Miraculi possibilitatem. Quin imo evicimus, Miraculum non modo possibile esse, verum etiam ab effectibus naturæ distingui ac dignosci posse, criteriis suis propriis certissimisque.—At opportunum jam fuerit, in hoc epilogo, directa etiam atque, ut sic dicam, empirica methodo objectivam interventionis supernaturalis existentiam probavisse, quo præliminari tergiversatione qualibet remota, melius constet falsitas difficultatis præcipuæ quam hodiedum Miraculis opponunt Positivisticæ et Critices negativæ homines : Miraculosa eventa ceu anti-scientifica commenta esse a philosopho rejicienda atque nonnisi pro extraordinariis et inexplicatis legum cosmicarum effectibus a priori esse habenda.

2° Nimirum, ut constet de *existentia* alicujus facti, requiritur ut eventus sit sensibilis, atque deprehendatur vel propria sensuum observatione accurate instituta, si de eventu agitur quod immediate cognoscenti præsens sit, vel si de aliis factis sermo sit, ut colligatur ex certo testimonio, his conditionibus exornato, quas critici ad plenam ejus auctoritatem exigunt. Atqui omissa in præsenti Christi et Apostolorum miraculorum realitate, factum exploratissimum est, singulis sæculis, ad nostram usque ætatem, a Christi fidelibus, in fidei suæ probationem opera effici *quæ ex ipsa scientificorum hominum sententia* quibus Romana Sedes in causis Canonizationis utitur, constitutum naturæ processum, ut viris etiam eruditissimis innotuit, plane transcendunt (1). Porro posita ejusmodi eventuum veritate historica

(1) Si cui placeat specimen recognoscere maximæ illius Romanæ Sedis severitatis in miraculorum indagatione, adeat inprimis insigne documentum *oculatis* testimoniis fere constans : *Raccolta di Avvenimenti singolari e Documenti authen-*

quam negare solus scepticus potest, alterutrum agere potest vir criticus. — Aut enim pronuntiat facta quidem existere stupenda quæque leges cosmicas hucusque cognitas excedunt, imo iis adversantur : attamen, homini *scientifico* nihil esse de eorum *causa* et *origine* statuendum, eo quod ipsius hoc unice sit, *ut facta in se ipsis* recognoscat vel saltem in earum causarum investigatione tantummodo occupetur quæ *ex legibus naturæ constitutis* comprobari possunt. Ita, si homo cujus mors certo comperta alicui est, repente ad jussum Thaumaturgi vitæ restituitur, vel si futura libere contingentia prænuntiantur, phænomenon extraordinarium et constitutis naturæ legibus oppositum testari criticus poterit; utrum vero causæ debeantur quæ sit extra agentium naturæ ambitum seu *principio supernaturali*, hoc poterit tamquam empiricæ observationi inaccessum vel saltem ut *scientificæ disquisitioni alienum* omittere. — Aut etiam, posito tali aliquo facto, ulterius poterit criticus in ipsius causam *positive* inquirere, licet satis perspiciat illam agentium naturæ ambitu non comprehendi.

3°, Jamvero priore casu, si præcise de munere scientiæ empiricæ sermo sit, jure suo utitur physicus vel scientificus naturæ indagator dum in mera phænomenorum recognitione ac proximo principio consistens, nihil circa *ultimam* eorum causam pronuntiare statuit, utrum nempe naturalis habenda sit, an supernaturalis. Concedere quippe possumus quod postulat vir hujus ætatis in eo genere rerum versatissimus D. Cl. Bernard (1) nimirum *naturæ explo-*

tici spettanti alla vita del B. Francesco di Geronymo, estratta dai Processi per opera del canonico G. Muzarelli, — Roma, 1806. — Item : *Jugement du ministre protestant Thayer sur les Miracles opérés au tombeau de Benoit-Joseph Labre.* — Journal historique et littéraire, 1 février 1789, p. 172. — Cf. etiam Bened. XIV. *De Can. SS.* L. IV, c. 16, n. 25 et c. 18, n. 21 ubi plura exempla refert curationum quas miraculo adscriptas a medicis clarissimis Lancisio, Rasori, etc. Romanum Tribunal recipere recusavit.

(1) *Introduction à la médecine expérimentale*, pp. 114, 137, 139, 386. — Cfr.

ratorem hoc exclusive agere debere ut facta ac phænomena juxta *determinismi scientifici* normas recognoscat eaque probabilissima qua potest ratione interpretetur et explicet juxta cognitas hactenus cosmicas leges, neque *extra* vel *præter* adspectabilis universi agentia causam ipsis positive et *quatenus physicum agit* attribuat, vel etiam assignare quærat. Quin imo vere monitum existimem a Cl. Virchow (2) abstinendum esse viris scientificis, *dum suis investigationibus vacant* a dogmatica et metaphysica præoccupatione qualibet; qua in re ut nonnunquam intemperantiores catholici nonnulli eruditi fuere, sic, ipso notante Berolinensi physiologo, omnium intemperantissimos sese materialistæ moderni ostentant. Sit igitur methodus investigationis empiricæ circa eventa etiam maxime extraordinaria *positiva*, non vero *positivista* sive *systematice atheistica*. Quid autem exinde ad rem nostram? Sane, illud inprimis inde deduxeris, scientificum hominem ubi certo constiterit de aliquo effectu qui sive substantia sua, sive modo atque maxime inprimis manifesta sua et absoluta a medio proportionato quolibet independentia fuerit patratus, insolitam eventus naturam declarare teneri : at simul inde inferes prohiberi illum ne istiusmodi eventa *incognito naturæ agenti* tribuat. Quippe, omissis etiam in præsenti quæ supra de Providentia Dei tanquam naturæ legum constantiæ fundamento diximus, vel *ipsum causalitatis principium* evidenter convincit fieri non posse ut particulare aliquod naturæ agens solo suo arbitrio reliquæ naturæ dominetur atque opera efficiat quæ vel nullam cum mediis quibus utitur proportionem vel etiam manifestam cum eis oppositionem habeant, quemadmodum in iis eventibus universis cernitur quæ ab Ecclesia, post

Caro : *Le matérialisme et la science*, c. I et II. Item Chevreul : *Histoire des connaissances chimiques*, p. 25, 235, 355.

(2) *Revue des cours scientifiques*. Année 1864, p. 308.

examen severissimum et audita eruditorum sententia, miraculis accensentur. Quamvis igitur si scientifici determinismi principiis stemus, prout is plane sejunctus a rationalibus et metaphysicis disciplinis respicitur, hominis empirici proprie non sit *supernaturalem* et *extramundanam* effectus causam *positive* inferre; absurde tamen ageret si ipsum ignotæ *naturali causæ* tribuere præsumeret. Quare hoc unum suo jure faciet, ut nempe pronuntiet eventum in casu *manifestam improportionem imo oppositionem* habere cum naturalium agentium activitate et efficientia, relicta metaphysicis cura ut *positive* in operis causam inquirant.

4° At vero, postquam naturæ indagator effectum de quo loquimur cognitis naturæ legibus improportionatum pronuntiaverit, incipit jam *metaphysicæ* ac *philosophicæ critices* negotium. Porro consideratis principiis *causalitatis* et *rationis sufficientis*, attentis maxime transcendentali operis charactere et absoluta ejus a Thaumaturgi voluntate dependentia, Philosophus positive etiam inferet, ejus causam a cosmicis agentibus diversam adeoque *præternaturalem* et *extramundanam* existere posse. Rursum cum ex ista *ejusmodi eventuum cum operantis voluntate connexione* vel *ipsa etiam operis conditione*, constet illorum causam nonnisi consilio et mente præditam existere posse, inde inferet, extramundanam istam et supernaturalem causam intelligentia ac consilio præditam esse atque ita comparatam ut naturæ cursum modificare et immutare valeat. Quæ quidem illatio thesis supernaturalisticæ de causæ primæ et omnipotentis personali interventione primum fundamentum ac initiale veluti lineamen præcontinet atque hypothesis positivisticæ qua potissimum Miraculosi et supernaturalis ordinis existentiam et conceptum impetunt, antithesis est. — Ex disputatis consequi vides quod, semota etiam Dei infiniti ac Providi notione, logice venire debeat criticus ex consideratione eventuum quorum realitatem nemo bona fide

inficiari potest, ad agnoscendam existentiam principii *intelligentis* a natura adspectabili toto genere distincti, sive, ut adversarii loquuntur, *extranaturalis,* quod sua interventione cosmicarum legum cursum in certis casibus, modificet.

5° Verum ut ultimum complementum accedat religiosæ demonstrationi quæ miraculis ceu argumentis suis certissimis innititur, ulterius ostendendum Apologetæ manet causam illorum effectuum non modo extramundanam et intelligentem esse, sed nonnisi *summum ac infinitum Deum* existere posse. Ut autem hæc conclusio logice adstrui valeat oportet ut primo vindicatum fuerit dogma *de existentia Causæ creatricis, viventis, personalis* et *actu perfectissimæ,* verbo dogma *Dei infiniti et providentis.* Hoc enim statuto, ultro probare erit istiusmodi Numinis Providentiam ac sanctitatem permittere non posse, ut arbitrarie vel fortuito immutentur leges universi, maxime vero illæ quæ cum ordine morali connectuntur, spectatis tum vitæ socialis exigentiis, tum quoque rationalis naturæ insuperabili et legitima tendentia qua invincibiliter Deo refert eventa quæ suis adjunctis omnibus veri nominis transcendentiam præ se ferunt atque ethica sua conditione summo Deo digna appareant. Ut proinde in talibus circumstantiis, ista opera nec inexplicatæ legi naturæ nec altioris conditionis substantiæ fraudi abscribi possint, sed vel directe a summo Deo vel a Spiritibus ipsius voluntatis administris proficisci tandem debeant. Sed exinde etiam, cum apodictica necessitate inferetur, fieri non posse, ut talia opera unquam efficiantur in argumentum doctrinæ falsæ et erroneæ, sed contra illa certissimum criterium hominibus afferre veritatis et divinitatis religiosæ institutionis quam afficiunt. Atque ita demum, præmisso ceu rationali fundamento Dei infiniti dogmate, ex certis exploratisque Miraculis, adæquata et suis numeris omnibus expleta probatio exsurget de Fidei veritate ac divina ejus origine.

INDEX.

PROLEGOMENA. 1

§ 1. Statuitur propria argumenti nostri sedes ejusque cum cæteris theologicæ institutionis capitibus connexio indicatur. 2

§ 2. Compendiaria adumbratio ordinis naturalis ac supernaturalis, notionumque ac terminorum huc spectantium expositio. 5

§ 3. Exponuntur principia generalia de fidei cognoscibilitate ac divinæ revelationis criteriis. 24

PARS I.

DOGMATICO-POSITIVA.

CAPUT I. CONSPECTUS SUMMARIUS CHRISTIANÆ TRADITIONIS DE USU MIRACULI IN REVELATIONIS DIVINÆ VERÆQUE RELIGIONIS ARGUMENTUM. 41

CAPUT II. BREVIS RECENSIO ERRORUM QUIBUS DECURSU TEMPORUM IMPETITA FUIT CHRISTIANA DE MIRACULIS DOCTRINA. 66

CAPUT III. DE ESSENTIA MIRACULI DEQUE EJUS GRADIBUS AC SPECIE. 87

§ 1. De præcipuis vocis miraculi acceptionibus ejusque in re sacra synonymis. 87

§ 2. De miraculi notione et essentia. 90

§ 3. De effectibus causarum secundarum qui secundario assumi possunt in divinorum consiliorum manifestativum, sive de mirabilibus Spirituum operibus. 121

§ 4. De miraculorum divisione ac gradibus. 140

§ 5. Examen nonnullarum miraculi definitionum quæ apud aliquos auctores occurrunt. 148

CAPUT IV. DE MIRACULI CAUSA EFFICIENTE ET MINISTERIALI. 164
CAPUT V. DE CAUSA FINALI MIRACULORUM DEQUE EORUM CUM ORDINE ELEVATIONIS HABITUDINE. 197
CAPUT VI. DE VI PROBATIVA MIRACULI IN RATIONE CRITERII DIVINÆ REVELATIONIS. 213

PARS II.

POLEMICO-CRITICA.

CAPUT I. DE MIRACULI POSSIBILITATE. 295
CAPUT II. DE MIRACULI COGNOSCIBILITATE. 327
§ 1. De miraculi criteriis ac notis. 329
§ 2. De ratione dignoscendi mirabilia spirituum opera prout assumuntur in divinorum consiliorum manifestationem. 344
CAPUT III. DE CRITICA MIRACULOSI EVENTUS COGNITIONE NECNON DE PROPRIO GRADU CERTITUDINIS ET EVIDENTIÆ CUJUS SUPERNATURALIA EVENTA CAPACIA SUNT. 350
CAPUT IV. MIRACULOSORUM OPERUM CUM NATURÆ, ARTIS, ET MALORUM SPIRITUUM MIRABILIBUS ANALOGIA ET COMPARATIO. 384
EPILOGUS. 422

THESES

I.

Licet theologica disciplina præsupponat cognitionem Dei naturalem, sicut ordo elevationis supponit ordinem naturæ, opportune tamen, in scientiæ hujus limine, fundamentale illud fidei præambulum probandum assumitur. Proinde asserimus : « Dei existentiam ab iis etiam, qui fidem non susceperunt, naturali rationis lumine cognosci (1) » ac certo demonstrari.

(1) SS. D. N. Pii IX Litt. ap. ad arch. Monac. et Friburg., IX dec. 1862.

II.

Divina Essentia, prout rationis lumine innotescit, melius representari nequit quam conceptu *actus purissimi*, vita necessaria, personali, perfectissima constantis. Ex illa autem scholasticæ theologiæ doctrina, nedum, ut Gunthero placuit (1), pantheisticum de *esse puro* commentum stabiliatur, contra præoccupantur quæcumque de cosmica, anthropologica aut ideali primi *esse* evolutione varii nominis materialistæ et pantheistæ somniarunt.

III.

Ex infinita primæ causæ perfectione consequitur absoluta illius libertas sive indifferentia, quod *actiones ad extra* attinet. Rejicienda igitur sunt systemata eorum, qui rerum originem ex necessaria primæ causæ determinatione repetunt. Gravissime etiam errat Hermesius, qui in Deo non agnoscit nisi libertatem a coactione.

IV.

Ratio explicandæ primæ rerum originis, quæ sola primæ causæ notioni vere convenit, dogmate de *creatione ex nihilo* continetur. Falluntur vero, qui contendunt illud dogma a prioribus Patribus, SS. Justino, Tatiano, Hyppolito et maxime Dionysio vel negatum fuisse, vel certe minus recte fuisse expositum; scholasticos autem sensisse creationem ex nihilo nullo modo scientifice posse demonstrari.

V.

Rerum creatarum, imo et possibilium omnium exem-

(1) *Euristheus und Heracles*, p. 288 sqq.

plares rationes ab æterno existunt in divino intellectu, quatenus pro infinita sua comprehensione adæquate attingit omnes modos, quibus divina Essentia repræsentari aliquo modo et participari potest ad extra. Divinus igitur Intellectus est *exemplar formale*, divina autem Essentia *exemplar radicale* rerum omnium, quæ existere possunt (1). Hinc Deus fons et suprema norma est omnis veritatis, pulchritudinis et harmoniæ, quæ in ordine intelligibili, ethico et æsthetico conspicitur.

VI.

Finis absolute ultimus, quem sibi Deus in condendo hoc universo præstituit, alius esse nequit nisi ipsius gloria accidentalis, quæ consistit in externa suarum perfectionum manifestatione. Perperam autem ab Hermesiana schola finis iste in creaturarum felicitate constituitur, quamvis cum Ecclesiæ Patribus ac sanctis doctoribus, dici debeat, finem relative ultimum creationis in hominis felicitate vero sensu collocari.

VII.

Cum Deus creationis totius atque hominis conditor ac dominus existat, sequitur hominem essentialiter et necessario obligari ad cultum illi persolvendum : qui quidem cultus, ut completus et perfectus sit, simul internus et externus esse debet, imo sociali ac publica institutione manifestatus.

VIII.

Ad probandum dogma de Deo summo mundi rectore, cujus Providentia omnia gubernantur, rectissime adhibentur verba Pauli, quæ leguntur in Actibus Apostolorum, cap. XVII, 25 sqq.

(1) Cf. Lessius, *De perfect. moribusque divinis.* L. V, c. 11.

IX.

Ex ipsa notione Dei seu Entis infiniti sequitur, in ordine ontologico existere mysteria sive veritates, quæ rationis creatæ captum absolute excedunt. Porro cum nihil Deum impedire possit, quominus ejusmodi divinæ suæ Essentiæ arcana hominibus apto medio credenda proponat, nonnisi cum summa rationis injuria mysteriorum revelationis possibilitatem increduli inficiantur.

X.

Quin imo, quamvis ratio non pauca de Deo et de cultu ei exhibendo per se cognoscere valeat, cum tamen *veritas de Deo per rationem investigata a paucis et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum homini proveniret* (1), hinc, sub præsenti providentia, ut humanum genus in communi spectatum veritates rationales ordinis religiosi et moralis actu cognosceret, moraliter necessarium fuit, ut eas divina revelatione acciperet. Historiæ vero contradicit rationalistarum dogma *de progressu indefinito*, quo fingunt humanum genus sibi relictum tandem ad omnimodam veritatis cognitionem perventurum esse, ac perfectionem sibi pro singulis evolutionis suæ gradibus competentem assequuturum.

XI.

Jamvero ut doctrina quæpiam pro divinitus revelata ab homine rationabiliter recipi possit, certa quædam signa ac veluti divinæ auctoritatis sigilla præ se ferre oportet. Signum autem proprium et irrefragabile revelationis cri-

(1) D. Th. *Summ. cont. Gent.* L. I, c. IV.

terium in certis exploratisque miraculis ac prophetiis jure optimo Christiani reponunt.

XII.

Quod autem miraculi definitionem attinet, veterem scholam sequuti, dicimus miraculum proprie dictum contineri opere sensibili, quod contingit præter ordinem constitutum et supra vires naturæ omnes. — Verum ad confirmandam Religionis revelatæ authentiam, a Deo assumi etiam possunt spiritualium substantiarum opera, quæ in mundo visibili ex speciali Dei jussu vel permissione patrant, quæque ideo vocantur *miracula quoad nos.*

XIII.

Perperam supernaturalium istiusmodi operum sive possibilitatem sive etiam cognoscibilitatem increduli negaverunt. Præposteræ autem censendæ sunt normæ, quibus recentior schola, quam *positivistarum* dicunt, miraculi recognitionem subjicere jubet.

XIV.

Statuta miraculorum vi probante, inferendum est, divinam esse Religionem illam, quæ, inde a mundi principio, hominibus proposita ac per varias ætates, Deo moderante, evoluta, in Christi Jesu doctrina suum complementum nacta est. Hic enim missionem suam splendidis miraculis comprobavit, inter quæ eminet ipsa ejus a mortuis ressurrectio.

XV.

Porro Christi doctrinam nobis inprimis exhibent qua-

tuor canonica Evangelia. Horum autem authentia cum ex certis antiquitatis monumentis conficitur, tum etiam argumentis internis comprobatur.

XVI.

Falsæ et erroneæ sunt exegeticæ Evangeliorum interpretationis normæ, quæ nomine *accommodationis positivæ* et *explicationis mythicæ* sive *legendariæ* veniunt.

XVII.

Vana sunt conamina, quibus recentiores nonnulli contendunt recensionem illam sub Augusto peractam, quam commemorat S. Lucas Evangelista, historiæ monumentis adversari.

XVIII.

Ex instrumento Evangelico, prout documentum historicum est, docemur Christum instituisse Ecclesiam ceu vivam aliquam auctoritatem, quæ doctrinæ depositum custodiret ejusque sensum definitivo suo et infallibili oraculo, pro varia temporum necessitate, determinaret. Hujus autem Ecclesiæ, divinæ veritatis Magistræ, indefectibilitati stabiliendæ maxime faciunt verba Christi ad Petrum : « *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* » (Matth. XVI, 18.)

XIX.

Ad hoc indefectibile et authenticum magisterium Ecclesiæ spectat proprio jure et infallibiliter judicare de objectivo sensu propositionum vel formularum et universim scriptorum, quæ cum fide aut moribus connectuntur. Quam Ecclesiæ infallibilitatem in factis dogmaticis irrito conatu impetunt Janseniani.

XX.

Unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas ad essentiales Ecclesiæ proprietates pertinent, suntque ita comparatæ, ut simul sint *notæ*, quibus Ecclesia vera ac divina dignoscitur. Jamvero ex applicatione harum notarum inferimus solam Ecclesiam Romano-catholicam veram ac divinam esse.

XXI.

« Super soliditate Petri fundatam a Christo Ecclesiam Petrumque singulari munere præ ceteris electum, qui vicaria potestate Apostolici chori princeps existeret totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi totoque orbe ligandi et solvendi summam curam et auctoritatem susciperet, dogma catholicum est (1). » — Huc in primis spectant promissio primatus (Matth. XVI, 16-19), ejus collatio (Joh. XXI, 15-18) ac Scripturæ universim de Petro loquendi norma.

XXII.

Primatus autem iste Petro collatus fuit tanquam Ecclesiæ capiti, nequaquam ipsi Ecclesiæ ceu subjecto immediato. Ratione vero finis, quem in servanda fidei unitate maxime reponimus, primatus in Petri successoribus jugiter perseverat.

XXIII.

Porro factum exploratissimum est et historice certum B. Petrum episcopalem suam cathedram in urbe Roma constituisse et in ea civitate martyrium obiisse. Ut adeo Romani Pontifices in ipsa Petri dignitate successores, pri-

(1) Pius VI in Brevi : *Super soliditate.*

matum honoris et jurisdictionis in universam Ecclesiam obtineant *jure divino*.

XXIV.

Ex primario fine primatus Romani Pontificis, quem in unitate servanda reponunt, derivatur ejusdem infallibilitas.

XXV.

Ex eodem primatus primario fine pariter infertur, leges pontificias vim suam de jure obtinere ante omnem Ecclesiæ sive episcoporum consensum; quod etiam factis historicis confirmatur.

XXVI.

Jus recipiendi appellationes in causis episcoporum Romano Pontifici ex primatu competit; graviter igitur errant qui jus istud ex canonibus Sardicensibus primum ei obtigisse docent.

XXVII.

Primatui Romanorum Pontificum necnon ecclesiasticæ antiquitatis documentis repugnat appellatio a sententia Pontificis ad concilium generale.

XXVIII.

Nihil Romani Pontificis primatui officit controversia Victoris I cum Asianis. Quod autem quæstionem facti spectat, censemus Pontificem Asianis excommunicationem comminatum quidem fuisse, illam tamen actu non fulminasse.

XXIX.

Incassum Romani Pontificis inerrantiam impugnant

recentiores ex iis, quæ de Callixto Papa narrat liber Philosophoumenon, quasi ille Sabellianæ hæresi consensisset. Ex ipsius quippe libri tenore conficitur Callixtum in avita fide immotum perstitisse.

XXX.

Pro commentitio habendus est lapsus Liberii Papæ. Nec minus falsa est hæreseos accusatio, quam adversus Honorium proferunt.

XXXI.

Errant, qui Romani Pontificis infallibilitatem oppugnant ex iis, quæ acta sunt in celebri causa Galilæi. In errore etiam versantur ii, qui tradunt, nobilissimum astronomum indebitis pœnis, jussu Pontificis, fuisse subjectum.

XXXII.

Qui opinantur Romanum Pontificem concilio generali subesse, frustra sententiam suam ex actis concilii Basileensis et Constantiensis evincere laborant.

XXXIII.

Quemadmodum ex regula credendi Catholicorum, quæ in suprema Ecclesiæ infallibilis auctoritate consistit, optime unitati fidei prospicitur : ita ex variis protestantium normis nonnisi discrepantiæ in fide, ac indifferentismus, et sectarum variationes exoriri possunt. Neque huic confusioni vitandæ quidquam consulit excogitata a reformatis ecclesiis distinctio inter *articulos fundamentales* et *non fundamentales*.

XXXIV.

Licet Christiana doctrina objective augeri et materialiter crescere nequeat, tamen istius doctrinæ fœcunditas ejusque dogmatum altitudo requirit, ut in religionis cognitione tam practica quam speculativa continui fiant progressus. Admittenda proinde est perfectibilitas revelationis *subjectiva* et *formalis*. Hinc nihil obstat quominus, accedente Ecclesiæ oraculo, jam explicite credenda sint, quæ antea vel implicite tantum credebantur, vel in disceptationem aliquando fuerant vocata.

XXXV.

In disciplinis theologicis tradendis utilissime adhibetur speculativa Scholasticorum methodus, qui notiones dogmatum ex analogicis principiis definire, ea illustrare et confirmare, ordine scientifico et systematico adornare, et a calumniis adversariorum vindicare conati sunt (1).

XXXVI.

Ratio dogma SS. Trinitatis nec ante fidem cognoscere, nec post fidem proprie demonstrare potest.

XXXVII.

Nullius ponderis argumenta sunt, quibus conantur recentiores rationalistæ mysterii hujus originem ex theogoniis Ægyptiorum, Persarum, Judæorum aut Sinensium repetere, vel etiam ex doctrina Platonis, Philonis ac scholæ Alexandrinæ deducere.

(1) Cf. SS. D. N. Pii IX Litt. ap. ad arch. Monac. diei 21 Dec. 1863.

XXXVIII.

Ad probandam Jesu Christi divinitatem inprimis facit exordium Evangelii secundum S. Johannem.

XXXIX.

Patres antenicæni docuerunt Filium esse Patri consubstantialem.

XL.

Existimamus cum Suarez, Soto, Vega, Em. de Lugo etc., etiam post promulgatum Evangelium, fidem explicitam in Christum et in SS. Trinitatem ad justificationem et salutem non necessitatem medii sed præcepti habere.

XLI.

Divinæ Verbi personæ cum humana natura unio hypostatica cum alibi, tum in primis docetur ab Apostolo in celebri illa epistolæ ad Philippenses pericopa, quæ habetur cap. II, v. 5-11. — Quod autem ad hujus loci interpretationem attinet, defendimus 1° : vocem μορφήν, quæ in v. 6. occurrit, melius reddi non posse quam per vocabulum *formam* sive *speciem;* 2° nomen, de quo agitur in v. 9, *nomen Dei* esse intelligendum.

XLII.

Protoparentem Adamum a Deo ornatum fuisse gratia sanctificante ac præterea corporis immortalitate, appetitûs rationi subjectione, doloris et ærumnarum immunitate, catholica contra Pelagianos doctrina est. Utrum vero Adamus in illa gratia ac justitia originali creatus fuerit, an potius ad illam postmodum evectus, libere disputant theo-

logi. Communior, quam propugnamus, sententia docet Deum creando hominem simul ei naturam et gratiam largitum fuisse.

XLIII.

Hæc justitia originalis fuit donum supernaturale et indebitum. Unde sequitur statum naturæ puræ non tantum de potentia Dei absoluta, sed etiam de potentia ordinata fuisse possibilem.

XLIV.

Ex positiva Dei ordinatione primus homo in gratia et justitia supernaturali fuit constitutus non tantum quatenus homo individuus, sed tanquam pater et principium generis humani : hinc Adamus propria malitia et inobedientia sua non modo sibi, verum etiam generi humano gratiam et justitiam perdidit.

XLV.

Illam autem Dei ordinationem circa primi hominis culpæ propagationem luculenter describit Paulus, in ep. ad Rom.V, 12 sqq., cujus loci hanc paraphrasim propugnamus : « Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors.... ; atque ita factum est, ut mors in omnes homines pertransierit, *quia* (ἐφ ᾧ) per unum illum omnes peccaverunt (1). »

XLVI.

Ex hac autem Apostolica doctrina et Ecclesiæ traditione deducimus peccatum originale consistere in privatione justitiæ originalis, quæ ex Dei decreto homini deberet inesse. Hæc privatio in quolibet homine rationem *culpæ habet ex*

(1) Cf. Ill. Beelen in comment. ad h. l.

hoc, quod per voluntatem principii naturæ, id est, primi hominis, inductus est talis defectus (1).

XLVII.

Errant igitur, qui volunt peccatum originis esse concupiscentiam vel essentialem animæ corruptionem, vel personæ Adæ peccatum posteris ejus imputatum.

XLVIII.

Per peccatum originale homo spoliatus quidem fuit donis supernaturalibus, non tamen amissæ fuere essentiales naturæ dotes, neque intrinsece vulnerata anima. Hinc in statu naturæ lapsæ remansit veri nominis libertas non tantum a coactione, verum etiam a necessitate.

XLIX.

Ut genus humanum ex servitute dæmonis per protoparentis peccatum inducta liberaret eique divinæ amicitiæ beneficium restitueret, misit Deus Filium suum Jesum Christum, solum inter Deum hominesque verum mediatorem, qui sua piaculari in cruce morte per satisfactionem secundum justitiæ rigorem et superabundantem genus humanum reparavit.

L.

Ex Scripturis (Tim. II) et Patrum traditione evincitur velle Deum voluntate antecedente et seria omnes homines salvos fieri.

(1) S. Thom. in II *Sent.*, dist. 30, q. 1, a. 2.

LI.

Salvificæ huic Dei voluntati necnon sententiæ de prædestinatione ad gloriam ante prævisa merita male opponitur locus famosus Ep. ad Romanos, IX, v. 10 sqq.

LII.

Christus Dominus pro omnibus hominibus mortuus est. Hinc dantur unicuique in actuali Providentia gratiæ etiam *relative* ac *vere sufficientes*, quas Deus ipsis vel proxime vel remote confert.

LIII.

Gratiæ istiusmodi saltem remote sufficientes non negantur etiam peccatoribus obcæcatis sive obduratis.

LIV.

Arbitramur hæreticam sententiam de gratia necessitante et positiva ad peccatum et æternum interitum prædestinatione neque a monachis Adrumetinis, neque a Massiliensibus D. Prosperi insectatoribus, neque etiam a Gothescalco fuisse propugnatam : ut proin, si obscuros nonnullos homines excipias in synodis Arelatensi et Lugdunensi damnatos, hæresis Prædestinatiana a Wicleffo primum fuerit asserta.

LV.

Ad omnes actus salutares atque ad ipsum fidei initium absolute necessarium est gratiæ supernaturalis auxilium.

LVI.

Ex fidei doctrina firmiter tenendum est posse infide-

lem *ante gratiam fidei* opera moraliter bona facere. Item ex certa Ecclesiæ mente conficitur posse infidelem *ex solis naturæ viribus* opera moraliter honesta peragere.

LVII.

Ita de gratiæ efficacia sentiendum est, ut hominis libertas illæsa servetur. Quare prorsus rejicienda est Jansenianorum doctrina de delectatione relative victrici, quam perperam D. Augustino adscribunt.

LVIII.

Præter gratias actuales confert Deus homini in justificationis momento gratiam sanctificantem, quæ, ad modum principii habitualis et permanentis, animæ physice inhæret hominemquæ formaliter justum, divinæ consortem naturæ, filium Dei adoptivum et hæredem in spe vitæ æternæ constituit.

LIX.

In justificatione impii peccata non teguntur vel extrinsece condonantur, sed vere remittuntur et prorsus delentur.

LX.

In adultis exordium justificationis repetitur quidem a fide, concurrentibus tamen aliis etiam dispositionibus, inter quas recensent speciatim Patres Tridentini timorem, spem de remissione peccatorum, dilectionem Dei, dolorem de peccatis, propositum de renovatione vitæ. Fides autem illa, quæ est justificationis initium, falso a protestantibus habetur pro fiducia, qua peccator firmiter credit vel sperat sibi sua peccata propter Christum esse remissa :

sed consistit in firmo assensu mentis veritatibus, quæ a Deo revelatæ sunt.

LXI.

OEconomia supernaturalis, per quam homo supra nativam suam conditionem Deo conjungitur, *credendo fundatur*, *sperando erigitur, diligendo perficitur* (1). Fidem autem definimus cum Em. de Lugo assensum supernaturalem, firmum ac certum, *in auctoritate Dei revelantis* ultimo fundatum. (*de Fide*, D. 8, s. 2, n. 35.)

LXII.

Amor concupiscentiæ, quo Deum prosequimur ut bonum nostrum, honestus est, ideoque licitum est ac honestum operari intuitu beatitudinis solius, retenta tamen debita ipsius ad Dei gloriam relatione.

LXIII.

Charitas perfecta cum statu peccati mortalis nequit consistere atque hominem per se justificat.

LXIV.

Justitiæ supernaturalis et gratiæ fontes sive causæ instrumentales sunt septem sacramenta Legis novæ, quæ obicem non ponentibus conferunt gratiam ex opere operato.

LXV.

Ad validam susceptionem aut confectionem Sacramentorum requiritur in adultis intentio. Hæc in ministro

(1) S. Aug. *Serm.* 27, n. 1.

saltem debet esse virtualis, scilicet faciendi, quod Christus instituit et Ecclesia facit : in suscipiente vero, nisi de Pœnitentia aut Matrimonio agatur, sufficit voluntas præterita non revocata suscipiendi sacramentum, licet nihil amplius in actum influat.

LXVI.

Extra casum martyrii Baptismus omnibus est necessarius necessitate medii, in re vel saltem in voto.

LXVII.

Ex ipsa sacramenti Pœnitentiæ institutione (Joh. 20; 22) et traditionis ecclesiasticæ auctoritate, consequitur jure divino confessionem peccatorum mortalium omnium, quæ post Baptisma commissa sunt, necessariam esse omnibus ad recipiendum absolutionis beneficium. Perperam vero provocant adversarii ad immutationem disciplinæ, quæ sæculo IV, Nectario patriarcha, in ecclesia Constantinopolitana contigit, ut inde probent sacramentalem confessionem ecclesiasticæ esse institutionis.

LXVIII.

Attritio initiali charitate informata est sufficiens dispositio ad peccatorem cum Deo reconciliandum in sacramento Pœnitentiæ.

LXIX.

Sacramenti Eucharistiæ institutio luculenter probatur ex VI capite Evangelii S. Johannis.

LXX.

Contrahentes sunt ministri sacramenti Matrimonii.

LXXI.

Ecclesia habet jus exclusivum statuendi impedimenta, quæ matrimonium Christianorum dirimant.

LXXII.

Cum episcopis Romæ an. 1862 coadunatis catholici omnes profiteri tenentur : « Civilem sanctæ Sedis principatum ceu quiddam necessarium ac, providente Deo, manifeste institutum agnoscimus, nec declarare dubitamus in præsenti rerum humanarum statu ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiæ animarumve regimine omnino requiri (1). »

(1) Protestatio publica diei VIII junii 1862.

Vidit S. Facultas Theologica.

J. B. Lefebve, S. Fac. h. t. Decanus.
E. H. J. Reusens, S. Fac. h. t. a secretis.

Vidit Rector Universitatis.
N. J. Laforet.

CORRIGENDA.

Pag. 43, not. 7, *Numer.* 2, 8. lege : 16; 28. *Numer.* 21, 8.— n. 9, lege : n. 9, 16, 28.
Pag. 48, n. 2, *Dan.* 3, lege : *Dan.* 3, 99, sqq.
Pag. 98, n. 1, lege : 1a 2æ.
Pag. 104, n. 4, lege : L. 3.
Pag. 110, n. 1. pro 2, lege : Q.
Pag. 113, pro art. 4, lege : a. 1.
Pag. 194, n. 2, pro a. 4, lege : a. 1.
Pag. 199, n. 1, lin. 2, lege : Iren. *Adv. hær.* L. 2.
Pag. 208, ad finem n[i] 11 pro *physico-moralis,* lege : *moralis.*
Pag. 214, l. 13, pro *theleogica*, lege : *teleologica.*
Pag. 212, lin. 15, pro requisita fuisset, lege : extitisset
Pag. 218, lin. 14, pro habere, lege : haberi.
Pag. 223, lin. 10, lege : Tenendum igitur quod etc.
Pag. 225, n. 7, adde c. 4, p. 2.
Pag. 245, n. 2, lege : Sect. 8. — Ad n. 4, lege : p. 483.
Pag. 255, n. 3, lege : Q. 41, art. 5.
Pag. 276, lin. 9, pro illic, lege : illinc.
Pag. 281, lin. 5, a fine pag. pro idealis, lege : ideale.
Pag. 308, n. 1, lege : Voltaire, *Dict. phil.*
Pag. 309, lin. 7, pro constituta, lege : constitutæ.
Pag. 313, lin. 6, a fine, pag. pro materia, lege : materiæ.
Pag. 349, n. 4, lin. 2, pro acquivalet, lege : æquivalet.
Pag. 356, n. 7, lin. 6 pro : qui conjuncti sunt, lege : quæ conjuncta sunt.
Pag. 359, n. 10, lin. 1, pro hic, lege : his.
Pag. 363, l. 1, pro quæ, lege : quas.
Pag. 408, l. 4, a fine, pro ulla, lege : nulla.
Pag. 420, l. 9, pro aliquam, lege : aliquem.

211.42
W 413
27360
WEDDINGEN, ALOYSIUS VAN

AUTHOR De Miraculo

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Marie JAN
	Mantewla Jan
	[illegible]
	STORAGE

27360